1337/b

W. VIII Joa

Lib. I.
Vol. 2 published 1761

CXXI

Libet II 1317


IMCAROL V.
CON-
STAN-
TIA.
FOR
TITU-
DINE

217
58751

PROTO-MARTYR POENITENTIÆ EJUSQUE SIGILLI CUSTOS SEMPER FIDELIS DIVUS JOANNES NEPOMUCENUS,

S. Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis
AD
S. VITUM M.

In Regno Boëmiæ Canonicus,

Reginæ Joannæ Confeſſarius, & Regius Eleemoſynarius, ob ſecretum confeſſionis à Wenceslao IV. Romanorum & Boëmiæ Rege, è ponte Prageno in Moldavam præcipitatus,

Vitâ Martyriô morte, è vetuſtis membranis, & manuſcriptis codicibus Archivi Eccleſiæ, & Capituli Metropolitani Pragenſis, aliíſque fide dignis hactenus ineditis Archivorum Regni Bohemiæ monumentis, magnô labore, & diligentia perquiſitis.

Additis etiam Notis accuratiſſimis Hiſtorico-criticis, quibus Eccleſiæ Metropolitanæ, Archi-Epiſcopatûs Pragenſis, Epiſcopatum Litomyslenſis, Litomericenſis, & Reginæ-Hradecenſis Capituli Wiſſehradenſis, omnium Sanctorum in Caſtro Pragenſi, nec non totius Regni Boëmiæ Eccleſiaſtica hiſtoria in pluribus locis illuſtratur, integritati reſtituitur, & à tenebris vindicatur.

IN LUCEM PUBLICAM DATUS.

AUCTORE

JOANNE THOMA ADALBERTO BERGHAUER,
Presbytero Eccleſiaſtico, in Alma Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi, Artium Liberalium, & Philoſophiæ Magiſtro, SS. Theologiæ Baccalaureo formato, & Juris Utriusque Doctore, Sacro-ſanctæ, Regiæ, Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ Collegiatæ Wiſſehradenſis ad SS. Apoſtolos Petrum & Paulum prope Pragam Canonico, Eccleſiæ Tschochavienſis in Diœceſi Litomericenſi Parocho.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM ET GRÆCII,
Sumptibus Fratrum Veith, Bibliopolarum, Anno MDCCXXXVI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Sacratiſſimo, & Invictiſſimo

PRINCIPI,

DOMINO, DOMINO

CAROLO VI.

Romanorum Imperatori ſemper Auguſto,

REGI

Germaniæ, Caſtellæ, Aragoniæ, Legionis, utriúsque Siciliæ, Hieroſolymorum, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galiciæ, Balearium, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Gienni, Algarbiæ, Algerziæ, Gibellterræ, Inſularum Canariarum, Indiarum, Inſularum, & Terræ Firmæ Maris Oceani &c.

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ,

Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Lucemburgi, Wirtembergiæ, utriúsque Sileſiæ, Athenarum, & Neo-Patriæ.

PRINCIPI SUEVIÆ,

Marchioni Burgaviæ, Moraviæ, Arboreæ, utriúsque Luſatiæ.

COMITI HABSPURGI,

Flandriæ, Tyrolis, Barcinonis, Ferretæ, Kiburgi, Goritiæ, Gavani, Ruſcinonis & Ceritaniæ &c.

LAND-GRAVIO ALSATIÆ,

Domino Marchiæ Vindicæ, Portûs Naonis, Biſcajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechlinii &c.

DOMINO, DOMINO

CLEMENTISSIMO.

Sacratiſsime, & Invictiſsime
C Æ S A R.

DUm Sacram Cæſaream Regiam Catholicámque Majeſtatem ſuam, inter innumera feſtivæ exaltationis vota; Regiis fulgentem inſigniis, thronóque ſublimem, hodiernâ coronationis ſolemnitate, ſubmiſsiſsimè adorat Bojemia, ad Majeſtatis ſuæ purpuram, humillimè provolvor indignus animarum Paſtor pagi Stadicenſis, unde ante mille annos Primislaus primus Bojemiæ Princeps ad gubernium mirabili fatô evocatus ſapienter, & feliciter Bojemiam rexit. Verùm cùm atteſtante ſacra pagina ad coronationes Regum dona ferri

con-

conſueverint, nec quisquam facilè in conſpectu Principis apparere debuerit vacuus. Munuſculum ſubmiſsiſsimè præſentandum circumſpexi. At pro tanto Monarcha, quale? fortè è gaza Stadicenſi Ducalem Primislai mitram, quâ veteres Bojemiæ Principes inaugurati, & coronati fuêre? an nuces de corylo ſtimuli ejus Primislææ poſteritatis augures, ad Regias itidem coronationes oſtento fieri ſolitas, ac à Carolo IV. magnoperè privilegiatas? At vereor nè Catholiciſsimo Principi ejuscemodi gentilitatis κειμήλια indigna videantur. Eapropter aliud pium, ac Rege dignum munuſculum, Regium videlicet Confeſſarium Eleemoſynarium, Prædicatorem, Canonicum, Martyrem, Divum JOANNEM NEPOMUCENUM SUÆ AUGUSTISSIMÆ MAJESTATI profundiſsimâ reverentiâ offerre, ejusdémque vitam, martyrium, & beatificationem AUGUSTISSIMO NOMINI ſubmiſsiſsimè inſcribere, & dedicare præſumo. Et munus hoc, ùtùt à perſona dantis humile SUÆ MAJESTATIS ex aſſe proprium eſt, quia totum Carolinum eſt. In Univerſitate Carolina Pragenſi JOANNES effulſit ſacræ paginæ, & derectorum Doctor: Sub Carolo I. Bojemiæ Rege, IV. ejus nominis Imperatore Canonicus S. Viti, & Aulæ Concionator: ſub SUÆ MAJESTATIS CAROLI II. Bojemiæ Regis, & VI. Romanorum Imperatoris feliciſsimo regimine, & potentiſsima inſtantia Beatorum Albo, Urbis, Orbiſque votis inſeri gaviſus eſt. Carolinis igitur temporibus JOANNES ſuæ, & pietatis exordium, & beatifi-

catio-

cationis terminum tranſcribit, atque ità Carolina nunquam ceſſat fovere momenta. Dignetur igitur SUA AUGUSTISSIMA MAJESTAS munuſculum iſtud ab humilitate mea Clementiſsimè acceptare, & Thaumaturgus iſte ſilentiarius pro AUGUSTISSIMÆ DOMUS AUSTRIACÆ maſculino incremento DEUM Omnipotentem orabit fortiter, & conſtanter.

Auguſtiſsimæ Majeſtatis
Suæ

Pragæ die Coronationis quæ erat 5. Septembris Annô 1723.

Humillimus, & obſequentiſſimus

JOANNES THOMAS ADALBERTUS BERGHAUER.

APPRO-

APPROBATIONES

Eorum, qui hoc vitæ S. JOANNIS NEPOMUCENI opus privatim reviderunt, & datis ad me litteris probârunt.

Prima

REverendiſſimi, Eximii, ac Ampliſſimi Domini *Joannis Mauritii Wenceslai Martini* in Alma Univerſitate *Carolo-Ferdinandea, Pragenſi* SS. Theologiæ Doctoris, *S. Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis* Prælati, & Archi-Diaconi.

Admodum Reverende Præcellens, ac Clariſſime Domine.

REviſionis laborem aſſumpſi, & quidem non ſinè ſingulari negotii ſuſcepti conſolatione, partim obſtupui antiquitatis ſelectæ induſtriam, partim ex ſtyli nitore, ac elegantia ſpecialem habui complacentiam. Opus judico dignum poſteritate. Adverti quoque impendium ſingulare, quo ſua talenta, acquiſitámque doctrinam in honorem S. JOANNIS NEPOMUCENI manifeſtat. Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. D. Suffraganeus & Præpoſitus noſter D. de Mayern cum magno quoque ſolatio (quantumvis decumanis ſit onuſtus laboribus) opus legit, ac in publica Seſſione Capitulari id, Autorémque inter plurimas laudes extulit, & commendavit.

Pragæ die 10. Decembris, Anno 1723.

J. M. W. Martini, mpp.

Secunda

Admodum Reverendi Religioſi, ac Eximii Patris *Joannis Sigismundi Oppelt*, è Societate JEſu in Univerſitate *Pragenſi* quondam ſanctæ, ac etiam Græcæ Linguæ Profeſſoris.

Admodum Reverende Præcellens, ac Clariſſime Domine.

PErlegi magnâ cum aviditate, nec minore animi mei voluptate, primam partem incomparabilis operis, cui nihil certè deeſt, quàm ut propediem luci publicæ committatur, habiturum tot Encomiaſtas quot lectores. Equidem ità ſentio, nec oculatiſſimum cenſorem, & κελικὸν κελικώτατον *quidquam in eo reperturum, quod carpi queat, nè ſi Momus quidem fuerit. Multa hìc ego didici, quæ ignorabam, ut meritò cogar dicere gratias pro benevola tanti theſauri communicatione.*

Mariæ Scheinæ die 27. Septemb. An. 1725.

J. S. Oppelt, S. J.

Reverendiſſimi ac Eximii Domini *Joannis Floriani Hammerſchmid*, SS. Theologiæ Doctoris, Proto-Notarii Apoſtolici, *Wiſſebradenſis*, & *Vetero-Boleslavienſis* Senioris Canonici, Eccleſiæ Teinenſis *Vetero-Pragæ* Parochi, Patriæ Hiſtorici, & Sacerdotis Jubilati.

Admodum Reverende, ac Clariſsime Domine.

Librum I. vitæ S. JOANNIS NEPOMUCENI laboriosè compoſitum, & mihi ad perlegendum communicatum perlegi, & ſæpius perluſtravi. Et quia deprehendi omnia in illo contenta authoritatibus fundata, Archivio Metropolitano Capitulari roborata, his prolixè deductis, nihil habeo quod apponam; multò minus opponam, *optarémque, ut in vita mea adhuc typis editum tam nervosè deductum opus viderem.*

Vetro-Pragæ die 15. Auguſti An. 1726.

Joan. Florianus Hammerſchmid, mpp.

LICENTIA ORDINARII.

Ex commiſſione Reverendiſsimi, Eximii, ac Ampliſsimi Domini Domini Joannis Mauritii Wenceslai Martini in Alma Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi SS. Theologiæ Doctoris, S. Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis Archi-Diaconi & Regni Prælati, Vicarii Generalis in Spiritualibus, & Officialis Capitularis, Sede Archi-Epiſcopali vacante, revidi librum vitæ S. JOANNIS NEPOMUCENI, & quidem non ſinè ſingulari negotii ſuſcepti conſolatione, quemadmodum antiquitatis ſelectæ induſtriam, ità & ex ſtyli nitore & elegantia ſpeciale obſervavi impendium, & cùm nihil contra bonos mores, aut fidem Catholicam repertum ſit, opus judico dignum poſteritate.

Pragæ die 1. Julii Octava S. Joannis Baptiſtæ An. 1733.

Imprimatur

JOANNES M. MARTINI,
Vic. Gen. & Officialis
Capitularis, mpp.

JOSEPHUS à LANCKISCH,
S. Eccleſiæ Metropolitanæ Prag.
Prælatus Scholaſticus, nec non Aſſeſſor
Conſiſtorialis Capitularis, mpp.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS AUGUSTANI.

PRæclariſsimum hoc Opus, cujus Titulus: *Proto-Martyr Pœnitentiæ &c.* publicam lucem & plauſum, oculos, manúsque Legentium omni jure meretur. Aug. Vindel. 15. Julii 1735.

Imprimatur H. S.

JOANNES ADAMUS NIEBERLEIN, SS. Theol. Doct. Epiſc. Dioclenſis, Suffrag. Eyſtett. Præpoſitus ad S. Nicolaum in Spalth, Can. Cath. Eccleſiæ Auguſtanæ, Conſiliarius Eccleſ. & p t. Vicarius Generalis, mpp.

FRANC. JOS. DE HANDL, SS. Theol. Licent. Sereniſſ. & Reverendiſſ. Principis & Epiſcopi Auguſt. Conſil. Eccleſ. Major Pœnitentiarius & Librorum Cenſor, nec non Inſignis Eccleſiæ ad S. Mauritium Canonicus & Parochus.

PRÆFATIO

Ad

Benevolum, ac Eruditum Lectorem.

EcclesIæ in terra militantis æquè, ac in cœlo triumphantis gloria eſt, hominum vitæ meritis gratiam DEI, & amicitiam conſecutorum ſanctitas. Ut adeò Sanctorum ſplendoribus circumornata, efficiatur ſponſa longè formoſiſſima, Chriſto jugata Principi. Quot Sanctorum meritis, tot fimbriis aureis Divinæ gratiæ, & gloriæ circumamicta varietatibus. Gaudium in cœlis ſuper Sanctorum beatitudine habent Angeli: fructum in terris ſuper Sanctorum vita ſentiunt homines. *Ut enim* (teſtante *Baſilicô Orat. de S. Gordiano Mart. Milit. Cæſarienſ.*) *ex igne emicat ſplendor, & ex unguento diffunditur odor, ſic ex ſanctorum commemoratione geſtorum ad omnes promanat utilitas.* Eorum cultu DEUM placabilem: eorum imitatione vitam puriorem reddimus. *Ad aliquem Sanctorum convertere*: inculcat *Eliphaz* apud *Job.* Et in conſpectu Angelorum pſallebat *David.* Beatorum ad DEUM interceſſionibus res humanæ fulciuntur, fraus Dœmonum frangitur, peccandi pericula evitantur, & animus ad cœleſtia erigitur. Quot animæ, corporiſque pericula ſubeuntes, cœli civium votis ſalutem retulêre. Quot vitæ turpiſſimæ πεελίψηματα lectis ſanctorum actis, rectiorem vivendi normam æmulari, piè, juſtéque agere didicêre. Inde licèt ſancti ſummo bono æternum conjuncti, & ideò nullius egentes, non indigeant noſtris laudibus, nos tamen opus habemus eorum memoriâ & interceſſionis, & imitationis gratiâ. Confirmat *S. Iſidorus de Offic. Eccleſ. cap. 34. Feſtiſitates*, inquit, *in honore martyrum, antiqui Patres in venerationis myſterio celebrari ſanxerunt, vel ad excitandam imitationem, velut meritis eorum conſociemur.* Igitur primitiva ſtatim Eccleſia in ſanctorum hiſtoria poſteritati commendanda utiliter inſudans, per *Clementem* Pontificem ſeptem *Romæ* conſtitutis Notariis ad oreas Martyrum conſcribi fecit. Particulares quóque Eccleſiæ in *Aſia*, & *Africa* id exemplum æmulantes, Sedis Apoſtolicæ autoritate Sanctorum faſtos optimô ſucceſſu adſignârunt. Tractu dein temporis Acto-

rum

rum copia crevit. Multa tamen Gentilium invidiâ deperdita deplorat *Prudentius Periſteph. Hymn.*

O! vetuſtatis ſilentis obſoleta oblivio!
Invidentur iſta nobis, fama, & ipſa extinguitur,
Chartulas blasphemus olim nam ſatelles abſtulit,
Nè tenacibus libellis erudita ſæcula
Ordinem, tempus, modúmque paſſionis proditum
Dulcibus linguis per aures poſterorum ſpargerent.

Ii, ac ipſorum etiam Chriſtianorum inertiâ malè conſignata, aut penitus neglecta deplorat *Mabillonius, de Stud. Monaſt. Part. 2. Cap. 8. n. 8.* Non poteſt (inquit) *ſinè quadam doloris amaritudine dici, profanos quoſdam exactiores longè fuiſſe in ſcribendis paganorum vitis, quàm fuerunt plures chriſtiani in annotandis Actis Sanctorum, geſtísque laudabiliter per eorundem vitæ curriculum.* Porrò, qui in collectione hujuscemodi per diverſa Eccleſiarum Archiva utiliter operas locârunt, viri æternâ memoriâ digniſſimi, potiſſimùm ſunt ſequentes: primus *Euſebius Cæſarienſis*, qui præter hiſtoriam Eccleſiaſticam, etiam Acta Sanctorum ſcripſit, quod tamen opus non ampliùs extare dicitur. *Simeon Metaphraſtes* linguâ græcâ plurima ſanctorum geſta coordinavit, è quo recentiores multa emutuati ſunt. Poſt plures alios *Vicentius Bellovacenſis* Ord. *S. Dominici* Sæculô XIII. eundem laborem aſſumens, Acta Sanctorum ſub titulo: *Speculum Hiſtoriale* vulgavit. Idem poſteà *Jacobus de Voragine* in ſua legenda præſtitit, ac etiam *Petrus de Natalibus.* Tandem *Laurentius Surius Carthuſianus* Sanctorum geſta egregiô labore illuſtravit, cujus collectio opus perfectum ab eruditis æſtimatur, & id priusquam *Joannes Bollandus S. J.* cum ſuis eruditiſſimis Collegis novam, eámque longè elegantiſſimam Collectionem, quæ & hodie continuatur, maximâ Eccleſiæ Catholicæ utilitate inchoâſſet. Atque hi quidem in hiſtoria ſanctorum univerſali, aut ſaltèm potiori eminuêre. Non deſunt præterea, qui ſanctorum particularium vitas lucubrationibus ſuis præclarè illuſtrârunt. Etenim cùm grandes operum tomos non cuilibet evolvere liceat, rectè in ſeparatis libris, & opuſculis ad plurium commoditatem hujuscemodi pietatis illicia, adnotantur. Nec eruditorum calami in Eccleſia Dei utiliùs impendi putantur, quàm dum hominum vitæ probitate fulgentium, illuſtria opera ad imitandum poſteritati tranſcribunt, ac ità aliorum pietati per ſanctorum exempla viam ſternentes, ſe eorum juſtitiæ participes reddunt. In Chriſtiano orbe nulla provincia eſt, quæ alicujus ſancti ſpeciali cultu, & interceſſione ſubnixa non ſtaret. *Hiſpania Ferdinando, Gallia Ludovico, Burgundia Sigismundo, Ger-*

mania Henrico, Anglia Eduardo, Dania Canuto, Suecia Erico, Stephano Hungaria, Caſimiro Polonia, Leopoldo Auſtria, Heduige Sileſia, Bennone Saxonia, Cyrillo Moravia, Methodio Bulgaria, Andrea Achaja, Paulo Græcia, Joanne Natolia, & aliis Sanctis, alia Regna, Urbes, Orbísque partes ſervantur, celebrésque redduntur. Denique, & in hoc Inclyto *Bojemiæ* Regno ſicubi alibi, eſt ſacrorum Indigetum caterva longè Glorioſiſſima, *S. Vitus, S. Wenceslaus, S. Adalbertus, S. Procopius, S. Sigismundus, S. Ludmilla, S. Ivanus, S. Norbertus, S. Joannes Nepomucenus.* Horum præſidiô tuta ſemper & ſecura ſtetit, & ſtat *Bojemia.* Quantum eorum patrocinio, ſeditionum, bellorum, incendiorum, & hoſtilium incurſuum, temporibus debeat, nemo facilè ediſſeret. *S. Ludmilla* cum *Wratislao* conjuge fidem Chriſtianam plantavit; *Wenceslaus* dilatavit, *Adalbertus* rigavit, *Procopius* ſacravit, *S. Joannes* inter hæreſum pericula ſartam tectam ſervavit. Et horum quidem geſta, plerumque à vitæ exceſſu Auctores ſat diligenter adnotârunt. *SS. Wenceslaum,* & *Ludmillam* deſcripſit *Chriſtannus, S. Adalbertum Cosmas SS. Ivanum & Procopium Hagekus* & alios alii: ſolus *S. Joannes Nepomucenus Huſſi* Taborúmque rabiè ſcriptore vitæ prohibitas, aut vitâ ſcriptâ Ziſkianis turbis privatus eſſe videtur. Id quidem non ità intelligendum, quasì nulla prorſus vetus memoria exiſteret, verùm ſic, ut vitæ geſta fuſiori Minervâ exarata hactenus reperta non ſint. *Voluit ſcilicet* (ùt rectè obſervat *Franc. Maria Florentinius in Admonit. ad Vet. Martyrolog.*) *aliquando Deus ſuorum in terris monumenta celari, ac ità per ſæculorum caligines deformari, ut poſterorum habeant ingenia, unde defodiendo diteſcant, & in ſanctorum ac ſua repaſtinanda gloria non vile capiant ex lucubrationibus lucrum.* Fecêre quidem martyrii Joannei incidentalem mentionem ſcriptores plurimi, at ex profeſſo tractavit nemo. Id ſæculo ſuperiori animadvertens *P. Balbinus S. J.* inter alias res *Bojemiæ* illuſtratas operi manum admovit, ac ùt ùt monumenta ſuffecerant, vitam ſancti adorſus eandem An. 1671. perfecit, & die 20. *Februarii Reverendiſſimo Capitulo Metropolitano* (ùt pro fronte ejus propriâ manuſcriptum in Archivo Capituli oſtendit) inſcripſit: Hæc tamen lucubratiuncula primùm typis data fuit An. 1680. *Antverpiæ,* quando eam, *Tomo III. Actorum Maij* adjectis notis, typis vulgârunt Eruditiſſimi Continuatores *Bollandi, Godefridus Henſchenius,* & *Daniel Papebrochius.* Animadvertens autem *P. Balbinus,* diem ibi martyrii contra mentem ſuam in 29. *Aprilis* retrò poſitam, lucubrationem eandem, reſtitutâ Martyrio *die 16. Maji* operum ſuorum *Decad. I. lib. 4. §. 59.* inſeruit, ac Pragæ typis *Georgii Czernoch* Ann. 1682. publicavit. Exinde

omnes

omnes hactenus ſua vitæ compendia emutuati ſunt. Verùm cum tractu temporis, ac potiſſimùm inſtituto canonizationis proceſſu plura ſolertiùs perquiſita, ac certiùs inventa fuiſſent, quæ hactenus aut omiſſa, aut dubia, & incerta videbantur. Perutile, imò neceſſarium judicatum, ea quæ tam difficili labore, longóque ſtudio ad gloriam DEI, honorémque ſancti, inveſtigata, ac inventa erant, poſteritati tranſcribere. Ego igitur, qui apud Decanum Metropolitanum *Paulum Joſephum Axlar* perſiſtens, juríque operam navans ex ejusdem, ac Reverendiſſimi Capituli commiſſione, Eccleſiæ, ac Capituli Archivum, ac Bibliothecam duplicem Manuſcriptam veterrimam, & impreſſam perluſtravi, & repertis nonnullis egregiis monimentis, partim ad canonizationis proceſſum, partim verò ad hiſtoriam, Eccleſiaſticam Regni non inconcinnè illuſtrandam idonea, laborem vitæ ſcribendæ animo induxi, addidêre verò beneficia quotidiana & inditus à S. Martyre motus, de quo infrà primùm, ac potiſſimum incitamentum. Cui & Deus adpoſuit incrementum, dum Manuſcripta *D. Henrici Barthl* Proto Decani Capituli *Regino-Hradecenſis* & ad colligenda monumenta proceſſum canonizationis inſtruentia Procuratoris emeriti, quæ ille viginti aliquot annis ſedulô conatu congregaverat, in manus meas Epiſcopali Secretario ibidem exiſtenti, per optimam fortunam delapſa fuêre. Quæ dein ad primam Seſſionem pro cauſa canonizationis inſtitutam, velut non modicam lucem inchoando proceſſui allatura, die *23. Maji* Anno 1715. extradidi. Acceſſum præterea etiam quotidie fecêre, varia hinc inde collectanea. Nec defuêre Autores rerum *Bojemicarum* manuſcripti, ac impreſſi. Ad beneficium poſtea Parœcialis Eccleſiæ *R'zechlovicenſis* vulgò *Tschochavienſis* in Diœceſi *Litomericenſi* An. 1716. die *7. Septembris* promotus, quantum commiſſi gregis ſollicitudo patiebatur, laborem inchoavi, ac ſtatim à *Nepomuci*, & cœnobii ibi conditi exordio vitam Beati exorſus ſum. Diſpertitus eandem in duos libros: quorum prior, *nativitatem*, *vitæ ſanctitatem*, *tormenta*, *Martyrium*, *mortem ac ſepulturam*, alter, *cultum immemorialem*, *monumenta & miracula*, *ſepulchri reſerationem*, *& S. Linguæ incorruptionem & mutationem*, *tandem acta*, *& proceſſum canonizationis* per ordinem complectitur. Et prior quidem liber jam ipſo Annô 1723. quo eundem *Suæ Auguſtiſſimæ Majeſtati Cæſareæ* ad coronationem Boemicam ſubmiſſiſſimè dedicaveram pro typis paratus exiſtebat, verùm quia pendente canonizationis proceſſu, nihil de ſancto publicari permiſſum fuerat, ideò usque nunc ad integrè finitam cauſam expectare debuit. Nec prætereundum quòd intermedio dein tempore ab Anno nempe dedicationis

1723.

1723. úsque ad præſentem Annum 1733. (quo hanc vitæ lucubrationem denuò revidi, & limavi) non paucarum rerum antea narratarum ſtatus immutatus fuerit, ac id ipſum me commoverit, eundem, nè Lectori confuſio oriretur, in præſentis temporis (ſolo dedicationis tenore & Annô relictô) faciem transmutare. Volebam quidem, ut uterque liber ſimul typis prodeat, priórque alterum expectet; at poſtea conſiderans ſollicitudinem mei montani gregis lucubrationes literarias vehementer attenuare, nè diutiùs ultrà, ùt jam contigit, prior moram trahat, eum luci emittendum deſtinavi, quatenus alteri viam, animósque paret. Ut autem æquitatis amor prima judicis dos eſt, ità & rerum ante actarum ſincera & accurata inveſtigatio hiſtorici munus. Judex perſona publica eſt, ad ſuum cuíque tribuendum, cujus judicio ſtant omnes in re de qua fert ſententiam: itidem & hiſtoricus perſona publica eſt, cujus fidei committitur examen rerum ab antiquis geſtarum. Uterque adeò ſummè cavere debet, nè aut paſſione, aut conniventiâ iniquam ferat ſententiam. Nam cùm non omnibus liceat rerum ante actarum veritatem per ſe inveſtigare, ideò arbitrium ſequuntur hiſtorici, quos ille decipit, qui veritatem non inquirit. Id crebro præ oculis habens, quantùm ex me fuit, res ſingulas maturè trutinavi, & ruminavi, & cum aliis combinavi, & velut aurum, & uniones pretioſos ad libellam perattentè poſui, veritatem ſemper magìs, quàm autoritatem aſpiciens, nè errori cuicunque viam panderem, quo maximè Acta Sanctorum immunia eſſe debent. Itáque quod fidem meam attinet, ea profectò certa, & limpida eſt, utpote autenticis inſtrumentis, vetuſtis inſcriptionibus, probatiſque Autoribus ſubnixa; nec facilè quidquam narro, quod non autoritate ſubnotatum firmo. Si quorundam Autorum errores detego, claris veterum monimentis, aut repugnante chronologiæ ratione, aut alio indubitatô motivô actûs id cum modeſtia facio. Nec id mirum eſſe debet, cùm *ex Archivis Autores, non Archiva ex Autoribus judicari debeant.*

Cæterùm, ſi *Niceta Choniate* teſte: *Hiſtoria eſt liber viventium, & tubæ clangor, qua olim mortui è ſepulchris excitantur, & ante extremum mundi diem producuntur in medium*; profectò quàm plurimos Eccleſiarum *Metropolitanæ Pragenſis, Litomyslenſis, Wiſſehradenſis, omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi, ac aliarum etiam Eccleſiarum Prælatos, Canonicos, ipſos etiam Epiſcopos, & alios quosque virtute, & eruditione fulgentes viros ab oblivionis ſepulchro excito, & è tabidis vetuſtatis umbris ad perennis memoriæ vitam, & lucem vindico. Frons libri, quæ *Proto-Martyris* titulum præſefert, annô præfatô dedicationis

1723. frontes quorundam in rugas trahebat, quaſi cenſuram mereretur, μηδὲν ἄγαν, verùm culpari minimè poteſt cùm reſtrictionem ad *Pœnitentiæ Sigillum* annexam habeat, in qua cauſa *S. Joannes Nepomucenus* omninò primus in Eccleſia eſt, qui Martyrium ſubiit, etsi non ſolus. Etenim nullus ante eum in Eccleſiæ Catholicæ faſtis (quantùm reperi) legitur, qui ob ſecretum confeſſionis paſſus fuiſſet; bene verò poſt illum, velut *B. Joannes Sarcander* Parochus *Holleſchovienſis* in *Moravia* ab hæreticis rebellibus die 17. *Martii* An. 1620. & *B. Antoninus Timmermans S. Ord. Prædicatorum* ab Hæreticis *Antverpiæ* die 27. *Martii* An. 1582. Ambo *S. Joannis Nepomuceni* exemplô, ſed diu poſt illum ob ſecretum confeſſionis torti & martyriô affecti. At nunc verò poſt litem agimus. Dum id ipſum *S. Apoſtolica Sedes* expreſsè agnovit, & *S. Joannem Nepomucenum* velut *primum ob confeſſionis Sigillum* occumbentem *Martyrem* ſanctorum Canoni adſcripſit. *Cùm enim ſinguli fidei Catholicæ articuli* (inquit *Bulla Canoniz.* die 19. *Martii* An. 1729. edita) *ipſius Redemptoris noſtri, & Apoſtolorum ore vulgati; magnos Præcones, & ſanguine ſuo coram Tyrannis, aliisque Dei hoſtibus purpuratos teſtes habuerit, tandem repertus eſt etiam, qui Sacramentum pœnitentiæ, ſecretámque peccatorum confeſſionem auricularem ordinario ejus miniſtro ſacerdoti factam, contra poſteriorum ætatum hæreticos in anteceſſum propugnaturus, martyr invictus oppeteret.* Et *Sacr. Rituum Congregat.* in Compend. Vitæ pag. 10. *Concordi edito reſponſo ſanctiſſimus Dominus noſter decretum edidit, quo primus Martyr ob Confeſſionis Sigillum ſervatum ſacris aris imponendus declaratur.* Eſt igitur meritò *Divus Joannes Nepomucenus*, non ſolùm *ſacræ pœnitentiæ Proto-Martyr*, ſed & inſigniſſimus Catholicæ veritatis aſſertor, qui ſacræ confeſſionis auricularis inſtitutum, tormentis, ſanguine, martyrio, & morte ſignavit, roboravítque. Quàm id etiam DEO acceptum fuerit, incorrupta ad quartum ſæculum; ac prodigiosè dein intumeſcens ſacra ejus lingua univerſo mundo notum facit. Hócque ſtupendô prorſus miraculô ſcelerata *Wiklephi*, *Huſſi*, *Lutheri*, *Melanctonis*, *Zvvinglii*, *Calvini*, ac omnium hæreſiarcharum ora confundit, qui ſecundùm malitiam cordis ſui exacuerunt, ùt gladium linguas ſuas, & adverſùs ſacrum pœnitentiæ tribunal, auricularémque confeſſionem, firmaverunt, ſibi ſermonem nequam. Hos itáque omnes ſingulóſque ſacrilegè detrahentes pœnitentiæ Sacramento, induit pudore, & operit ſicut diploide confuſione perpetuâ, *S. Joannis Nepomuceni* lingua incorrupta. Prout idipſum in Apologia mea pro eodem divo Martyre adverſus Lutheranum Superintendentem *Dresdenſem*, Ann. 1730. typis vulgata, pluribus ſolidè

 oſten-

oſtendo. Tu denique *Dive Joannes Nepomucene Proto-Martyr pœnitentiæ, Thaumaturge Regni Bohemiæ*, tu inquam occultô me ductu ad elucubrandam hanc vitam deſtinâſti; dum teneris Sacerdotii. Annis per Archivorum, & Bibliothecarum adita, ſolerti manu antiquitatis fragmina collectanti, & ſæpiùs tacitè meipſum interroganti, ut quid labor iſte? in quem finem hæc agis? palam oſtendiſti, quam mirabili ordinatione, ea omnia inſcriptionem hanc appoſitè æquè, ac eleganter te ducente dimenſa fuerint, & determinata. Cùm nihil propè aliud collectum olim, nunc reperiam, quàm quòd nitidè quadret, & ſe ipſum aptet. Tibi igitur has vigilias, laboréſque meos conſecro, & devoveo. Homines hujus mundi beneficiorum immemores, retribuunt mala pro bonis, odium pro dilectione. Tu de cœlica Beatitatis tuæ Sede gratus rependes omnia. Tuere me, & ſtudium hoc meum adverſus eos, qui ſibi ipſis ſapientes viſi, cuncta quæ ab aliis prodeunt, elatô ſuperciliô explodunt, & invidiosè traducunt, *divites* (*Valer. Max. lib.* 4.) *alienis jacturis, locupletes calamitatibus, immortales funeribus.* Qui etſi dona quidem fortunæ. & conditionis per invidiam abripere poſſint, virtutem tamen & eruditionem non poſſunt. Dicente in hunc locum peregregiè *Joanne Pierio de Literatorum infelicitate lib. 2. ad fin. Hos ego nunquam miſeros, aut calamitoſos dixero, qui felicitate ingenii, honeſtisque laboribus, & aſſiduis vigiliis id conſecuti ſunt, id vitæ ſuæ præſidium comparârint, quod neque fortunæ temeritas, neque ulla inimicorum injuria labefactaret.* Tu verò Benevole, ac Erudite Lector magni hujus Thaumaturgi vitam ſedulò labore conſcriptam æqui, boníque conſule, & vale.

CATA-

CATALOGUS
Authorum, & Monumentorum, è quibus hoc opus eſt concinnatum.

MANUSCRIPTA.

A*Rchivum Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* ad ſex ſæcula ſe extendens, etsì An. 1142. & Ann. 1541. incendiô, ac aliquot hoſtium incurſibus mutilatum ſit, egregiis nihilominus res Eccleſiaſticas concernens, iíſque membraneis monumentis, Cæſarum, Regum, ac Pontificum literis, bullis, & privilegiis refertum eſt. Perluſtravi Ann. 1711. & ſeq.

Archivum Eccleſiæ, & Capituli Wiſſehradenſis inchoans Ann. 1068. continet γνήσια Veterum Ducum, & Regum *Bojemiæ* documenta, ſplendidámque hiſtoriæ Regni ſuppellectilem, cùm Præpoſitus ſemper fuerit Cancellarius Regis. Perluſtravi Ann. 1715.

Archivum Epiſcopale Reginæ-Hradecenſe ab An. 1664. perluſtravi, dum eſſem ab Epiſcopalibus ſecretis An. 1714. *Chriſtanni Ord. S. Benedicti, Boleslai Sævi* Ducis *Boëmiæ* filii, *Vita S. Ludmillæ*, & *S. Wenceslai*, dedicata *S. Adalberto* Secundo Epiſcopo *Pragenſi.* Qui eſt primus Bojemiæ Scriptor, editus nuper à *Balbino Epitom. lib. 1. cap. 10.* at diſpar in multis locis membraneo Autographo Eccleſiæ Metropolitanæ.

Vita S. Adalberti Ep. M. in Membr. Cod. ab Autore Anonymo inchoans: *Naſcitur purpureus flos Bojemicis terris.* finiens: *Cui fuêre, ſunt, & venient pulchrâ facie immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.* Item *paſſio S. Adalberti*, itidem Anonymi quæ incipit:

Quatuor immenſi jacet inter climata mundi,
Terra potens magnæ quondam Germania famæ.

Coſmæ Decani *Eccleſiæ Pragenſis, Hiſtoriæ Bojemorum libri tres*, à *Borzivojo* primo Chriſtiano Duce usque ad An. 1125. quo 21. Octob. *Coſmas* obiit, deductæ. Edita typis à *Marquardo Frehero* An. 1607. in quibusdam tamen locis diſſonans à membraneo Autographo *Eccleſiæ Pragenſis.*

M. S. Vetuſtum de Anno Domini 1389. Teutonicis rhytmis geſta Ducum, & Principum Bohemiæ deſcribens, incipiendo à *Primislao* Agricola Stadicenſi. *Bibl. Capit.*

Vincentius Canonicus Pragenſis, & *Vladislai* Regis Notarius (quem ego primus in lucem vindico) ſcribit geſta *Vladislai* ad *Mediolanum* ab Ann. 1140. usque ad Ann. 1197.

Jaroslaus Canonicus Pragenſis, poſteà *Præmonſtratenſis* in monte *Sion.* orditur Supplementum *Coſmæ: Annô Domini mill. CXXVI. Sobieslaus venit in Moraviam*, & finit Ann. 1283. *Bibl. Capit.*

Franciſcus Canonicus Pragenſis & *Wiſſehradenſis*, ac Rector quondam Scholæ in *Wiſſehrad* inchoat ſuam Chronicam ab Actibus *Wenceslai Monoculi*, tribus partibus conſtantem, & dedicat *Joanni IV.* & ultimo Epiſcopo *Pragenſi*, Ann. 1341. Annô ordinationis ſuæ quadrageſimô.

Beneſſius ſeu *Benedictus de Weitmül Canonicus Pragenſis* ſcribit ab Ann. 1283. usque ad An. 1374. & librum IV. in vita *Caroli IV.* conſumit. *Bibl. Capit.*

Petri de Zitavia Abbatis *Aulæ Regiæ* Chronicon, floruit ſub *Joanne Boëmiæ* Rege, fuitque *Eliſabethæ* Reginæ Matri *Caroli IV.* à ſacris circà Ann. 1330. extat MS. typis etiam datum à *Freher.* Ann. 1607.

Cancellaria Caroli IV. conſtans variis literis MS. fol. *Archiv. Capit. Prag.*

Vita Caroli IV. ab ipſomet Imperatore conſcripta extat M.S. & typis data à *Freher.*

Copiarium literarum publicarum M. S. fol. ibidem.

Libri Erectionum grandia volumina continentes ab An. 1358. usque 1419. fundationes Altarium, Sacerdotiorum &c. Archi-Diœceſis Pragenſis. *Archiv. Capit.*

Przibislai Pulkava de Tradenin Rectoris ſcholæ *S. Ægydii Vetero-Pragæ* Chronicon *Bojemiæ*, *Caroli IV.* Imp. temporibus conſcriptum. Extat apud me.

Bartoſſek ſeu *Bartholomæi de Drahonicz* hiſtoria ſui temporis ab Anno 1419. & finit Ann. 1443. apud me.

Pauli Zidek Canonici Pragenſis, & deſignati Epiſcopi *Lytomislenſis*, ac fortiſſimi fidei Catholicæ ſub *Georgio Rege* Hæretico Confeſſoris, libri tres Conſiliorum ſcripti An. 1471. *Bibl. Capit.* Hoc Manuſcriptum diu quasi deperditum, à me fuit reinventum An. 1712. Ejus copia extat etiam in Bibliotheca Waldſteiniana.

Chronica Martiniana Latina & Bojemica alia aliis auctiora. *Bibl. Capit.*

Chriſtophori Manlii Commentarius Rerum Luſaticarum lib. VII. Scriptus Ann. 1571. apud me.

Vetus Quaternio ex antiquis tabulis Regni continens extractum tabularum ab exordio Ann. 1321. apud me.

Chronica Bojemiæ Anonymi ſermone Slavicô ſcripta ab Ann. 1207. usque ad Ann. 1524. apud me.

Regiſtrum Archivi Regii in Arce Karlſtein confectum Ann. 1466. die Jovis poſt *S. Remigii.*

Chronicon ſemper Catholicæ Civitatis Plznenſis ab exordio Urbis usque ad An. 1680.

Thomæ Peſſina Diſſertatio de Epiſcopis & Archi-Epiſcopis Pragenſibus, & varia fragmenta hiſtorica. Item Epiſtolæ.

Chronica Civitatis Neo-Boleslavienſis M. Georgii Bidzovii Picarditæ ſeu de Unione fratrum, ab exordio Urbis usque ad Ann. 1654.

Hiſtorica Analecta Guilielmi Erzveiler Canonici Wiſſehradenſis.

Chronica Civitatis Launenſis M.S. ab An. 1490. usque ad An. 1632. Authore *Paulo Mikſsovicz*, qui eodem Anno, die 10. Februarii obiit.

Vandalo-Bojemia ſeu nova gentis Slavicæ Hiſtoria *Maximiliani Rudolphi à Schlenicz Proto-Epiſcopi Litomericenſis.* Tom. 2.

Manuſcripta Archivi Monaſterii ac Epiſcopatûs Litomyslenſis fol. apud me.

Extractus ex Manuſcriptis grandibus quatuordecim Tomis *Guilielmi Slavatæ* Supremi Cancellarii Reg. Bojem. de rebus geſtis ſui temporis.

Epitome, rhapſodiæ, collectanea, fragmenta, analecta, & id genus varia ex Bibliotheca *Eccleſiæ Pragenſis*, & alibi hinc inde congregata.

AUTHO-

AUTHORES IMPRESSI.

Æ*Neæ Sylvii*, ſeu *Pii II.* Pontificis *Hiſtoria Boëmorum* Vet. Edit.

Joannis Dubravii Epiſcopi *Olomucenſis Hiſtoria Boëmiæ* ex *Edit. Hanov.*

Bohuslai Baronis de *Lobkovicz*, deſignati Epiſcopi *Olomucenſis Epiſt. Edit. per Thomam Mitem.*

Wenceslai Hagek Canonici Eccleſiæ Pragenſis, *Hiſtoria Boëmiæ* Edit. *Micro-Pragæ* An. 1541. dedicata *Ferdinando I. Rom. Imp. & Bohemiæ Regi.*

Procopii Lupacii Ephemerides Bojemiæ Edit. *Pragæ* An. 1584. dedicat. *D. VVilhelmo à Roſenberg* Supremo *Regni Bojemiæ* Burggravio.

Joannis Cochlæi Hiſtoriæ Huſſitarum libri duodecim Edit. apud *S. Victorem* propè *Moguntiam* Ann. 1549.

Georgii Bartholdi Pontani à Breittenberg Præpoſiti Metropolitanæ *Eccleſiæ Prag. Bojemiæ piæ*, Libri VII. ex *Edit. Hanov.* Ann. 1608.

Danielis Adami Weleslavina Calendarium Hiſtoricum Bojemiæ edit. *Pragæ* An. 1590.

Auguſtini Moravi J. U. Doctoris Catalogus Epiſcoporum Olomucenſium.

Martini Boregk Vratislavienſis Hiſtoria Bojemiæ Teutonicè Edit. Annô 1587. dedicat. *Rudolpho II. Rom. Imp.*

Bartholomæi Paproczky, Equitis *Poloni* & Catholici *Diadogus*, ſeu *Stemmatographia Bojemiæ*, Civitates Bojemiæ. Item ejusdem *Speculum Moraviæ*, quæ 30. Annis elaboravit, & *Rudolpho II. Imper.* dedicavit.

Bohuslai Gitzinczky programmata Academiæ Pragenſis, quæ ſcilicèt ibi publicè in Auditorio dicta fuêre ab Ann. 1610. usque 1615.

Pauli Stransky Sectæ Piccarditicæ *Reſpubl. Bojema* Edit. *Lugd. Batav.* Ann. 1643.

Simonis Capihorsky, *Ord. Ciſterc. Hiſtoria Monaſterii Sedlecenſis* Edit. *Pragæ* An. 1630.

Auberti Miræi Canonici Antverpienſis de rebus Bojemicis Liber Singularis Edit. *Lugd.* Ann. 1621. dedicat. *Joanni Lohelio Archi-Epiſcopo Pragenſi.*

Phœnix Incineratus, ſive origo, progreſſus, & everſio Monaſteriorum Ordinis *Ciſtercienſis* in Regno *Bojemiæ* Edit. *Vien.* Auſtr. 1647.

Uſta ad Albim delineata Carmine *Joannis Auguſtini Tictembaum.* Edit. *Pragæ* Ann. 1614.

Gloria Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis per Encomia triginta tria, producta in Aula Carolina Ann. 1672.

Roſa Bojemica, ſeu vita *S. Adalberti Epiſc. M. Mathiæ Boleluczky* Parochi ad *S. Adalbertum Neo-Pragæ* Edit. *Pragæ* 1668. dedicat. *Matthæo Ferdinando Archi-Epiſcopo Pragenſi.*

Thomæ Peſſina, Decani Pragenſis, & *Epiſcopi Samandrienſis Mars Moravicus*, ſeu Hiſtoria *Moraviæ* lib. 7. Edit. *Pragæ.* Anno 1677.

Ejuſdem *Prodromus Moravographiæ Litomyſlii* Ann. 1663.

Ejuſdem *Phoſphorus Septicornis*, ſeu hiſtoria Eccleſiæ Metropol. Prag. Edit. *Pragæ* Ann. 1673.

Bohuslai Balbini S. J. Epitome Rer. Boj. Edit. *Pragæ* Ann. 1677.

Ejuſdem *Vita Arneſti Primi Archi-Epiſcopi Pragenſis* Edit. *Pragæ* Ann. 1664.

Diva Montis ſancti, & *Diva Wartenſis* edit. Ann. 1665. Ejus *Miſcellanea* maximè *Decad. 1. lib. IV. & VII. & Decad. 2. lib. I. &c.*

Veſtigium Bojemiæ piæ Alberti Chanovsky S. J. Edit. *Pragæ* Ann. 1689.

Georgii Crugerii S. J. Sacra memoriæ Regni Bojemiæ per modum Calendarii à Januario usque ad Octobr. Edit. ab Ann. 1669. & ſeq.

Joannis Hammerſchmid, Canonici VViſſehradenſis & *Vetero-Boleslavienſis*, Parochi ad Beatam Virginem in *Tein Vetero-Pragæ*, Sacerdot. Jubilati, *Hiſtoria Wiſſehradenſis*, *Klattovienſis*, & *Monaſterii S. Georgii in Caſtro Pragenſi.* Edit. *Pragæ.*

Joannis Beczkovsky, *Milit. Ord. Crucig. cum rubea Stella Cronicon Boëmiæ* Edit. *Pragæ.*

Acta Sanctorum Bollandi, maximè *Tomus III. Maji*, Continuatoribus *Godefrido Henſchenio* & *Daniele Papebrochio S. J.* Edit. *Antverp.* Ann. 1680.

Acta utriusque Proceſsûs, in cauſa Beatificationis *S. Joonnis Nepomuceni*, Authoritate Ordinarii fabricati & *Romæ* impreſſi, in Originali.

Theſaurus Sacer, ſeu vitæ SS. Patronorum Regni *Bojemiæ*, *Matthæi Ferdinandi Archi-Epiſcopi Pragenſis* dedicat. Imperatrici Claudiæ Felici Ann. 1673.

Simonis Flagelli Canonici Pragenſis Hymni Sacri Edit. *Lipſiæ* Ann. 1538.

Vita & Mors D. Joannis Nepomuceni per *Wenceslaum Macarium Pragenſis Eccleſiæ Scholaſticum.* Edit. *Pragæ* Ann. 1684.

Ejuſdem *Gallus S. Viti cantans* Edit. *Pragæ* Ann. 1687.

Fama Poſthuma S. Joannis Nepomuceni Edit. *Pragæ* Ann. 1641.

Vita S. Joannis Nepomuceni Auth. *Joanne Chriſtophoro Baczina Canonico Vetero-Boleslavienſi* & Parocho ad *S. Stephanum Neo-Pragæ.* Edit. *Pragæ* Ann. 1686.

Item Authore *Joanne Beczkovsky.*

Jacobi Wenker Apparatus Archivorum Edit. *Argentorati* Ann. 1713.

Ejuſdem *Archivi Jura* Edit. Ann. 1715.

Stanislai Ridl, Decani Nepom. libellus Confraternitatis Edit. 1690.

Petri Drauskovii Decan. Nepom Vita *S. Adalb.*

Joannis Georgii Stredovsky Pavlovicenſis Parochi *Sacra Moraviæ Hiſtoria* Edit. Ann. 1710.

Wenceslai Czervvenka Notitia Collegii Convictorum Edit. *Pragæ* Anno 1674.

Et alii plures Authores, quorum primarios ideò recenſui, ne hoc opus, legitimâ authoritate deſtitutus confeciſſe exiſtimer.

AD

AD ZOILUM.

QUid laceras linguâ? quid fixo dente libellum,
Si minùs ipſa placent Zoile! fac melius.
Incorrupta meum, dum lingua tuetur honorem,
Dentes invidiæ, Zoile! non timeo.

PRO-

PROTESTATIO AUTHORIS.

INſiſtendo Decreto *SS. D. N. Urbani VIII.* die 13. *Martii* An. 1625. ejúsque confirmationi die 1. *Julii* An. 1641. editis debitâ obſervantiâ, & reverentiâ, profiteor non aliô ſenſu, quidquid in hoc opere, in laudem cujusqvam refero, quod ſpeciem Sanctitatis, aut miraculi habere videatur, accipere vel accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem Divinâ *Catholicæ Romanæ Eccleſiæ* aut *S. Sedis Apoſtolicæ* nitantur. Iis tantummodo exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

DE

DE VITA S. JOANNIS NEPOMUCENI, MARTYRIS.

LIBER I.

Ejus ortum, educationem, ſtudia, ſuſceptum Sacerdotium, curam animarum prædicandi zelum, præbendam Canonicatus, confeſſarii, & Eleemoſynarii Regii munera, perpeſſa ob Sigillum confeſſionis tormenta, martyrium, Sanctam mortem, ac ſepulturam complectitur.

CAPUT PRIMUM.

Origo Montis Viridis, & Oppidi Nepomuceni, ad quod Henricus II, Dux Bojemiæ Ordini Ciſtercienſi primum in hoc Regno fundat Cœnobium.

INter clara Regni *Bojemiæ* oppida egregiâ ſe dudum laude evexit *Nepomocum*, ceu (ùt Veteribus placet) *Pomucum Divi Adalberti* Epiſcopi, & Martyris hoſpitiô conſecratum undis cæleſtibus irrigatum monaſteriô diſciplinæ Ciſtericienſis opúmque fœcundiſſimó adornatum; demum ab natali exortu *Joannis* à loco iſto *Nepomuceni* cognominati immortali per totum Chriſtianum Orbem famâ longè latéque divulgatum. Eſt hæc circuli *Klattovienſis* olim, nunc *Plsnenſis* urbecula decem & unô lapide (milliaria Vulgus vocat) à *Praga* Metrópoli, diremta, átque monti, antiquiſſimis eremittici inſtituti manſionibus, cultúque *Dei Matris* multis retrô ſeculis frequentato, ùt proximè ſubjecta. Ad hunc locum denſis ſylvarum tractibus inacceſſum, & ſolitudine horridum, Annô circiter quintô aut ſextô *Boleslai* Secundi *Bojemiæ* Ducis divertit cum aliquot So-

ciis Vir magnæ devotionis *Brzimota* nomine (a) qui ut fallaces ſæculi illecebras, ac gliſcentia Gentilium in Chriſtianos odia ſecuriùs devitaret, ad eremum velut *Paulus* profugit, ac ædificatis in cacumine tuguriolis excitatáque fidelium eleemoſynis *Divæ Virginis* ædiculâ, divinis contemplationibus ſuavem vitam vixit. Intereà *ſanctus Adalbertus* vulgò *Woytechus Slavnici Comitis Libicenſis*, & *Strzezislavæ filius* (qui *poſt Dithmarum primum Bojemiæ Epiſcopum* An. 979. piè vitâ lunctum (b) ſecundus Epiſcopalem Cathedram Sanctiſſimè rexerat) *Româ* è Cœnobio *SS. Bonifacii* & *Alexii* redux cum *Gaudentio* uterino fratre ſuo, (c) & reliquis quinque fratribus *Benedicto*, *Matthæo*, *Iſaac*, *Joanne*, & *Chriſtino*, nec non *Barnabâ*, Annô 988. propè oppidum *Domazlicz Bojemiam* ingreſſus, in ſolitudinem declinavit.

(a) Wencesl. Hagek Chron. Boëm. ad An. 977. fol. 89.

(b) Thom. Peſſina Phosph. Rad. 5. fol. 596.

(c) Anonym. Suri in vita S. Adalb. cap. 5.

Jam ſextus Annus elapſus erat, à quo Cœlum velut ære fuſum pluviam denegârat *Bojemiæ*, quam ùt refractariam obedire mandatis fidei, Eccleſiaſticis anteà innodaverat vinculis *Adalbertus* (d) ùt primùm ſancti Præſulis adventum ſenſit *Brzimota* ingenti animi lætitiâ cum ſuis obviam effuſus, Epiſcopum humiliter ſalutando in eremitorium deduxit. Priusquam montem aſcenderet *Woytechus*, ſubtus duriſſimo lapidi *pedis veſtigium impreſſit*, & ebullientem è monte *fonticulum* (*qui usque hodie Woytechi nomen tenet*, & in uſus *Brzimotæ*, & fratrum ſervierat) mirabili ſanativâ virtute dotavit. Ad petræ faſtigium eluctati déque felici ad gregem ſuum reditu Epiſcopo gratulati, divinas ſubito laudes ſonat *Brzimota*, atque hymnum *D. Ambroſii* cum fratribus ſuis intonat. (e) Tam dulci jubilò provocati *Gaudentius* Uterinus frater Epiſcopi, & reliqui quinque fratres Ordinis *S. Benedicti*, paribus animis, & vocibus hymnum Superis amatum devotiſſimè proſecuti ſunt. Poſt Divinas laudes Beatus Antiſtes macilentam viciniam, exſuctos agros, pallidáſque Sylvas, & Senili canitie ſquallentem faméque exanimatam penè provinciam eminùs intuendo, ſubitò mente commotus eſt. Nè Chriſtianæ plebis totiúsque regni facies lamentabilis commiſerantem diutiùs torqueret, in editiorem montis ſcopulum (cui ſacræ iterum ſituationis ſignacula usque hodie viſibilia impreſſit) aſpectantibus fratribus aſcendit, atque ad quatuor mundi plagas (f) cruce formatâ totum regnum à vinculo excommunicationis abſolvit, atque ſuper univerſum populum plenum ſacratæ manûs benedictionem effudit (g) Cœlum ſtatim, atque *Woytechus* Eccleſiaſtici vinculi nodum ſuſtulerat, nubibus obduci viſum, ſtillare ſubitò,

(d) Math. Bolelucz in vit. S. Adalb. cap. 10.

(e) Hagek locô cit.

Præcipitéſque ruunt liquefactis nubibus imbres, eâ fœcunditate quòd pleraque loca ſtagnaverint. Accidiſſe hoc prodigium menſe *Aprili* in *Octava Paſchæ* vetus Nepomucenſium habet traditio. (h) Inde *Bojemia* omnis ſuum Præſulem rediiſſe cognovit. Refocillatis rore cœleſti Provinciæ agris, viruêre ſubitò omnia. Et mons quidem, in quo Præſul *Woytechus* Regno benedixerat in virorem prorupit primus, quia primus, & omnium maximè proximus ſupernam benedicentis virtutem hauſerat. Cujus prodigii, nè ſera poſteritas monumentô careret montem ipſum à primo ille virore, viridem nominarunt (i) & nomen iſtud usque adhuc retinet.

2. Accolæ porrò Chriſtiani de Villa *Studenecz* ſeu à fonte, hodie civitati *Klattovienſi* ſuburbium eſt Zephyrum versùs) quam duo fratres *Bozdiechus* & *Vitan* ditione tenebant, & inde *Studenecii*, tandem à baptiſmatis fonte, quo eos *Adalbertus* operâ *Suetislai* Sacerdotis Chriſtianô ritu abluerat, *Fontini* cognominabantur, amore ſancti Præſulis, miraculíque memoriâ moti, ad pedem

(f) Drauskovv. Decan. Nepom. in vit. S. Adalb. cap. 23. Georg. Ridl Decan. Nep. Confrat. Libell. Stella I.

(g) Barthold Pontan. Boëm. Piæ lib. 3 §. Adalb. Dubraw. lib. 6. & ex eo Boregk in Bolesl. pio.

(h) Drauskow in vit. S. Adalb. loc. cit.

(i) MS. vit. S. Adalb. in membr. cod. Biblioth. Capit. Prag.

dem montis, quò orientem reſpicit, ſedes fixêre, atque exſectis Sylvis, exſtructis coadunatis pluribus caſis, loco nomen à madore illo cœlitus impetrato *Pomuk* (k) impoſuêre. Nam *Vitan* alter fratrum (cujus manuductu proprii etiam Parentes *Rohmilus*, & *Slavonca* Domini villæ *Studenecz* ab idolis ad Chriſtum perducti fuerant) tantâ grati animi veneratione in *S. Woytechum* ferebatur, ut eum non modò in difficili illo Romano itinere, ùt fidus Achates comitari, ſed & poſt glorioſum An. 997. *nono Kalendas Maji* pro Chriſto perpeſſum Martyrium, dedicatâ nomini ejus in pago ſuo *Studenecz* Eccleſiâ, honorare conſtituerit. *Et hæc ex originibus Klattovianis*, quas *Rothomanus* primus ibi Ordinis *S. Benedicti* Abbas, conſcripſiſſe fertur, habemus. (l) In quibus quidem Originibus *Vitanus* multò cultior eruditiórque *Bozdiecho* notatur, utpote qui plurimam ætatem in aula *Boleslai* cognomentô *lenis* Ducis *Bojemiæ* ac etiam in Romana curia vixit; in eo tamen uterque frater laudabiliſſimus, quòd non minori zelô, ac labore Chriſtianam fidem per iſtas *Bojemiæ* oras optimô profectu primi invexerint, & dilataverint. Emigrantibus ità *Studeneciô Pomucum* Chriſtianorum coloniis, non vanè conjicimus eveniſſe, quòd Patronus ſeu titulus Eccleſiæ Parochialis *Nepomucenæ*, idem qui Eccleſiæ pagi *Studenecz* permanſerit. Nam poſteaquam tota *Studenecenſium* familia fidem *Chriſti* ſuſcepiſſet, atque delubrum *Clyvinæ*, quod erat idolum muliebre in colle *Studenecenſi* ſitum dirui feciſſet, eodem in loco *Chriſto Domino* Eccleſiam dedicavit, quam memoratus Sacerdos *Svictislaus Studenecenſium* Apoſtolus cum Licentia Epiſcopi *Adalberti*, in Feſto Apoſtoli *Jacobi Majoris*, ſub titulo ejuſdem Patroni, Ann. 983. ritu Chriſtianô benedixit, atque in Eccleſiam Parochialem erexit (m) Idcircò *Pomucenorum* Colonia ſuæ Matricis Indigetem *ſanctum Jacobum Apoſtolum*, quo magìs originis veſtigia premeret, ſecum aſſumpſiſſe, eidémque ut *Studenecii* in colliculo *Pomuceno* Parochiale templum, quod fors pari modò *Svictislaus* benedixerat, excitâſſe videtur. Utrasque *S. Jacobi*, ac *S. Adalberti* Eccleſias in ſuburbio Civitatis *Klattovienſis* perſiſtere, & Chriſti fidelium devotionibus frequentari teſtatur *Hiſtoria Klattovienſis*. (n)

(k) Pomuk ab antiquo Moknoti, ſeu Muknuti, quod Slavicè madidare ſignificat, provenit Pomoknauty aut Pomuknuti, tandem inde Pomuk, id eſt mador.

(l) Rothom. in Origin. Klat. & Joan. Klattowsky lib. de Fund. Urbis Klatt. edit. 1599. Item MS. Drauskow. Decan. Nepom.

(m) Paproczky in Stat. Civ. de Klatt. fol. 224.

(n) Florian. Hamerſchm. in Hiſtor. Klattovienſ. part. I. cap. 11.

3. Ità demum originem oppidi *Nepomuceni* in Annum *Chriſti nongenteſimum octogeſimum nonum* rectè conjicimus. At ſicut omne initium tenuè, ità primitùs quoque paucas præcone dignas voces in Regno emiſerat *Nepomucum*. Ut primùm verò in juſtam oppidi formam coaluiſſet, jura Curiæ Conſulum, Senatorúmque prærogativam fori, ac Syndici nactum fuiſſet, egregiè florere incæpit; Plurimùm amatum, & auctum à *Principibus Klattovianis*, à quibus tandem (ùt paulò pòſt referam) totum quantum Deo dedicatum, atque ob ſanctas loci memorias in patrimonium Eccleſiæ poſitum fuit. Non ſunt tamen hìc audiendi (o) qui præter duo illa Ordini *Ciſtercienſi* iſtis ædificata cœnobia, quorum unum ſub, alterum in *viridi monte* ſubſidebat, tertium adhuc in oppido *Pomuk* ejuſdem inſtituti commentantur, nam id neque ullâ authoritate ſcriptorum Patriæ, nec memoriâ ruderum, aut loci, ubi ſtetiſſet demonſtrare poſſunt. Quo circà probatiorem numerum Monaſteriorum Ciſtercienſium Regni *Bojemiæ* exceptis Præpoſituris, do ſequentem.

(o) Auth. Phænic. Incinerat.

Monaſteria Ciſtercienſium in Regno Bojemiæ.

Annô 1143. SEDLECIUM fundatum à *Miraslao* Dynaſta *Bojemiæ*. Filia Waldaſſi.

1146. *PLASSIUM* Fundatum à *Wladiſlao II.* Duce *Bojemiæ*, dein Rege, Filia *Lankheimii.*

1196. *OSSECUM* Fundatum à *Zlavcone* de *Kiſenburg* & *Oſſek*, Filia *Waldaſſii.*

1234 *ZARA* Fundata à *Boczkone* de *Bernek*, Filia *Nepomuci.*

1259. *ALTO-VADUM* Fundatum à *Petro Wok Urſino* de *Roſenberg*, Filia *Hilarienſis Cœnobii* apud *Auſtrios.*

1263. *AUREA CORONA* Fundata ab *Ottogaro* Magno Rege *Bojemiæ*, Filia Cœnobii *S. Crucis* apud *Auſtrios.*

1296. *AULA REGIA* Fundata à *Wenceslao VI.* Rege *Bojemiæ*, Filia *Sedlecii.*

1357. *SCALICIUM* Fundatum à *Theodorico de Cagelmind Præpoſito Wiſſehradenſi*, Filia *Sedlecii.*

PARTHENONES.

1265. *FRAUENTHALIUM* Fundatum ab *Utha* & *Ludmilla* Sororibus *Berkianæ* Familiæ,

Hæc hactenus inhabitantur, & laudes divinas ſonant, tametſi non eô ſplendore ùt primitùs erant fundata. Sequentia verò ægrè adhuc è ruderibus ſua nomina defendunt: nempe *SACER CAMPUS* in ora *Reginæ Hradecenſi*; *GRADICIUM* ſeu *HRADISTIUM* inter *Novam Boleslaviam* & *Turnovium*; *BISTRICIUM*, *CAMENECIUM* *LESKOVICENSE*, *SUCTELA*, & denique *NEPOMUKUM* ſeu ſub *viridi monte.* E Parthenonibus: *RZEPORIUM*, *GILEMNICIUM* in patria *Arnavienſi*, *SEZEMICIUM* poſt montem *Cunaci*, ubi adhuc è ruderibus extat elegans Eccleſia, nunc Parochialis, habens ad latus operis Gothici Capellam, ad quam è parthenone porta ad chorum ducens etiamnum conſpicitur, & demum in *VIRIDI MONTE.* Hæc ſunt Cœnobia *Ordinis Ciſtercienſis* in Regno *Bojemiæ.* Porrò id ſit certiſſimum ſacrum *Ordinem Ciſtercienſem*, ſi ullibi in toto regno profectò in hac patria *Nepomucena*, fundatione longè ditiſſima condecoratum fuiſſe. Enim verò non ſolùm oppidum *Pomuk*, ſed & plurima vicinia, & tractus ille totus, qui olim *Pomucenum*, hodiè verò *Virido-Montanum* dominium dicitur, ut taceam innumera vaſallagia, Clientelas, & annuos cenſus è locis peregrinis eò depenſis, ad eandem pertinebant.

4. Nec credendum hujuſmodi divitias ſinè conſilio fundatoris fuiſſe huc congeſtas. Lex enim fundationis ſonabat, non alias quàm plerumque Regiâ Ducali, aut Principum, Comitúmque illuſtri proſapiâ ortas perſonas, quæ ſpretò ſæculi faſtu in religioſa humilitate *Chriſto* vivere ſtatuerant, ad aſceterium aſſumere. Inde etiam ad Epiſcopales Tiaras promovebantur ex hoc Monaſterio. An non ex *Pomuco Robertus* ille natione *Britannicus*, claris natalibus ortus, Prioris inibi officio fungens ad Epiſcopalem *Olomucenſis* Eccleſiæ Cathedram, ipſius quoque *Wladislai* Marchionis *Moraviæ* deſideriô fuit evectus, & Epiſcopus ordine decimus quintus deſignatus? quem cum *Auguſtinus Præpoſitus Olomucenſis* (p) virum excellenti literaturâ præditum, magnâ prudentiâ, & gravitate inſignem aſſerat, teſtimonium redditur, præter nobilitatem generis etiam doctrinam inſigniter *Pomuci* floruiſſe. *Ab hoc* (inquit *Joan. Dubravius* (q)) *Præpoſitura Olomucenſis inſtituta, rebúsque neceſſariis liberaliter inſtructa fuit. Hic ſarcophagum D. Chriſtini, aurô & argentô veſtitum, gemmis pretioſis undique diſtinctum, pulcherrimò opere cælatum, magnis ſumptibus, & impenſis Eccleſiæ ſuæ contulit, Crucémque pretioſiſſimam duodecim marcarum auri à Wla-*

(p) Aug. Præp. in Serie Epiſc. Olomuc. M. Boregk Hiſt. Boëm. fol. 202.

(q) Dubrav. hiſt. Boëm. lib. 15.

Wladislao Marchione pro Eccleſia ſimiliter dari obtinuit: plura ibi. Mortuus fuit *Robertus decimô ſextô Calendas Novembris* An. *Chriſti ducenteſimo trigeſimo ſecundo* ſupra *milleſimum*, & in *Velegrado* ſepultus. Duo itáque hîc ſtetêre Monaſteria *Ordinis Ciſtercienſis*, unum in ipſo *Viridi Monte* ſub titulo *B. MARIÆ Virginis* pro Virginibus commendatum à Præpoſito, & alterum ſub *Viridi Monte ſub Patrocinio S. Margarethæ V. & M.* pro Viris gubernatum ab Abbate, hæc eſt communior recentiorum poſt *Hagekum* opinio. Verumtamen notandum, quòd licèt re ipſa duplex Monaſterium fuerit, neutiquam tamen ſeparatim ſed conjunctim, ſub uno nomine *Pomuk* in omni retrò antiquitate audiat (r) quòd fortè ſub unius Abbatis Supremâ poteſtate utrumque ſteterit. In Archivo *Metropolitani Capituli Pragenſis* inveniuntur aliquot contractus membranei Sigillis Abbatis, & Conventûs *Nepomuceni* ex utroque latere pendentibus. Utriusque Sigilli forma, *Divam Virginem Jeſulum* geſtantem, ſub turrito operis Gothici throno exprimit, cum circulari inſcriptione in dextro: *Robertus Abbas Beatæ Virginis in Pomuk*: in ſiniſtro: *Sigil: Prioris & Conventûs Beatæ Virginis in Pomuk.* Ann. 1325. Et in aliis literis An. 1379. *Heidenricus* Abbas legitur. Eodem Sigillô ab Abbatibus accepto usque hodie utitur oppidum *Nepomuk* id ſolùm immutatum referens, quod præter *Divam Virginem Jeſulum* in ulnis geſtantem adjectam habeat Eccleſiam, in cujus porticu dicta Beata Virgo collocata eſt, cum inſcriptione: *Sigillum oppidi Nepomuk 1413. reparatum 1560.*

(r) Vide Hagek in conſignat. Monaſt.

5. Magna præterea per Nepomucenum Cœnobium *Bojemiæ* increvit gloria, quòd omnium primùm *S. Bernardi* favum Regno intulerit. Ecquidem non diffitemur Monaſteria *Sedlecium & Plaſſium* tempore, quo *S. Pater Bernardus* adhuc in vivis agebat ſuos fuiſſe ſortita exortus, *Pomukum* tamen longè ante, decenniò videlicet citiùs Ciſtercienſes ſuas Colonias ex *Ebcraco Oſtro-Franciæ*, & Diœceſis *Herbipolenſis* Cœnobio in *Bojemiam* traduxit. Audiamus, quid de hoc *Caſparus Bruſchius* in *Chronologia Monaſteriorum Germaniæ* conſignaverit: (s) *habebat Abbas* (ait) *ejus loci* (videlicet *Ebracenſis* ſeu *Loricenſis*) *ſub ſe & viſitatione ſua alias potentes Abbatias Monachorum ſeptem, Runam in Styria, Langheimium in Voitlandiæ Montanis, fontem ſalutis in Marchionatu Brandenburgenſi, Nepomukum in Bojemia, Aldersbachium in Bavaria.* Et *fol.* 146. *Adamus de Colonia Agrippina accerſitur ad Monaſterii hujus gubernacula An.* 1127. *Vir probatæ Virtutis ac Sapientiæ*: *ità enim teſtantur de eo Epiſtolis quibusdam D. Bernardus & Albertinus Abbas Ciſtercienſis. Præfuit piè & laudabiliter 34. annis. Conſtruxit in ſeptennii ſpacio Eccleſiam, quam Würzburgenſis Antiſtes Embrico A.* 1134. *conſecravit. Huic aliæ decem Ciſtercienſis inſtituti Abbatiæ eodem ferè tempore* (nempè An. 1134. *in aliis Germaniæ Provinciis erectæ, tanquam Patri, ac Primario Inſpectori Monaſticæ vitæ ac diſciplinæ commendatæ ſunt, quas ſupra nominavimus.* Hanc *Bruſchii* circà annum fundationis mentem approbat Pat. *Balbinus* (t) Ex quibus liquet, quod cum *Nepomukum* jam A. 1134. ad *Ebracenſem* Abbatem in *Franconia* Principem ùt Supremum monaſticæ vitæ ἔπαρχον pertinuerit omnium in Regno *Boëmiæ* Ciſtercienſis Familiæ Monaſteriorum eſſe primum, & adeò antiquiſſimum. Nec eſt, quod nos ancipites reddat *P. Georgius Crugerius*, qui (u) Nepomucenæ Fundationis Annum ponit 1145. aut etiam *Caſparus Jongelinus*, qui habet An. 1146. intelligi poſſunt, de ultima plenáque ædificiorum, cæterarúmque Monaſticarum neceſſitudinum perfefectione ac ſtabilitione. Ecquis enim ignorat in fundendis Monaſteriis, ubi ſæpius graviſſima impedimenta

(s) Caſp. Bruſch. Poët. Laur. in Chronolog. Monaſt. Germ. Cent. 1. in Ebrac. fol. mihi 145.

(t) Balb. in Auct. Mont. ſacr. c. 9.

(u) Cruger. in pulv. ſacr. Boëm. 5. Id. Jan.

menta occurrunt ; rem non unô, ſed pluribus annis agi? Ideò Primitùs fundationis jacta ſunt exordia, decretus locus, dimmenſum ædificium, expoſita ſuſtentatio, miſſæ Coloniæ, tandem aliquot annorum tractibus ad ultimam perfectionis conſiſtentiam devenêre. *B.* igitur *Adamus* apud *Conradum* Cæſarem Germaniæque inclytos Principes ſpectatiſſimæ authoritatis primus *Ebracenſis*, ſeu *Loricenſis* Monaſterii Abbas (quod A. 1126. à nobilibus fratribus militibus de *Eboravo Brevnone*, & *Richovino* ſumptis ex *Morimundo Campaniæ Francicæ* Monaſterio fratribus fundatum erat) primus has Ciſtercienſis Familiæ Colonias ad primum pariter hujus inſtituti in Regno *Bojemiæ* Cœnobium Paternâ *S. Bernardi* benedictione fæcundatos feliciter deſtinavit. Eſt ergò *Nepomucum* filia *Ebraci*, Soror *Lankhemii*, Neptis *Morimundi*, & Proneptis *Ciſtercii*. Nam *Ciſtercium* genuit *Morimundum*, *Morimundus* genuit *Ebracum*, *Ebracum* genuit *Nepomukum*, & *Nepomukum* tandem ùt infrà videbimus genuit *Zaram* in confinibus *Moraviæ*.

6. De fundatore non minùs ac fundationis Anno hucusque ambiguum videbatur, nam exuſtô per *Ziskam Pomukô* quasì deleta fuerunt omnia. Promicat nihilominus è vetuſtate, & buſtis tenuis, attamen non incerta per traditionem *Antiquiſſimæ Familiæ Sſvvihovianæ* memoria, (x) qua aſſeveratur unum ex agnatis ſuis, & hunc quidem *Henricum* Ducem *Bojemiæ* id nominis Cœnobii fuiſſe Fundatorem. Contrariari videtur *P. Balbinus* in *Auctuario montis ſancti* (y) ubi *cap. 9.* honorem iſtum alteri familiæ adſtruere connititur, verùm meliùs informatus (ùt plurimùm à *Patre Crugerio* in *pulveribus ſacris 5. Id. Januarii & ſeptimo Kalendas Maij*) *Henrico* Duci id cimelium Fundationis clarè adſcribit (z) *Colligitur* (ait) *ex antiquis memoriis Henricum fundâſſe Cœnobium Ciſtercienſium ad Zelenam horam.* Iſte *Henricus* igitur fuit *Wladislai I.* Fundatoris Monaſterii *Kladrubienſis* è Sorore Uxoris *Ottonis II. Roman. Imperatoris*, qui ad *Chlumecium* occubuit, Filius (aa) fratres habuit *Wladislaum II. Bojemiæ* Regem bello ad *Mediolanum* Glorioſiſſimum, & *Theobaldum.* Uxor *Henrici* erat *Agnes Marquardi* Ducis *Carinthiæ* & Marchionis *Styriæ* Filia, è *Bertha* Filia *Henrici IV.* Imperatoris. Non igitur rectè, qui (bb) hanc *Agnetem S. Leopoldi* Marchionis *Auſtriæ* Filiam aſſeverant. Nam *Agnes* Conjux *S. Leopoldi*, Filia itidem *Henrici IV.* Imperatoris, *Berthæ* Matris noſtræ *Agnetis* fuit Soror. (cc) Reliquit *Henricus* ex *Agnete* tres Filios *Henricum III. Conradum*, & *Brzetislaum* cognomento *Gindrziſſik* ſeu *Henricum* juniorem. *Cunradus* ſecundo natus fuit Marchio *Moraviæ*, ac tandem *Bojemiæ* Inter-Rex; *Brzetislaus* Epiſcopus *Pragenſis* atque etiam *Bojemiæ* Princeps. Fit quoque mentio quarti Filii ſub nomine *Wladislai* in Litteris *Henrici* Epiſcopi, quibus confirmat teſtamentum *Beati Hroznatæ*; de quo in nullo ſcriptorum cæterùm quidquam conſtat. Rara concordia fratrum: inter *Wladislaum*, *Henricum*, & *Theobaldum* non ità: hi enim tres unum erant, non regimine modò, & poſſeſſionibus, ubi meum & tuum frigidum illud verbum, æſtum ſæpe charitatis excutit, verùm & animô placendi DEO per vota precésque perſonarum Religioſarum. Inde *Wladislao* ſuas debet Origines Cœnobium *Strahovienſe* Ordinis *Præmonſtratenſis*, An. 1626. exuviis *S. Norberti* magnificè decoratum, ubi etiam *Wladislaus* An. 1176. reconditus quieſcit. (dd) *Theobaldus* Cœnobium ac templum *S. Laurentii* Ordini *Benedictino* 1158. *Klattoviæ* dedicavit, ad quod pariter ſua oſſa, poſtquam in obſidione Mediolanenſi 1167. peſte obiiſſet, per Filium *Theobaldum* reponi voluit

(x) Cruger. ſaar. pulv. Sept. Calend. Maji fol. 147.

(y) Balb. in Auct. Mont. ſacr. ut cap. 9.

(z) Balb. Miſcel.

Decad. I. lib. 7. ſect. 1. in not. ad tab. 4. Geneal. Przemysl.

(aa) Weleſl. in Genealog. Princip. de Fil. Wladisl. I.

(bb) Wandalo-Boëm. part. 2. cap. 15. fol. mihi 253.

(cc) Peſſin. Mart. Morav. lib. 3. cap. 4.

(dd) Pulkava in Hiſt. Boëm. MS. de Wladisl. fol. 91.

(ee)

(ee) Rothman. in Origin. Klattov. MS. Bibl. Eccleſ. Pragenſ.

(ee) *Henricus* demum natu medius Inſtituto *Ciſtercienſi* cujus propagatorem ſanctum *Patrem Bernardum* coætaneum, ejusque miræ ſanctitatis vitam ſummopere ſemper coluerat, ad Montem Viridem, antiquitùs *Mariano* cultui dedicatum opulentum, ac Regium prorſus aſceterium, idque in hoc Regno hujus Ordinis primum *Divæ Margarethæ* Virgini & Martyri ſacrum excitavit. Favebant etiam ſacræ intentioni quàm optimè propinquæ ditiones, nam *Henricus* & *Theobaldus* Duces, poſtquam reſignâſſent jus ad ſucceſſionem in ducatu, hac parte terrarum inſigniter quaquaverſum dominabantur: *Wladislaus Rex* (ait P. Stransky (ff)) An. 1143. *Theobaldo* fratri *Klattovianum* territorium in *Boemia* dedit. Et *Przibislaus Pulkava* ſub *Carolo IV.* Imperatore ſcribens, in Hiſtoria Boëmiæ nondum Typis data (gg) *A. D. 1167. Fridericus Imperator cùm in Italiâ tractaret Imperii negotia menſe Auguſto, multi de Principibus ſunt mortui propter peſtilentiam eminentem, inter quos Theobaldus frater Regis Wladislai deceſſit, relinquens poſt magnæ indolis puerum etiam nomine Theobaldum, Patrem illorum, qui poſtea dicti ſunt Dipoldici; Qui Theobaldus viſus eſt in ſua parte Boëmiæ poſtea dominari.* Hæc fratribus ſibi fideliſſimis, ac etiam poſteris eorum perpetuò jure poſſidenda attribuit *Wladislaus.* Signa ſui generis, quibus ſe à Linea Regnante (cui *aquila nigra* in argenteo campo beneficentiâ Romani Imperatoris per *D. Wenceslaum* data erat) diſtinguerent, *tres erant lineæ*, aut flumina in campo rubeo. Illi dein ducalem ſuam è *Przemysłæo Sanguine* domum usque hodie in *Bohemia* gloriosè regnante, multis inaugeri hæredibus conſiderantes, aſceteria iſta condidère, ut qui ex eadem receptui canere mundo conſtituiſſet, aptè inibi haberetur.

(ff) Stransky de Repub. Bojëm. cap. 10. n. 2.

(gg) P. Pulkava in Hiſt. M.S. apud me fol. 88.

7. Nihil denique omiſit *Henricus* quod dignam Principe vitam poſteritati commendâret. Inde primùm copiis in *Luſatia* collectis viriliter juvit Fratrem ſuum *Wladislaum* adverſus *Conradum III.* Principem *Znoymenſem* & dein ad primam ſtatim *Bernardi* vocem qua Decretô *Eugenii III.* Chriſtianos Principes ad recuperandam terram ſanctam animabat (hh) excitatus, Fratri *Wladislao* ſuppetias offert (ii) ac cum eo numeroſâque nobilium manu Ann. 1147. poſt feſtum *Aſcenſionis Domini* cruce ſignatus in *Palæſtinam* proficiſcitur. *Poſt hæc Princeps Bojoariam ingreditur* (ait *Otto Friſingenſis* Epiſcopus teſtis oculatus) *ibique menſe Februario generalem Curiam celebravit, ducens ſecum vice Claravallenſis Abbatis, Eboracenſem Abbatem Adam virum Religioſum, & honeſtè eruditum, qui miſſarum ſolemnia ex more celebrans, invocatáque S. Spiritus gratiâ ambonam aſcendit, & lectis Apoſtolicæ Sedis, & Clarevallenſis Abbatis literis brevi exhortatione factâ, penè omnibus qui aderant, præfatam militiam profiteri ſuaſit.* Et infrà. *Accepère eadem horâ Crucem tres Epiſcopi videlicet: Henricus Ratisbonenſis, Otto Friſingenſis* (author hujus Chronici) *Reginbertus Patavienſis. & Dux Noricorum, Henricus Frater Regis; Guelfo quoque Henrici prioris Ducis frater de nobiliſſimis Regni optimatibus, in ipſa Nativitatis Dominicæ in propria villa Birengou eandem militiam cum multis profeſſus fuerat. Sed & Dux Boëmorum Labeslaus* (legi debet *Wladislaus*) *& Styrenſis Marchio Odoacer, & Carinthiæ illuſtris Comes Bernardus non multo poſt cum magno ſuorum Comitatu cruces accepêre.* (kk) conſonat huic atque *Henrici* Ducis *Bojemiæ* expeditionem magis ſpecificè diſtinguit citatus *Przicik Pulkava* chronographus *Bojemiæ*, hactenus apud me Manuſcriptus *Ann. D. 1147. ad defenſionem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ contra Regem Babyloniæ, Chriſtianorum fit paſſagium, ad quod Reges, & Principes confluunt, quo audito Dux Wladislaus cum fratre ſuo Duce Henrico, & Patruele ſuo Spitigneo, & ſuorum Procerum multitudine copioſa, fratre ſuo*

(hh) Chryſt. Herinqueczin Faſc. ſanct. lib. 1. diſt. 4. cap. 18.

(ii) Procop. Lupac. Kal. Hiſt. 5. Kalend. Maji.

(kk) Przibik Pulkava MS. f. 68

Ju-

Juniore Duce Theobaldo viro prudenti, & in armis ſtrenuè circa gubernationem Bojemiæ Ducatûs relictô, contra paganos pugnaturus crucem quæ prædicabatur aſſumpſit. Vult hìc Crugerius (ll) *Henricum* in expeditione obiiſſe, & *Wladislaum* Fratrem oſſa in Patriam transportâſſe. Verúmtamen è Privilegio *Wladislai* Regis, quo confirmat Fundationem Monaſterii *Litomyslenſis*, ſeu Montis *Oliveti* Ordinis *Præmonſtratenſis* factam à *Brzetislao* & *Sobieslao*, auctámque ab *Henrico Zdik Olomucenſi* Epiſcopo, (mm) clarè demonſtrat *Henricum* adhuc vixiſſe Ann. 1167. Sic námque in Confirmatione illa data hoc ipſo A. 1167. *13. Calend. Febru. Hujus verò Confirmationis noſtræ teſtes ſunt fratres mei Theobaldus & Henricus, Filii quoque mei Fridericus & Svatopluk, Daniel Epiſcopus Pragenſis, Joannes Epiſcopus Moravienſis &c.* Annô poſtea 1150. *Cunrado II.* Marchione *Moraviæ* morbô, quem in Aſiatica expeditione contraxerat *Znogmæ Idibus Decembris* aſſumpto, ac Anno ſequenti 1151. *Kalendis Aprilis Spitihnevô* quoque mortuô *Wladislaus Henrico* fratri ſuo, quia *Cunradus* nullam virilis Sexûs prolem reliquerat, *Znogmenſem* Provinciam ceſſit. (nn) his itá factis omnia boni Ducis munia exequente *Henrico*, è vivis tandem feliciter abiit; de die certi ſumus, de Anno non item. Adnotat vetus regiſtrum Anniverſariorum (oo) *die 2. Auguſti Anniverſarium obitûs Henrici Fratris Wladislai Regis*, ſed annum omittit. Corpus certiſſimè, ùt ùt quidam dubitant in Eccleſia primaria Cœnobii *Nepomuceni*, licèt nunc ruderibus diſturbata, reconditum eſt. Et loquuntur exempla fratrum, quorum quivis in proprio Monaſterio quieſcit. Cæterùm meritus eſt bellicoſus Dux in Sacræ Terræ recipiendæ, vel pro Chriſtianis retinendæ molitionibus inſignis, ſolenniſſimum κενοτάφιον, ego pro modulo breve ſubnecto.

(ll) Cruger ad diem 5. Sept. Thomas Peſſin Marte Morav. l.3.cap.4.

(mm) MS. Archiv. Epiſcopat. Litomysl. apud me fol. 91.

(nn) Peſſin. Marc. Mor. L.3. cap. 4.

(oo) Vetus Regiſt. Anniv. Membr. Eccl. Pragenſ.

SISTE VIATOR
HIC JACET
HENRICUS II. è DUCIBUS BOJEMIÆ.
ET
MARCHIONIBUS ZNOGMÆ.
QUAMDIU VIXIT
VIRTUTE INVICTUS STETIT.
CHARITATE, FIDE, & PIETATE
IN FRATRES, PATRIAM, ECCLESIAM.
OPTIMè MERITUS.
BELLUM DOMINI BELLAVIT FORTITER.
DE FORTI EXIVIT DULCEDO.
DISTILLANTEM BERNARDI FAVUM,
FUNDATO AD VIRIDEM MONTEM CÆNOBIO
PRIMUS BOJEMIÆ, INTULIT.
SIC MORTUUS, UT SEMPER VIVAT.
OSSA EJUS
IN PERENNE GRATITUDINIS MONIMENTUM
CISTERCIENSE HUC RECONDIDIT POMUKUM.

Notæ

NOTÆ IN CAPUT I.

NOtas hiſtoricas adjungo capitibus, quibus ea comprehenſurus ſum, quæ non ità aptè, & ordinatè in ipſo ſcriptionis textu adſerri poterant. Nec arbitrandum eſt hiſtoriæ vim fieri, ſi quædam in notis per occaſionem allata remotiùs ad cognitionem vitæ *B. Joannis Nepomuceni* conduxerint; ſunt enim è numero eorum, quæ cognitu jucunda & utilia hiſtoriam Regni non parùm dilucidantia, & præſentem ſcriptionem non ineptè decorantia. Ideò verò notas à vita ſancti ſeparatas capitibus ſubnexui, ne interpolationum tædiô nauſea fiat: ſed ſi quis eas legere velit, poſſit: ſi nolit ſolum vitæ Textum à notis habeat diſtinctum, & ſeparatum. Secutus in hoc exempla *Juſti Lipſii*, & aliorum optimæ notæ Auctorum.

Certè inter Romanos Annalium ſcriptores *Tacitus*, atque *Saluſtius* ad tenuem ſæpè numerò telam ex occaſione adjiciunt multa, & tanquam lacinias operi attexunt. Quæ proinde additamenta ob novitatem plerumque gratam, & hiſtoriam ſpecialem ſcribenti non eſſe inconceſſa oſtendit *Famianus Strada de Bello Belgico Præfat. ad Lect.* Ideò etiam *Lipſius* in Notis ad libros *de Cruce*: *Ad textum* (inquit) *etiam meum Lector, viſum fuit breviter hæc notare. Cur non in ipſo? quia non pro omnium guſtu hæc talia, & pleriſque ſatis eſt capita rerum delibâſſe. Cauſa etiam, quia placuit quædam explicatiùs, aut firmiùs iterare.*

Poſt Dithmarum Primum Bojemiæ Epiſcopum, A, Chronologia *Hagecii* hic recedo, qui *Dithmaro* Primo *Pragenſi* Epiſcopo unum ſolum regiminis tribuit Annum, & ponit obitum ejus ad A. 969. diem 2. *Jan.* cùm verò Acta Epiſcopalia *Dithmari*, quibus fidem Chriſtianam exſtirpatô Gentiliſmô, deſtructis fanis, & erectis, conſecratíſque Eccleſiis, ordinatis Sacerdotibus, & conſtitutis Plebanis in Regno *Bojemiæ* amplius tempus requirere videantur, exteri etiam magni nominis Scriptores, ut: *Dithmarus*, *Hermannus Contractus*, *Lambertus Schaffnaburgenſis*, *Sigebertus*, *Albertus Stadenſis*, Ordinationem *S. Adalberti* per conſequens obitum *Dithmari* totô decenniô poſteriùs aſſignant, ab *Hagecianis* partibus remittere, & obitum *Dithmari*, qui circà Annum 975. Antiſtes creatus erat, ad An. 979. 2. *Januar.* Electionem veró *S. Adalberti* ad eundem Annum, Conſecrationem ad ſequentem 980. conjicere cogor. Nec eſt, quòd *Coſmæ* Decani authoritas, quam ſecutus fuit *Hagekus* objiciatur; qui eundem Annum 969. morti *Dithmari*, & Electioni *S. Adalberti* aſſignat. In probam veritatis Antiquiſſimum *Coſmæ* Codicem membraneum, qui tanquam autographum in *Metropolitanæ Eccleſiæ* Bibliotheca *Lit. G. 5.* aſſervatur, inſpexi & annum ſic ſcriptum literis: DCCCCLXVIIII. deprehendi. Verba *Coſmæ fol. 9. & 10.* ſunt ibi ſequentia: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVIII. obiit Vok Comes. Poſt hæc Præſul Dithmarus Eccleſias à fidelibus in multis locis ad DEI laudem conſtructas conſecrat, & populum gentilem baptizans, quàm plurimum fecit Chriſto fidelem, nec poſt multos dies Anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis DCCCLXVIIII. quartô Non. Januarii vinculis carnis abſolutus talentum ſibi creditum Chriſto reportavit centuplicatum.* Aſt hoc non attentô certò certiùs decenniô pòſt, nempe 979. vinculis carnis *Dithmarus* ſolutus fuit; quod ex ipſo *Coſmæ* ulteriori contextu clariſſimè eruitur; Etſi

quidem aſſerat non poſt multos dies vinculis carnis abſolutum *Dithmarum* quaſi reſpicere videretur ad Annum 969. ſubſequens tamen narratio priorem dilucidat, habet enim expreſsè non ab *Ottone I.* qui A. 973. mortuus eſt, ſed filio ejus *Ottone II.* ſub belli Saracenici tempeſtate Ann. 980. inchoatum S. *Adalbertum* per traditionem annuli & virgæ paſtoralis inveſtitum *Veronæ*, & à *Villigiſo Moguntino* conſecratum. Verba rurſum ejus ſunt *fol.* 10. *Intereà rediens Philoſophiæ de caſtris, ubi decem aut plus militaverat annis, ſecum haud modicam librorum copiam ferens, aderat ſpectabilis Heros nomine* Woytech, *eâ tempeſtate rediens de Saraceno bello, adiit Veronam Urbem præcellentiſſimus Imperator Otto II. pacis amator, juſtitiæ cultor, glorioſiſſimo Patre primo Ottone glorioſior, qui in omnibus præliis extitit victorioſiſſimus victor. Ad quem munifica manus Bojemiæ cum electo pergit Epiſcopo.* Ergò certiùs eſt *Baronium*, & *Spondanum* ſequi, qui Ann. 980. primùm *Pragenſis* Epiſcopatûs Infulas *Veronæ Adalberto* datas *Ottovis II.* annô ſeptimô, ex vitæ ejus authore oſtendit.

Pedis veſtigium impreſſit. Hoc veſtigium *S. Adalberti* reperitur ad radicem montis viridis, quâ piſcina Civitati juncta lutulenta loca arcem verſus porrigit. Forma certè juſti pedis eſt, ſuperiori parte quâ digitos veſtit, cuſpidata, qualem antiquitùs tulerunt. Longitudinem habet unius Spitamæ, & trium circiter digitorum. Brumali tempore nivibus cadentibus nunquam obtegitur, ſed quaſi calore quodam nives reſolvuntur, & veſtigium reliquis ſaxi partibus nive oppletis, madidum manet. Fuit olim ligneâ ſepe cinctum, nunc autem capellâ clauditur, ſuper cujus porta legitur.

Siſte viam modicum, chare, & devote Viator,
Aſpice, veſtigium, quod tibi petra dabit.
Illud Adalberti eſt, ſancti noſtrique Patroni,
Sat dignum viſu, laude & honore coli.

Extructum à piis Patronis, boniſque Plebeis Oppidi Nepomuk. Simile veſtigium in *Sileſia* reliquiſſe *ſanctum Adalbertum* teſtatur *Abrahamus Bzovius* in vita *S. Adalberti*, quam ſcripſit *Sylveſter* Papa: ſuper *cap.* 31. in notis *ſub Lit.* M. *fol.* 605.

Oppoliæ, inquit, *in Sileſia dum prædicaret, veſtigia pedum, ut, nudas plantas, inſiſtebat, duro lapidi impreſſit: quæ etiam nunc in Baſilica Cathedrali Wratislaviæ oſtenduntur, & nos ea inſpeximus.*

Fonticulum, qui usque hodie Woytiechii nomen tenet: Linguâ populari fonticulus ille *Woyteſka* dicitur, adversùs multimodas ægritudines corporis, utpote defectus oculorum, febres & ejusmodi morbos valde proficuus: *Drauſchovius* ejusdem loci quondam Decanus in vita *S. Adalberti* ità de hoc fonte: *adhuc annuæ peregrinationes Dominicâ in Albis conſtituuntur (quia juxta veterum traditionem S. Præſul Woytechus eam benedictionem Virido-Montanam in Paſchatis octava cum pluviis impetravit) proceſſione dein peractâ, Illuſtriſſima Domus Sternbergica Clero, nec non Muſicis convenientibus opiparum prandium conſtituit: & pauperibus eleemoſynam elargitur: atque ità per totum annum arx illa pace fruitur. Alioquin ſi pauperum Eleemoſyna prætermittitur, nocturnis variis terriculamentis, & ſpectris locus infeſtari ſolet.* Patet ex mente fundatorum Religioſum eſſe locum, Deique Myſtis, & ſacris operationibus deſtinatum.

Et hæc ex originibus Klattovianis. Has origines conſcripſiſſe fertur *Rothomanus* (ut vult *Paprocius* de Stirpe *Heskii*, quæ tabulam Luſoriam Teſſelatam vulgò *Schachtis*

dis fert in Clypeo) primus Abbas Monaſtarii *S. Laurentii* Ord. *S. Benedicti Klattoviæ*, eáſque concinnâſſe ex memoriis conſignatis à *Wotico* primo *Klattenſium* Parocho. Etſi quibusdam fabuloſæ, & ex ingenio magìs, quàm veritate ortum trahere videantur.

Titulum præſeferunt: *Hiſtoria de fundatione Civitatis Klattæ ex memoriis conſignatis à pio Sacerdote Votico conſcripta à Rothomano Abbate Monaſterii Klattenſis.* Ex hoc manuſcripto edidit libellum de *Klattovia Joannes Klatovsky* Civis *Neo-Pragenſis* 1599. Ex *Joannis Klattovsky* autem Libello, ſua videtur deſumpſiſſe *Bartholomeus Paprovczky*, ea, quæ habet de *Klattovia*, patet *fol.* 227. Ubi mentionem facit hiſtoriæ, quam conſcripſit *Rothomanus*, quæ compendiata fuit à memorato *Joanne Klattovsky*.

Sub Patrocinio S. Margarethæ V. & M. Antiquiſſimus eſt in Regno *Bohemiæ* cultus *S. Margarethæ* Virginis & Martyris, inde in membraneo Miſſali Bibliothecæ *Eccleſiæ Pragenſis*, quod ſub *Daniele* Epiſcopo ſcriptum fuit, non tantùm propriam Miſſam ſub ritu duplici, ſed & proprias Antiphonas in horis Canonicis miram Styli antiquitatem ſpirantes legimus. Inter cætera ſonat vetus proſa, quæ incipit:

Margaritam pretioſam
Sponſam Chriſti ſpecioſam
Veneremur hodie,
A Gentili Patre nata
Fide Chriſto deſponſata
Ipſi Regi Gloriæ.

Hoc Miſſale inter libros rubricales *Bojemiæ* primò omnium typis datum eſt, quod ità finit:

Præclarum hoc opus librorum Miſſalium de ſpeciali conſenſu, & favore Venerabilium & Præſtantiſſimorum Virorum Dominorum Capitularium Eccleſiæ Pragenſis: impenſis verò induſtrii Conradi Kacheloffen concivis Lipſienſis impreſſum A. 1498. Reliquiæ *S. Margarethæ*, videlicet caput & magna pars corporis fuerunt longè poſt videlicet A. 1262. ex *Hungaria* in *Bojemiam* allatæ, & à *Bella IV. Hungariæ* Rege *Przemyslao Ottocaro* dono datæ. Hæc ſacra lipſana è *Bojemia* in *Auſtriam* rurſus evexit *Rudolphus Alberti* Cæſaris filius *Bojemiæ* Interrex, qui tamen carò ſolviſſe hanc evectionem dicitur, juxta *Dubravii* in hac materia aſſertum expreſſum, poſt paulò properantibus fatis vitam finiit. *Quin imò, & corpus Rudolphi* (ait *Dubrav. Hiſt. Bojem. Lib.* 19) *uxor, in arce Pragenſi ſepelivit; reluctante aliquamdiu Præſule, propterea quòd Rudolphus Caput D. Margarethæ à templo D. Viti ablatum illô invitô in Auſtriam tranſtulerit.* Manſerunt nihilominus de hoc ſacro corpore inſignes adhuc partes in *Bojemia*: nam præter dentem *S. Margarethæ*, qui cum cæteris reliquiis An. 1645. ex arce *Karlſtein* ad *Eccleſiam Metropolitanam* fuit transvectus, & aliam majorem particulam quam ego A. 1712. ſollicitudinem ornandarum SS. Reliquiarum *Eccleſiæ Pragenſis* ex commiſſione gerens, in Brachium ligneum inauratum, decenter ornatum cum reliquiis *S. Mauritii* Martyris incluſi, adhuc in ipſa arce *Karlſtein*, os magnum *S. Margarethæ* aſſervatur pro majori fide recito verba ex libello conſcripto per *Thomam Peſſina* Decanum *Pragenſem*, qui *Manuale Eccleſiæ Pragenſis* dicitur. *Conſignatio Reliquiarum ſacrarum, quæ adhuc in caſtro Karlſtein, poſt translationem Principalium remanſêre in inferiori ejusdem caſtri capella, & de facto ibidem manent incultæ.*

Primò. In una ſimplici & abſoleta ciſtula Corpus S. Palmatii; Patritii & Conſulis olim Trevirenſis ſub Maximiano Imperatore cum Thebæa legione paſſi, & pro religione gladiô interfecti, prout adjacens ſacris reliquiis authenticum diploma dicit. Corpus hoc præter Caput Sericeô pannô inſutum eſt, & fuit jam incineratum, quando Carolo IV. à Trevirenſibus fuit traditum, creditur totum corpus eſſe exceptis duobus oſſibus, & pauculis cineribus, quæ ſibi Trevirenſes ſervavere pro Patroni ſui memoria. In eadem ciſtula reperiuntur quatuor particulæ ſine nomine.

Secundò: In alia obſoleta Ciſtula reperiuntur reliquiæ, imprimis S. Ephemiæ Caput, ſcapula, & duo oſſa magna, & duæ parvæ particulæ inſtar nucis. In eadem ciſtula os magnum S. Juſtinæ. Item OS MAGNUM S. MARGARETHÆ. Item os magnum ſinè nomine. Item multa alia & varia oſſa ſinè nomine. Facta eſt hæc inquiſitio in Karlſtein. A. 1650. die 21. Maji. Hæc ex Manuali.

Univerſitas quoque *Carolina Pragenſis* ab immemorabili tempore S. *Margaretham* V. & M. die 13. *Julii* quot annis ſingulari celebritate in *Auditorio magno Collegii Carolini* honorare conſuevit, quem cultum quidem deinde *Huſſito-Lutherani* Profeſſores abripere, & in diem 9. *Julii*, quo Ann. 1609. ſuas ùt vocabant *Majeſtales* pro libero Hæreſeos exercitio acceperant, transferre conati ſunt; videri hæc poſſunt fuſiùs in programmate publico *Joan. Alberti Junioris Krzineczky Liberi Baronis de Ronova* Rectoris Accademiæ Pragenſis 1615. Sed honor iſte ablatus ſanctæ Martyri cum fœnore rediit; cæterum Monaſteria cum Eccleſiis *S. Marnarethæ* in *Bojemia* dedicata inveniuntur tria.

PRIMUM Brzevnovienſe Ordin. *S. Benedicti* ad *Pragam* à *Boleslao* Principe, agente, dotante, & conſecrante *D. Adalberto* fundatum A. 993. literas fundationis recitat ex Originali *Paproczky de Monaſt. fol. 348.* datas *per manum Domini Chriſtiani fratris Illuſtriſſimi Ducis Boleslai. Anno gratiæ* 993. In hoc Cœnobio fuit tumulatus *S. Guntherus* A. 1045. qui in ſylvà *Bojemica Rinchnach.* 37. annis eremiticam vitam duxit, & plurimis miraculis *Bojemiam* illuſtravit, ac etiam *Brzetislaum Bohemiæ* Ducem è ſacro fonte baptiſmatis levavit. Cujus is mentionem facit in literis pro Præpoſitura in *Reyhrad* velut: *Ob amorem quoque & memoriam Guntheri eremitæ, qui me de ſacro fonte baptiſmatis ſuſceperat, ipſum in Eccleſia Brzevnovienſi ſepeliendum, contuli eidem Eccleſiæ circuitum meum in Pragenſi Provincia &c. In Moravia etiam quandam cellam in honorem SS. Petri & Pauli ædificatam, quam in quodam caſtro deſerto, cui nomen Reyhrad conſtruxi &c. Præſente D. Severo Ven. Epiſcopo Prag. qui deſiderio meo annuens, præſentibus omnibus Nobilibus Bohemiæ donationis meæ fraudatores vinculo anathematis innodavit. Datum in Urbe Praga An. gratiæ 1045. decimo quinto Kal. Novemb.* Archiv. *Brzevnov.* Huſſitarum furor incensô, vaſtatòque Monaſterio confudit omnia; hactenus nullibi ejus ſacrum corpus reperiri poteſt, eraſa ſunt antiqua fundamenta infrà fundum, præter aliquor corpora Abbatum hactenus inventum nihil. Novam nunc faciem induit *Brzevnovia* ſub *Reverendiſſimo Domino Abbate Othmaro*, qui non modo Eccleſiam *S. Margarethæ*, verùm & ipſum clauſtrum formâ Romanâ ſplendidiſſimè à fundamentis reſtaurat; ut antiquæ gloriæ jam quasì proximam tenere videatur viciniam.

SECUNDUM Monaſterium & Eccleſia *S. Margarethæ* conſidet *Nepomuci*, ſeu ſub *Viridi Monte*, de qua jam diximus, & plura inferiùs referemus. P. *Crugerius* ad diem 13. *Julii* occaſione hujus Eccleſiæ *Nepomucenæ* commemorat ſequentia: *Grinbergæ* (ait) *mirabilis de hac ipſa cœlite eſt apud Sternbergicos traditio. Nempe averſari planè Margaretham Virginem ſanctiſſimam, fœminas ſibi cognomines è ſtemmate præfato oriundas, adeóque nullam hactenus ſupervixiſſe ex iis ad matu-*

maturitatem. Abſtinent proinde indere nomen filiabus, nè experientiam denuò compleant totiès anteà ſibi in hoc conſtanſtantem. Auruſpicem hìc nolo agere quid cauſæ intercedat, fortaſſe nunc deſinet averſari Sternbergicos, quia circa illud dominium civitatémque Nepomucenſem loci Domini multa variæ pietatis monumenta erexerunt, & compensâ factâ per erectionem Epiſcoporum, Romanus Pontifex ſuſtulit excommunicationem. Hæc autem traditio ab ipſis maximè Heroinis mihi communicata fuit. Hactenus Pater *Crugerius* ex quo patet miram in rebus divino cultui dedicatis, Dei eſſe rationem, occultámque Vim.

TERTIUM Monaſterium & Eccleſia *S. Margarethæ* (de quo apud ſcriptores Patriæ altum quasì ſilentium) ſtat *Podlaczicz* in pago à civitate *Chrudimenſi* parvò lapide diſſito in amœna valle ſub regula *S. Benedicti*, & pertinuit hoc Monaſterium cum Abbate, & Conventu viginti perſonarum ad Epiſcopatum *Litomyslenſem*, ùt videre eſt in literis *Arneſti* ad Papam 1350. die 4. *Octobr.* fundatum videtur Carolino regimine circà An. 1360. ùt conjecturo ex inſcriptione baptiſterii inferiùs adnotanda. In literis arbitramenti *Alberti à Sternberg* Epiſcopi *Litomyslenſis* inter Capitulum Cathedralis Eccleſiæ *Litomyslenſis*, & Monaſterium *Podlaczicenſe* ſuper Silva dicta *Luben*, & metis ejus datis 3. *Octobr. A. 1366.* legitur *Domaslaus Abbas*, & *Gallus Præpoſitus* Monaſterii *Podlaczicenſis MS. Archiv. Litomyſ. fol. 97.* Idem dein litem pacificâ conventione terminârunt ſub *Petro* Epiſcopo *Litomyslenſi* die 16. *Nov. Ann.* 1368. ibidem *folio* 67. De fundatore minùs adhuc conſtat, aliqui *Slavatææ* Familiæ hoc pietatis opus attribuunt, & favent vicinia Dominia cum ipſa Sede gentis *Koſſumberg.* Non videtur tamen. *Rediddiſſet* enim religionis ergò, Familia *Slavatææ* Ordini *Benedictino Podlaczicziam* poſtquàm à Ziskianis turbis ruinas ſenſit, ſi ab hac Familia Fundatio Monaſterii proceſſiſſet; habemus autem, quòd ferè totô tempore à vaſtatione in Slavatarum manibus manſerit, ſic in Urbariis Oppidi *Chraſtenſis. Dionyſium Slavata* circà A. 1547. & *Albertum Slavata* de *Chlum* & *Koſſumberg* 1583. *Chraſtij*, & Monaſterii *Podlaczicenſis* Dominos legimus. Hoc Cœnobium vaſtavit *Ziska* cum Pragenſibus ubi A. 1422. dilapſis fratribus cæteris, deprehenſus ſolus Abbas cum aliis duobus religioſis Patribus, in flammas abiit. *Literæ Picardorum Epiſt. 4. ad Thom. Hranicz* impreſſæ typis. Poſt vaſtationem, & necem Abbatis, Monaſterium viginti annis Abbate caruit, ob Huſſitarum in illis partibus degentium, & bona Monaſterii occupantium inexplicabilem ſævitiam. Poſtea tamen An. 1448. *Nicolaus V.* Summus Pontifex *Podlaczicz enſi* Monaſterio in Abbatem præfecit Fratrem *Bonifacium de Wolkenſtein* ultimum ejus Monaſterii Monachum, extant literæ originales in Archivo *Capituli Pragenſis Scrin. Bulla Pontif.* Ex ſpoliis hujus Monaſterii monſtratur *Reginæ Hradecii* in *Eccleſia Cathedrali* Baptiſterium ære fuſum elegantis artificii, ibíque ſuper figuris duodecim Apoſtolorum affabre effigiatis ſequens legitur inſcriptio: *An. MCCCCVI hoc opus factum eſt ſub regimine Domini Bartholomæi Abbatis Podlaczicz enſis tertii Infulati ad regenerationem omnium in DEUM credentium.* Poſteaquam erectô Epiſcopatu *Reginæ-Hradecenſi* Dominium *Podlaczicz enſe*, ſeu *Chraſtenſe* 1656. menſæ Epiſcopali incorporatum fuiſſet, locum hunc multùm amavit, & illuſtravit *Chriſtophorus* Baro *de Talmberg* Epiſcopus tertius *Reginæ-Hradecenſis*, & Canonicus olim *Pragenſis.* Hic ſuper antiqua Eccleſiæ fundamenta elegantem quam nunc videmus Baſilicam *S. Margarethæ* cum duplici Turri excitavit, ac etiam aſſignatis tribus millibus florenorum Altariſtam, qui

inibi

inibi præter catecheſim rudibus tradendam, etiam tria ſacrificia hebdomadalia celebret, de ſubſtantia ſua fundavit. In crypta Eccleſiæ, in qua aliquot ſarcophagi fortè Abbatum Monaſterii antea inventi erant, recondita jacet *Ludmilla* S. R. I. Comitiſſa de *Kolovvrat* nata de *Talmberg*, *Soror Chriſtophori* Epiſcopi, ac ipſe etiam Epiſcopus cum inſcriptione ſuper lapide. *Franciſcus Chriſtophorus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Reginæ-Hradecenſis Dominus & Baro de Talmberg obijt Anno 1698. die 3. April. ætatis ſuæ 52.* Cæterum à tenuibus hujus Monaſterii memoriis literam confraternitatis in membrana ſcriptam, & Sigillis adhuc dependentibus firmatam, ſe vidiſſe ait, apud *Joannem Manner* Abbatem ad *S. Nicolai Vetero-Pragæ Mathias Bolelucz͡ky* in vita *S. Adalberti cap. 10. n. 5.* Duæ præterea inveniuntur etiam Capellæ ſeu Sacella in Regno *Bojemiæ S. Margarethæ* pari antiquitate cum prioribus dedicatæ.

PRIMA in Cœnobio *ſanctæ Coronæ*, quæ videtur cum ipſo Monaſterio ab *Ottogaro* hujus nominis ſecundo, *Rege Bojemiæ* quinto Anno 1263. fundata, & eſt à Monaſterio paſſibus circiter 420. diſſita in qua Eccleſia Fratrum *Ciſtercienſium* corpora condebantur, fitque ad eandem quotannis ob devotionem ergà *S. Margaretham* magnus populi concurſus. Inter præfatam *S. Margarethæ* Eccleſiam, & portam modernam Monaſterii viſitur illa tilia mirabilis, quâ locò patibuli ipſe patibularius uſus fuit *Ziſka*, quæ licèt alias non ità diſtantes habeat ſui generis arbores, nihilominus ſola *Caputiatorum Symbola* quotannis inter folia permixtim producit, ac repræſentat, ad cujus arboris metamorphoſim hiſce verſibus quidam alluſit, prouti in tabella marmorea propè hanc arborem muro infixa leguntur.

Siſte viam cernens tiliam devote Viator.
Quæ viget, & nullô ſtat peritura die.
Symbola Martyrii cappas mirabere natas,
Cum ramus virides induet udus opes.
Talia ſed nolens patras miracula Ziſka
Dum perimis ſacros reſte furente Viros.

Hæc ex *MS. Monaſterii Spino-Coron.*

ALTERA Capella *S. Margarethæ* Virginis & Martyris in ſemper Catholica Civitate *Plsnenſi*, ex quadro lapide ædificata reperitur, cui & adſitum eſt templum minus ſub nomine *ſancti Spiritûs* Venerabilibus exuviis Beatæ *Amabiliæ* Sanctimonialis *Ord. S. Benedicti* primæ Antiſtitæ Parthenonis *Klattovienſis*, ac marmoreo quondam grandi Heroum *Schvvihovskiorum* Mauſolæo pretioſum. Fuit B. *Amabilia Henrici*, & *Theobaldi Boemiæ* Ducum, de quibus *ſuprà*, germana Soror. Vixit miraculis clara circà Annum 1170. Primùm *Klattoviæ* in Eccleſia *S. Laurentii* tumulata, dein diſturbio Huſſitico à Familia *Schvvihovvskiana* ſecuritatis gratiâ *Plsnam* translata. Cæterùm de Capella *S. Margarethæ* in *MS. Codice fol. 719.* Verbô, *Plzen* ſequentia legimus: *A. 1220. S. Hyacinthus ex Illuſtriſſima Familia Odrifaus, quæ nunc Kravvarz͡ky, Sedlnicky &c. Diſcipulus S. Dominici unà cum fratre ſuo B. Czeslao ex Ducatu Opolienſi oriundus, ſumptibus Civium Plsnenſium, & Nobilitatis vicinæ erexit templum S. Margarethæ Virginis & Martyris Plsnæ, & Monaſterium Ordin. Prædicatorum.* Hactenus *Codex.* Hæc Capella die *29. Septembris* Feſto *S. Michaë-*

chaëlis Annô 1729. fortuitô incendiô vaſtata & collapſa auxiliatrices benefactorum manus ad reſtaurandum præſtolatur.

Antiquiſſimæ Familiæ Schvvihovvianæ. Ultimus hujus Familiæ *Wenceslaus Schvvihovvsky* liber Baro *de Riſmburg*, *Rabi*, & *Skala* petechiis obiit *Pragæ* in Feſto *SS. Petri & Pauli* A. 1720. poſtquam compleſſet annos viginti duos, hebdomadas quadraginta novem, & dies ſex, die 1. *Julii* ſepultus in Eccleſia *S. Ægydii Ord. Prædicatorum.* Fuit filius *Jaroslai Floriani Schvvihovvsky* L. B. *de Skala*, & *Riſmburg*, Domini in *Nalzovv* & *Neprachovv* Sacræ Cæſar. Regiæq; Majeſt. Camerarii, Conſiliarii & Locumtenentis, ex *Iſabella Æmilia* Comitiſſa *de Salmis* & *Neoburgo.* Vide Genealogiam apud *Paprocz ky de Statu Domino: fol.* 100. & ordinatiùs apud *Balbin. Miſcellan. Dec.* 2. *Lib.* 1. Id verò hic circa *Paprocz kianas* compilationes adnotandum: quod is autor ex ſimilitudine prædicati *de Riſemberg* deceptus, quosdam etiam Dominos *de Riſenberg* ad *Oſſekam* Familiæ *Schvvihovianæ* inſeruerit, ut patet *fol.* 108. ubi nominat *Borſſonem de Riſenberg*, qui 1392. fundaverit altare *S. Crucis* extra muros Civitatis in *Duxovv*, conſtat autem hunc *Borſſonem* non fuiſſe Dominum *de Riſmberg Schvvihovviano*, ſed *Oſſecano*; nam Dominium *Duxovienſe* plurium ſæculorum antiquitate continuò ad arcem *Riſenberg*, ſuper Monaſterio *Oſſecenſi* in Montanis illis Bojemiam à Miſnia diſcriminantibus ſitam, non verò ad *Riſemberg* arcem *Schvvihovviorum* in Diſtrictu *Prachenſi* pertinuit. Ideò ille *Borſſo de Riſenberg* non fuit *Schvvihovvius*, ſed *Oſſecanus*, manifeſtè demonſtratur ex quaternione antiquarum tabularum Regni apud me *Secundò Nicolai. B.* 2. ubi inter cæteros dominos etiam *Borſſo Senior de Riſmberg* alias *Oſſek* commemoratur tali ordine: *An. Domini MCCCXCVII. feriâ quartâ quatuor temporum adventûs Domini, Jodocus, & Procopius Marchiones Moraviæ, & Barones Wilhelmus de Landſtein Supremus Camerarius, Hynko de Honſteina, dictus Berka Supremus Judex, Smilo Richmburg Proto-Notarius Tabularum, Henricus de Roz mberg, Bocz ko de Podiebrad, BRZENKO de SCHWIHOWA, Otto Beryau de Bieliny, BORSSO SENIOR de RISEMBERG alias de OSSEK, Joannes Michalecz, Bocz ko de Suamberg, Puota de Czaſtalovvicz, Petrus de Koſti, Joannes & Jaroslaus de Dobruska, Nicolaus de Borotin, Hynko Hlavacz de Nachod, Hynko de Wyſmburg, Henricus de Wartmberg, Brz enko de Strakonicz, Joannes de Herſtein, Ulricus & Joannes de Nova Domo, Joannes de Zageczicz, Albertus, & Zdieslaus de Sternberg, Albertus de Konopiſt, Burchardus de Janovicz, Ulricus de Hazmberg, Albo Scopek de Dubee, Brzedbor de Ronou; & alii quam plures Domini, & Barones eodem judicio præſidentes &c.* Hìc dilucidè videmus diſtingui utrámque *Schvvihovvianam*, & *Oſſekanam* Comitum Familiam, nominatur enim priùs *Brz enko de Schvvihovva*, dein ſubjicitur *Borſſo Senior de Riſmberg* aliàs *de Oſſek*, licèt utraque cognominem in ditionibus tenuerit arcem. Nec eô tempore 1392. ullus in Familia *Schvihoviana* vixit, qui nomen *Borſſonis* tenuiſſet, cum in tota gente duo ſolùm hoc nomine inſiginantur *Borſſo I. de Riſmberg* & *Rabi* Intimus Conſiliarius Regis *Joannis* & *Caroli IV.* in *Franconiam*, *Alſatiam*, à *Carolo* ablegatus, *Dominicanorum Plſnæ* Fundator, ubi etiam 1368. ſepultus. *Borſſo II. de Riſmberg*, & *Rabi* prioris ex *Petronilla de Kravvarz* Filius, deinde commendator *Ordinis Teutonici* in *Bojemia*, hic autem *Duxovium* (quod nunc Illuſtriſſimam gentem *Waldſteiniam* Dominam reſpicit) ditione nunquam tenuit. Si quis dimicet utrámque Familiam & *Schvvihovviam de Riſenberg* & *Skala*, & alteram *de Riſenberg* & *Oſſeko* fuiſſe non modò homonymam, verùm etiam conſanguineam

Van-

Vandalo Bohem. MS. part. 2. cap. 15. fol. mihi 271. contra eſt.

PRIMO. Schvvihovvios originem ſuam (ùt ex vetuſto ſcriptore *Pulkava*, ſuperiùs intelleximus) ad *Theobaldum* Fratrem *Wladislai II. Bojemiæ* Regis retuliſſe, & ideò etiam *Theobaldicios* nuncupatos fuiſſe, quòd ex *Theobaldo IV.* qui reſtauravit è fundamento vetuſtum Caſtrum *Riſenberg* reliquias veterum *Bojorum*, Nepote *Theobaldi* Primi ex Filio *Brzetislao* deſcenderent; Nihil ſimile autem unquam de Baronibus *Oſſecanis*, aut lectum, aut auditum. Vide *Hagek ad An.* 1167: *fol.* 197. *Paproczky de Statu Dom. cap.* 4. *fol.* 100. *Wenceslavvin: Kalend. Hiſtor. in Genealog. Princip. Wladislai II.*

SECUNDO. Sſvvihovvii in ſcuto generis ſui *tres Lineas* aut *Fluvios*, juxta ea, quæ ſuprà de *Theobaldo* & fratre ejus narrata ſunt, geſtâſſe. Barones autem *Oſſekanos raſtrum hortenſe nigrum cum novem dentibus aduncis* in clypeis uſurpâſſe, manifeſtum ſignum diverſarum familiarum tam diſperata prorſus inſignia, &

toto diviſos Orbe Britannos.

Moris enim eſt vetuſtiſſimi familiarum (ùt artis *Heraldicæ* cònſcii optimè norunt) ſi ſe ab Agnata alia Familia, ſcutô diſtinguere intendant, ſervatô primigeniô ſignò, quod geſtant, in ſcuto, colorem, aut numerum, aut ſitum variare, & non depoſitô penitùs veteri Scutô, aliud aſſumere. Sic *Roſenſes*, aut numerum roſarum, aut colorem variârunt. *Vitko* enim primus *Roſenſis*, qui (ùt habet *Wenceslaus Brzezan* in *MS. Hiſtoria Roſenſi*, quam ſcripſit A. 1612.) circà annum Domini DCCCV. venit in *Bojemiam*, quinque ſuis filiis diſtinctas coloribus Roſas diſtribuit, *Henrico* auream, *Wilhelmo* candidam, *Smiloni* cæruleam, *Wokni* rubram, *Sezimæ* nigram. Sic ipſi quoque Barones *Oſſecani* ab aliis ſuis agnatis diſtinxère ſe numero dentium in raſtro illo ſuo hortenſi. Barones enim *Oſſecani* ab *Hayko* dicti gerebant in raſtro clypei ſui decem, Domini *de Koſtka* ab eodem ſanguine octo dentes. Erant etiam alii Barones, qui ſe de *Riſenberg*, & alii qui ſe de *Oſſeko* ſcribebant, utrique ab eodem ſtipite deſcendentes, & Fundatores Monaſterii *Oſſekani.*

Zlavvco enim Familiæ hujus *Oſſecanæ* Comes, Fundator extitit Domûs *Ciſterciæ Oſſecenſis.* Nam hic *Joannis Milgoſtii* Fundationem ex *Maſſovv* in prædium ſuum *Oſſek* 1196. tranſtulit, & magnificè auxit. Acceſsêre deinceps primo fundatori per nova beneficia etiam alii ex eadem familia Mæcenates ac nominatim præcitatus *Borſſo de Riſenberg* ejúsque filii, cum quibus dein hæc celebris in *Bojemia* familia ſæculô, ut puto decimô quintô interiit. Ferebant in Clypeo raſtrum hortenſe nigrum cum novem aduncis dentibus quod usque hodie in feneſtris Oſſecenſis ambitûs (qui à prima fundatione perdurat) expreſſum videmus, ibi enim in uno orbiculo legitur: *Chriſtannus miles ab Ozza.* Eorum oſſa, ſplendidè nuper, reſtauratâ Eccleſiâ, *Reverendiſſimus Dominus Abbas, & Viſitator Ordinis, Benedictus Littvverich* ſingulari pietate colligi, & in Mauſolæum affabrè, & ſumptuosè ad latus Eccleſiæ extructum recondi fecit.

Tres erant Lineæ. Quidam hæc è ſcutis *Zoardi*, unius ex *Attilæ* Ducibus, tanquam *Prometheus* ignem à ſole decerpunt, quaſi domi nobis non eſſet virtus, ut ad tam peregrina refugiamus, pridem hujusmodi ἀλαζονείαν confixit *Æneas Sylvius cap. 2. Hiſtor. Bojem.* Nobilitatem generis ex ipſa vetuſtate quærentes, ad deliciarum paradiſum, primóſque Parentes, atque ad ipſum penè *Evæ* uterum, unde omnes egreſſi ſumus, remittens. Dico proinde tria illa flumina proprium *Przemyslææ* Domûs, originémque ex ea ducentibus inſigne fuiſſe. *Przemyslaus* enim primus gen-

gentis iſtius conditor poſtquam ab aratrô *Stadicenſis* agri (qui ſub *Rzechlovicenſis* vulgò *Tſchochavienſis* [Parochiæ meæ territorio in Diœceſi *Litomericenſi* ſitus eſt) ad *Bojemiæ* regimen evocatus fuiſſet, hoc ſcutum tribus fluminibus quaſì interſectum ad principalia juſſa ſignanda inter alia multa ſalutariter pro toto Principatu ordinata, aſſumpſit. Quid per ea denotari voluerit, genuina ratio reddi nequit, niſì quòd quidam principaliores tres ſuæ Provinciæ fluvios, *Albim*, *Muldavam*, & *Egram* indigitari putent. Hujusmodi inſigni omnes retrò gentiles, & Chriſtiani Duces usque ad Tempora *S. Wenceslai*, de quo inferiùs, uſi ſunt. Sic in literis fundationis Monaſterii *Brzevnovienſis* primi in Regno *Bohemiæ*, per manus *D. Chriſtanni* Fratris Illuſtriſſimi Ducis *Boleslai*, Annô gratiæ *993*. in ipſa die dedicationis Monaſterii datis, apparet ſcutum *Boleslai* Ducis *tribus lineis* ſectum. *Archiv. Brzevnov.* Sic in Curia *Lucenſi* ſeu *Zatecenſi* Principum antiquiſſimas literas aſſervari, in quarum Sigillis aliud nullum ſignum præter illas *tres lineas* appareat, teſtatur *Nicolaus Artemiſius*, Notarius, Civis, Senator, ac tandem Primas Reipublicæ *Zatecenſis* in *Manuſcripto de antiquitatibus Urbis Zateczenſis* Annó 1542. *Dionyſio Slavatæ* Domino in *Koſtelecz* ad nigram ſylvam oblatum, & non ità pridem in arce *Koſſumberg* repertum. Ad aſſerta magìs roboranda è ſacris etiam *Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenæ* ſcriniis Majeſtales literas Sigillis *Regiis* dependentibus, & in membrana ſcriptas produco, ùt An. 1262. *Ottogari* Regis quinti *Bojemiæ* & aliis annis aliorum, in quarum cereis ſigillis ferè ſemper effigiatus cernitur Rex in Throno ſedens cum duobus parvis lateralibus ſcutis, quorum dexterum Regni, ſiniſtrum familiæ ſuæ cum tribus illis lineis refert. In ſigillo cereo viridis coloris *Ottogari* Regis quinti *Bojemiæ* primâ facie videmus Regem in ſolio ſceptrô Coronâque ornatum cum inſcriptione circulari: *Sigillum Ottogari ſive Przemislai quinti Regis Bojemorum Marchionis Moraviæ filii Wenceslai Regis quarti*: ad latera duo ſcuta, quorum unum *Leonem*, alterum *tres fluvios Przemyslaos* exprimit. Versâ facie Rex cataphractus cum vexillo in manu equo inſidet, ex quo quatuor dependent ſcuta, inter quæ iterum unum *tres fluvios oſtendit*, circularis inſcriptio habet: *Sigillum Ottogari Dei Gratiâ Regis Bojemorum quinti*, *Moraviæ Marchionis*, *Auſtriæ*, *Styriæ Ducis*. Et demum in exteriori ſigilli raſura legitur: *Pax Ottogari Regis quinti ſit in manu ſancti Wenceslai*. Hujusmodi quoque teſtimonium oſtendo ex Archivo *Wiſſehradenſi*, quod mihi 1715. perluſtrare contigit, ibi in *Sobieslai I.* membraneis literis de Anno 1130. pro fine legitur: *Sunt hæc acta ſub Lothario Rege Teutonicorum ejusdem nominis tertio ſub Chriſtianiſſimo Duce Sobieslao filio Regis Wratislai nono decimo Monarcha Bojemorum*, *ex quo Chriſtianitas in Bojemia exordium. His teſtibus præſentibus Meginardo Pragenſi decimo Præſule*, *Zdicone ſeptimo Olomucenſi*, *qui ampliſſimâ autoritate hoc decretum confirmârunt. Joanne ejusdem Eccleſiæ Præpoſito.* Deinde Sigillum pendens cereum figuram *S. Wenceslai* refert, inſcriptio: *Sanctus Wenceslaus*. In altera facie Dux vexillum manu vibrat, inſcriptio: *Sobieslaus Dei gratiâ Bojemorum Dux*. In uno ſcuto apparet *aquila*, in altero *tria Przemyslæa flumina*. Scuta, quæ iconibus, ſtatuìsque *Divi Wenceslai* Patroni Regni, & Martyris affigi ſolent, in omni retrò antiquitate tribus illis ſecantur fluminibus, taliter imago antiquiſſima Capellæ *ſancti Wenceslai* in Pago *Profanka* meæ Parœciæ, quæ in majori altari facilè quartum ſæculum attingente, mirabili antiquitatis artificiô fulget, ſanctum Wenceslaum cataphractum exhibet, in cujus una manu vexillum cum *nigra aquila*, altera verò

ſcutum rubrum *tribus albis* ſeu *argenteis lineis* notatum oſtendit. Numiſmata Romana paucis abhinc annis cuſa ſancto *Wenceslao* tria illa flumina in ſcuto valde præclarè etiam affixerunt. Quid multis ipſa *Metropolitana Pragenſis Eccleſia* & Capitulum ac ipſi quoque Pragenſes Antiſtites à *Boleslao II.* fundatore *tres lineas*, ſeu *campum coloris nigri*, *per quem linea aurea* ducitur, in gratam memoriam *Przemyslææ* gentis pro ſcuto acceperunt, & eò usque hodie utuntur.


At de Aquila antiquiſſimo etiam *Bojemiæ* ſigno quid? quidam cum illa *Czechum* ad usque ambulant, Romanis eandem legionibus in acie, auferentes, quaſì plus eſſet violentiâ quàm beneficio poſſidere. Unde *Hagek* Annô 964. *Boleslaum* cum *Ottone magno* loquentem inducit, & gloriantem: aquilæ nigrantis in albo campo effigiem ab ipſo *Czecho* in *Bojemiam* illatam. Ego libenter aſſentirer, at non ſunt eorum convenientia teſtimonia. *Petrus Codicillus*, & ex eo *Daniel Adamus Wenceslavina in Kalend: fol.* 1. Volunt *Czechum* A. 262. cum capto à *Perſis Valeriano* Imperatore *Aureolus* Tyrannus à militibus ablatum ſumpſiſſet imperium, & ſingulari crudelitate in ſubjectos populos graſſaretur, tumultu popularium excitatô ducem ſe præbuiſſe, & interfectô immaniſſimô Tyrannô deletisque Romanorum Legionibus, Aquilam ſignum militare rapuiſſe. Sed contra eſt, quod Hiſtoriæ Romanæ *Aureolum*, qui fuit *Dalmata* non in *Illyrico* à ſuis popularibus, ſed circà *Mediolanum* in eo loco, qui nunc pons *Aureoli* nuncupatur, commiſsô prælio à *Claudio* occiſum fuiſſe commemorent. *Paulus Piaſetius* Epiſcopus *Przemyslienſis* in *Polonia* contendit *Czechum*, & *Lechum Germanis* adversùs *Romanos* ſuppetias tuliſſe, & in Clade *Quintilii Varri* inter auxiliares *Germanorum* ſub *Sarmatarum* nomine comprehenſos, duas Romanas aquilas intercepiſſe, & albam quidem *Lecho* nigram *Czecho* obtigiſſe, atque cum his *Anno* 12. in *Poloniam*, & *Bojemiam* veniſſe. Rurſus & hoc vacillat, eò quòd Romani non pictas ſed argenteas, & dein aureas aquilas pro ſignis legionum geſtaverint. Proinde dico ad priora conformiter ante *Divi Wenceslai* tempora nunquam aquilina ſigna in Clypeis *Bojemiæ* Principum, ſed ſola illa tria memorata flumina uſurpata fuiſſe. Hanc opinionem ſuſtinet *Thomas Peſſina in Marte Moravico lib. 2. cap. 5. fol.* 145. *Joann. Beczkovv. in Chron. cap.* 19. *fol.* 156. *idem in Opuſcul.* Krew newinna. *cap.* 18. *fol.* 471. & conſtat ex allegatis. Nam certum eſt ex *Dubr. lib. 5. Borek in Chron. Pontano lib. 2. fol.* 14. *num.* 30. *Paproc. in Diadog. cap. 6. fol.* 63. *Hageko*, & aliis ſcriptoribus ſanctum *Wenceslaum Bojemiæ* Principem primum omnium hoc Imperiale *aquilæ Romanæ* decus in albo ſeu argenteo campo ex munificentia Romani Imperatoris inter cætera regalia munera accepiſſe, eoque omnes poſtea Principes ac Regnum ipſum *Bojemiæ* in Clypeo tam diu uſos fuiſſe, quousque Imperiali rurſus gratiâ *Friderici* Imperatoris ob Heroica *Wladislai* ad *Mediolanum* facinora An. 1159. locò aquilæ leonem candidum coronatum, bicaudatúmque in ſanguineo campo ſtantem ſubſtituiſſet.


E Przemyslæo Sanguine usque hodie in Bohemia gloriosè regnante.


Ex hoc *Przemislæo* ſanguine cum Auguſtiſſimo *Habſpurgico* tribus quaſì vinculis æternùm combinato, in *Boëmia* gloriosè hodiè Regnantem *Carolum VI.* Romanum Imperatorem, ſecundum ejus nominis Regem *Boëmiæ*, ſubmiſiſſimè reſpicimus & reveremur. Etenim geneth-

liaca


Wlademarius aut Wladibagius Princ. VIII.
Boleslaus III. Princ. VII. excæcatus obyt An. 1037.
Boleslaus II. Princ VI. Fundat. Episcopat. et Capit. Prag. ob. An. 999. Hema Ducissa Saxoniæ
Iaromirus Princ. IX. Eviratus.
Miesico et Mistvinus.
Dubravka Uxor Miecislai Ducis Poloniæ, quam adduxit ad Christum.
B. Milada prima Antistita ad S. Georg.
Boleslaus Sævus Princeps V. Fratris Occiſor obyt An. 967. Bozena de Stochov.
Christannus de Scala Ord. S. Bened. primus Bojemiæ Historicus.
Strzezislava uxor Comitis Slaunici Mater S. Adalberti Ep. M.
S. Wenceslaus Princeps IV. Fundat. Eccl. S. Viti: Martyr An. 939.
Wratislaus Princeps III. Bojem. Fund. Eccl. S. Georgy obyt An. 916. Drahomira de Luticz à terra absorpta.
B. Przibislava Soror S. Wenceslai.
Borziwoius I. Princeps Christianus Fundat. Ecclesiá S. Clementis in Wiſſerad obyt An. 910. S. Ludmilla de Melnik Martyr. An. 920
Spitigneus Princeps II. Bojem. Sine prole.
N. N. Tres Filiæ S. Ludmillæ.
Hostivitus Neklan Crzesomyslus Wnyslaus Mnata Nezamyslus.
Przemyslaus ex Pago Stadicz Libyſſa.
Tschochou olim Rzechlowicz
Bila
Bila Flu
Stadicz


Prima Augusti Sanguinis Habspurgici per Iuditham Rudolphi I. Imp. filiam in Przemysloeum transfusio; et conjunctio.
Wenceslaus V. Princ. XXXI. Rex VII. de Stirpe Przemysloea ex pago Stadicz ortu ultimus. Occisus Olomucij in decanatu An. 1306.
Wenceslaus IV. Princ. XXX. Rex VI. Fundat. Aulæ Reg. Cisterc. ob. An. 1305. I. Iudith filia Rudolphi I. Imp. ob. 1297. II. Elisabetha Reg. Poloniæ.
Anna Wenceslai IV. filia sine prole Henricus Carinth. Princ. XXXII. Rex VIII. Non coronatus expulsus Regno.
Przemyslaus Ottogarus II. Prin. XXIX. Rex V. Fundat. coenobij S. coronæ occisus An. 1278. Cunegunda Ducis Bulgar: obijt 1285.
Wenceslaus III. Princ. XXVIII. Rex IV. Fundat. Cruciger. cum Rub. Stell. ob. 1253. Cunigundis Philippi Cæs. filia obijt An. 1248.
Przemyslaus Ottogarus Princ. XXVII. Rex III. Fundat. coenob. S. Iacobi, et S. Clementis obijt An. 1230. Constantia Regina Hung.
Wladislaus III. Princeps XXVI. Fundat. coenob. Welehrad. obijt An. 1222.
Fridericus Princ. XXII. flagellatus à S. Petro obijt An. 1189.
Wladislaus II. Princ. XX. Rex II. Fundat. coenob. Strahov. et Plass. obijt 1174. I. Gertrudis March. Austr. II. Iudith. Landgr. Thuring.
Bretislaus obijt 1230. Helicardis Misn. March.
Henricus Epis. Prag. Princ. Bojem. XXV. obijt An. 1196.
HENRICUS. Princ. Znoim. Fundat. Coenobij Nepomuk. Agnes Ducissa Carinthiæ.
Wladislaus I. Princ. XVIII. Fundat. coenobij Kladrub obijt An. 1125. Amabilia Ducissa Vochburg.
Theobaldus ob. An. 1167. Sibilla Witelsbach.
Sobieslaus II. Princ. XXI. ob. An. 1180.
Conradus Princ. XXIII. Bojemiæ, primum Znoim.
Wenceslaus II. Princeps Bojem. XXIV.
Sobieslaus I. Princ. XIX. obijt. An. 1140. Adleta Regis Hungar.
Borziwogius III. Princ. Bojem. XVI.
Bretislaus II. Princ. XV.
WRATISLAUS. II. Princ. XIII. Fundat. Eccl. et Capit. Wissehrad Primus Rex Bojem. obijt An. 1093. Swatava Casimiri Regis Polon. filia.
Swatoplucus. Princ. XVII. obijt An. 1109.
Iaromirus alias Gebhardus Episc. Prag. ob. An. 1090.
Spitigneus II. Princ. XII. Fundat. Eccl. Colleg. Litom. ob. An. 1061.
Bretislaus Princ. XI. Fundat. Eccl. Collegi. Boleslau: obijt. A. 1055. Iudith Com= de Schweinfurt.
Conradus Marchio Znoim. Princ. Bojem. XIV. obyt An 1093.
Otto Princeps Znoim. Euphemia Belæ I. Reg. Hung. fil.
Udalricus Princ. X. ob. An. 1037. Bozena filia Rustici ex pago Benucz ob. 1052.


Ferdinandus II. Princ. XLVII. Rex Bojem. XXIII. Rom. Imp. Cecidit Frider. Palat. in albo monte ad Pragam 1620. obyt 1637. Eleonora Vincenty Mantuæ Ducis filia. obyt 1655.
Rudolphus II. Princ. XLV. Rex Bojem. XXI. Rom. Imperat. obyt An. 1612.
Maximilianus Princ. XLIV. Rex Bojem. XX. Rom. Imper. Obyt An. 1576. Maria Caroli V. Imper. filia obyt 1603.
Mathias Princ. XLVI. Rex Bojem. XXII. Rom. Imp. obyt An. 1619. Anna Ferdin. Arch. D. filia ob. 1618.
Anna aliàs Elisabetha filia Wladislai. obyt An. 1547. Ferdinandus I. Princ. XLIII. Rex Bojem. XVIX. Rom. Imperat. Fundat. Academ. Ferdin. obyt 1564.
Carolus II. Austriacæ in Styriæ Familiæ Autor Filius Ferdin. I. Parens Ferdin. II. ob. An. 1590 Maria Alberti V. Duc. Bavar. filia obyt An. 1608.
Tertia Przemyslæo Habspurgici jam bis combinati Sanguinis in August. domum Austriacam per Annam trans fusio, et unio.
Ludovicus I. Princ. XLII. Rex XVIII. peryt ad Mohacz sine Hærede. An. 1526.
Wladislaus III. Princ. XLI. Rex Bojem. XVII. Nepos Alberti ex fil. obyt An. 1516. Anna de Foix Com. Engolism. obyt An. 1506.
Elisabetha filia Alberti, conjunx Casimiri III. Reg. Polon. Mater Wladislai. obyt 1505.
Elisabetha filia Sigismundi Imper. obyt 1440. Albertus Archi-Dux Austr. Princ. XXXVIII. Rex Bojem. XIV. Rom. Imp. Obyt 1439.
Ladislaus posthumus Princ. XXXIX. Rex Bojem XV. obyt 1457.
Georgius à Podiebrad Princ. XL. Rex Bojem XVI. Obyt 1471.
Secunda Sanguinis Przemyslæo-Habspurgici jam combinati per Elisabetham in August. domum Austriacam trans fusio, et conjunctio.
Sigismundus I. Princ. XXXVII. Rex Bojem. XIII. Rom. Imper. obyt An. 1437. Barbara Comitissa Ciliæ.
Wenceslaus VI. Princ. XXXVI. Rex XII. Rom. Imperat. Martyrio affecit S. Ioannem Nepom. obyt An. 1419. Ioanna Ducis Bavar. S. Ioan. Nepom. fil. Spirit. obyt 1386.
Carolus I. Princ. XXXV. Rex XI. Rom. Imp. IV. Fundat. Archi. Episc. et Academ. Prag. obyt An. 1378. III. Anna Suidnec. IV. Elisabet. Stetin.
Elisabeth filia Wenceslai IV. Reg. obyt An. 1330. Ioannes Comes Lucemburg. Rex X. Princ. XXXIV. Fundat. Carthus. Prag. occisus An. 1346.
Rudolphus I. Alberti I. Imp. Filius Princ. XXXIII. Rex IX. non coronatus. obiit 1307. Elisabetha Vidua Wenceslai IV. Regis obyt 1335.


CAROLUS II. Princeps LII. Rex Bojem. XXVIII. Rom. Imp. ejus Nominis VI. natus 1. Octob. 1685. coronat. Imp. 22. Decemb. An. 1711. Rex Hung. 22. Maÿ An. 1712. Rex Bojem. 5. Sept. An. 1713. Elisabetha Christina Ludov. Rudolphi Ducis Brunswig. filia nat. 28. Augusti. An. 1691.
Maria Theresia ArchiDuc. Auſtr. Infans Hisp. nat. die 13. May An. 1717.
Leopoldus II. nat. 13. Aprilis An. 1716: Obyt die 4. Novembr. eod. An.
Maria Anna Archi D. Auſtr. Infans Hisp. nat. 14. Septemb. An. 1718.
Maria Amalia Archi D. Auſtr. Infans Hispan. nat. 5. Aprilis An. 1724.
Maria Amalia nat. 22. Octobris An. 1701. conjux Caroli Alberti Elect Bavar.
Maria Iosepha nat. 8. Decemb. An. 1699. Conjux Friderici Augusti. Elect. Saxon.
Franciscus Stephanus Dux Lotharingiæ nat. 8. Decemb. An. 1708. Eques Aurei Vellens. Gubernat. Hungar.
ia Mag= na nat. . Marly 689.
Maria Anna Ioannis V. Reg. Portug. nat. 7. Sept. An. 1683.
Maria Elisab. nat. 23. Decem. An. 1680. Gubernatrix Belg.
Maria Antonia Conjux Maxim. Emanuelis Ducis Bavar. Obyt. 1692.
Iosephus I. Princ. LI. Rex Bojem. XXVII. Rom. Imp. nat. 26. Iuly 1678. obyt 17. April. An. 1711. Wilhelmina Amalia Ioan. Frideric. Ducis. Hanov. filia nata 21. April. An. 1673.
Leopoldus I. Princeps L. Rex Bojem. XXVI. Rom. Imp. multis victoriys contra Turcam gloriosus obyt die 5. Maÿ An. 1705. I. Margaretha Inf. Hispan. II. Claudia Felicitas Ferdi. Arch. Duc. Austr. fil. III. Eleonora Magd. Theres. Phil. Wilhel. Ducis Neoburg. fil.
Leopoldus Ioseph. Carolus Dux Lotharingiæ nat. 11. Sept. 1679. obyt 27. Mart. An. 1729. Elisabetha Charlota Philip. I. Aureliani. filia nata 13. Sept. 1679.
Ferdinandus III. Princ. XLVIII. Rex Bojem. XXIV. Rom. Imp. cecidit Suecor. et Gallos. obÿt An. 1657. I. Maria Philip. III. Reg. Hispan. filia ob. 1646. II. Maria Leopold. V. Tyrol. filia ob. 1649. III. Eleonora Caroli II. Duc. Mant. fil. na. 1629.
Ferdinandus IV. Princ. XLVIIII. Rex XXV. Bojem. et Rom. Rex. Obyt An. 1654.
Eleonora Maria nata die 21. May 1653. nupsit primum Michaeli Regi Poloniæ, dein Carolo Leopoldo Duci Lotharingiæ obÿt die 17. Dec. 1697.

liaca *Przemyslææ* domûs arbor dum vetuſtate ſuâ, ac fatis Maſculinô ſexu, occiſô ejus ultimô ſurculô *Wenceslao III.* areſcere quodamodò cepiſſet, novum rurſus vigorem à Glorioſa *Habſpurgica* domo obtinuit, ac virtutem. Siquidem utraque ſanguine ſe conjunxit, & regnandi potentiâ. *PRIMA* quidem vice glorioſus ſanguis *Habſpurgicus* domui *Przemyslææ* infuſus fuit, per *Juditham* Filiam *Rudolphi I.* Imperatoris *Auguſtiſſimæ domûs Habſpurgico-Auſtriacæ* fundatoris, quæ nupta *Wenceslao IV.* hujus nominis Principi Regi *Boëmiæ* verò hujus nominis *ſecundo*, cognomentô *bono*, vel *ſancto* Fundatori Monaſterii *Aulæ Regiæ*, progenuit *Wenceslaum III.* hujus nominis Regem Principem verò hujus nominis *quintum*, & ultimum *Przemyslææ* Stirpis *Olomucii* occiſum A. 1306. & *Eliſabetham* Reginam *Boëmiæ Joannis I.* ejus nominis *Boëmiæ* Regis, ex domo *Lucemburgica* Conjugem, Matrem *Caroli IV.* Roman. Imperat. & aviam *Sigismundi*, à quo dein *Eliſabetha* Conthoralis *Alberti Secundi* Roman. Imper. fuit progenita. *ALTERA* vice, & è converſo *Przemyslæo Habſpurgicus* ſanguis jam combinatus rurſum in *Auguſtiſſimam domum Auſtriacam* influxit per prædictam *Eliſabetham* filiam *Sigismundi* Imperatoris *Hungariæ* & *Boëmiæ* Regis Conthoralem *Alberti II.* Rom. Imperat. matrem *Eliſabethæ* conjugis *Caſimiri III.* Regis *Poloniæ* ex qua natus eſt *Wladislaus* Rex *Hungariæ* & *Boëmiæ*, Parens *Annæ*, quæ *Ferdinando I.* Imperatori nupſit. *TERTIA* demum vice memorata *Anna* Filia *Wladislai* Regis *Hungariæ* & *Bohemiæ* jam bis combinatum *Przemyslæo Habſpurgicum* Sanguinem, tandem iterum in *Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam* transfudit, dum nupta *Ferdinando I.* Roman. Imperatori *Carolum II.* Archiducem *Auſtriæ* progenuit, à quo *Auſtriacæ Domûs* Auguſtiſſima Poſteritas usque in hodiernum glorioſè procedit. Id totum in ſubnexa *Genealogica Tabula* accuratè, & diligenter è vetuſtis Ducum & Regum *Bohemiæ* membranis elaborata, ad conſiderandum propono.



CAPUT SECUNDUM.

Nepomuceni cœnobii pietatis, & litterarum ſtudia. Joannis Huſſi VVikleffi hæreſi Bojemiam inficientis progreſſus, & exitus. Ziſkianorum inde enatorum tumultuum, & exciſi Regni aſpectus. Cœnobii Nepomuceni vaſtatio, & deſolatio. Ruinarum inde relictarum, uti & Arcis Viridi-Montanæ, & Oppidi Nepomuk luſtratio. Tandem Dominii Poſſeſſorum, & Decanorum Loci ſenes.

EXcitatô ab *Henricô* duce *Nepomucenô* Aſceteriô, evocatáque *Eboracô* primâ *Ciſtercienſis* familiæ ſingulariter *Dei Matri* dedicatæ Coloniâ, divinus cultus, & Mariana devotio per eas Meridionalis *Bojemiæ* plagas, mirum quaquaverſus incrementum accepit. Nobilis enim juventus, cui id religionis opus unicè dedicatum erat, rejectis mundi illecebris Deo militare, pro ſplendore ſæculi abſconditam religioſæ vitæ ſapientiam frequentare: mirâ ſanctitatis, ac etiam doctrinæ odoramenta ſpargere. Cùm bonæ artes, litteræque jacerent, deſpectaque colla muſæ levare non poſſent, apertis ſcholis, virtute, & ſcientiâ revocatâ, egregiam diſcentibus eruditionem *Nepomuci Ciſtercienſes* indidêre. Idcóque omnis vicina juventus literarum gratiâ paſſim huc itâſſe perhibetur. Hanc potiſſimam etiam cauſam eſſe teſtatur *Jacobus Schikfuſius*, (a) quòd eô tempore *Ciſtercienſis ordo* tam avidè, non nunquam etiam aliis ordinibus excluſis in has oras fuerit advocatus inſtituendæ videlicet juventutis optima occupatio. Inde rectè *Dubravius* (b) *Cœnobitæ non minùs in erudiendis diſcipulis, quàm ceremoniis occupati fuerunt: imò pleráque cœnobia id erat tunc, quod nunc ſunt gymnaſia.* Ad hæc fratrum *Nepomucenſium* ſtudia vicini quoque dynaſtæ *Henricianæ* fundationi nova rurſus quisque pro munificentia ſua adminicula adjecêre. *Aprugnæos*, ſeù *Haſenburgicos*, & dein *Roſenſes* inter primos fuiſſe cenſeo. De prioribus nullum dubium eſt, qui aliquot ſæculis diſtrictûs *Podbrecenſis* viciniam ditione tenebant, munificentiam oſtendebant. Poſteriorum etiam exhibita beneficia, inciſæ quinque foliorum roſæ, quæ in quibusdam ruinati Monaſterii fornicibus etiamnum conſpiciuntur, non obſcurè commendant. Tractu poſtmodum temporis aliæ adhuc Regum, Reginarumque *Bojemiæ* donationes, & religionem intrantium bona pedetentim acceſsêre. Nec hìc vanè conjecturandum, bonis *Pomuci* ſucceſſibus *Wladislaum II. Bojemiæ* Principem, qui antea condidit *Strahovium Præmonſtratenſibus*, ab *Henrico* fratre ſuo pariforme liberalitatis Regiæ munus *Ciſtercienſibus* offerendum, excitatum fuiſſe. Nam ſub ipſa hæc tempora *Wladislaus* cum *Gertrude* conjuge ſuâ in prædio proprio *Platz* dicto, duobus *Plſnâ* lapidibus peregregiam pariter domum *Ciſtercio* ædificavit, ac dum novella plantatio *Pomucena* non dum pro coloniis germen emiſiſſet, ex *Langheimio* altera *Eboraci* filia, & ſorore *Nepomuci* primum pro *Plaſſio Bernardæum* examen expetiit. Principum deinde exempla alii quoque *Boëmiæ* Proceres ſecuti, *Miroslaus Sedlecium*, *Milgoſtut Maſcovium* fundavêre. Ideò *Ciſtercium Bojemiæ* â *viridi monte Adalbertinâ* benedictione fæcundatum vigorem ſuum in totam patriam propagavit. 2. Jam ſuprà dixeram ob inſignem doctrinæ pietatis, aliarúmque virtutum ſplendorem ex hoc Monaſterio ad alias

(a) Jac. Schikfuſ. Annal. Siles. lib. 3. in Joan. II.

(b) Dubrav. Hiſt. Boëm. lib. 6.

alias quoque Prælaturas, quin & Epiſcopales infulas plures Viros religioſos fuiſſe evocatos. *Robertum Britannicum* ex *Pomuceno* Prioratu ad *Olomucenſem* Præſulatum elevatum pari modô vidimus: nec plurium exempa deſunt, ſi accuratiùs inquiramus. Inveni ſæculô adhuc decimô ſextô Viros pro Præſulum muniis ad alios Religioſos cætus obeundis *Nepomucô* deſtinatos. Poſt Abbatem vigeſimum octavum nomine *Bartholomæum*, Monaſterii *ſpineæ Coronæ*, ad Abbatialem ſedem translatus fuit *Nepomucô Mathias* cognomine *Polonus*, quem initio Anni 1554. (ùt in libris fundorum ejusdem Monaſterii *Spineæ Coronæ* fuſiùs habetur) in id munus inſtituit Vicem commiſſarii ſuſtinens Dominus Abbas *Plaſſenſis Bohuslaus*. *Mathiæ* non minùs in eadem Abbatia è cænobio viridomontano ſubcenturiatus fuit circà Anno 1556. *Joannes Milck*, qui Abbas trigeſimus numeratus piè ibi in Domino An. 1566. obiit.

(c) M. S. Hiſtor. & Series Abbat. Spinocoron.

(c) Unum benè ſæculum elapſum erat, quo optimis religioſæ vitæ inſtitutis *Bojemiæ* luxit *Pomucum*. Inde cùm pridem virtutibus maturum eſſet, ut Mater fieret, ſacræ diſciplinæ obſervantiâ commotus Illuſtris *P. Boczko* Comes de *Bernek*, Baro de *Kunſtad Caſtellanus Znoymenſis* cum conthoralis ſuæ *Ephemiæ*, atque filiorum *Smilonis*, & *Gebhardi* conſenſu An. 1234. *domum Ciſtertiam* ad confinia *Moraviæ* propè oppidum *Zara* conſtruens, primam Virorum Coloniam è cænobio *viridis montis* ſeù *Nepomucenſi* deducit. Floruit inclyta *Nepomuci* filia præclarô religionis Zelô per duo facilè ſæcula, usque dum communi cænobiorum ac deplorandô fatô per *Taboritas*, poſt exceſſum etiam *Ziſkæ* ducis, barbarè graſſantes, everſa eſt, aſcetis ferrô, atque incendiô enectis. Reſtauravit quidem *Zaram* reſtitutis integrè bonis Rex *Bojemiæ Georgius*; at rurſus An. 1614. ab ordine avulſa, tandem mirabili fatô iterum poſtliminiô rediit. Sæculum jam decimum quartum nativitatis dominicæ, & ſecundum conditi cænobii ingredimur, egregiis habitaculorum Abbatialis præprimis & dein monachalium, ſubſtructionibus nobilitatum. Hoc ferme tempore ſub felici Familiæ *Lucemburgicæ* regimine grandis Abbatiæ Machina (cujus nunc coloſſea rudera admirationi ſunt) è fundamentis, cum non paucis capellarum reſtaurationibus aſſurrexit. Quatuordecim numerabantur ſacella, cuncta eleganti opere cælata, Altaribus, Sanctorum ſtatuis, ſacraque ſuppellectili ſplendidè exornata. Quid de Bibliotheca & ſacra grammatophylatii penu, illuſtrium virorum induſtriâ coagmentata? Nec minores architecturæ progreſſus circa hæc ipſa tempora Præpoſitura ſuprà in *monte viridi* accepit, quos ex moderna arcis in quam dein converſa fuit, figura, colligere licet, tanta murorum firmitate, & altitudine, ut meritò velut munitum propugnaculum contra hæreticas *Georgii* phalanges præſidiô tenuerit, poſtmodum & inhabitaverit Miles Catholicus. Sic ante ſuum fatum ſe ornavit *Nepomucum* quaſi ante occaſum duplicaret radios & comptiùs in buſtuarias *Ziſkæ* manus delabi averet. Prædia Monaſterii ab hoſtilibus incurſibus aliquoties ante quidem attrita, nunquam tamen internecta, ùt *Ziſkæ* tumultu legimus. An. 1551, juxtà *Bulkavam*, juxtà *Hagekum* 1253. *Bavari* inopinè nullâ præmiſſa denuntiatione *Bojemiam* circà oppidum *Domaczlicz* ingreſſi, totam illam viciniam, cùm fundis Monaſterii *Nepomuceni* depopulati ſunt. Hos *Wenceslaus I.* inter *Ottogaros II.* Rex cognomine luſcus, ductore filiô *Przemysláô* bellicoſô celeriter ex *Moravia* evocatô intra fines ſuos repreſſit. Similiter An. 1383. Dux

Bavariae Klemo ad æmulationem Imperii contra *Wenceſlaum* aſpirans, hoſtilia ſigna in *Pilſnenſem* provinciam intulit, atque Monaſterii *Pomuceni* fundos iteratâ deprædatione vaſtavit. Sed hunc *Sulco Sſwihovius Chotieſchovii* Præpoſitus collectis viciniorum Abbatum & Eccleſiaſticorum ſubſidiis mandato *Wenceſlai* Imperatoris viriliter è Regno perpulit. Hujusmodi concuſſiones Monaſterii reditus quidem, ſolitámque vitæ ſubſiſtentiam coarctaverant, at agris è poſſeſſione non ſublatis breve temporis intervallum redintegravit omnia, Ultima verò tribulatio his malis prævenientibus à Ziſskiana rabie Anno 1420. internecinè illata, nullô hactenus Patronorum beneficiô placari, feſtinat.

3. Omnium denique Eccleſiaſticarum rerum hæc tunc fuit in regno ruina. Ablata Eccleſiis prædia, diſtracti cænobiorum fundi, cenſus altarium caſſati, cum ſaxis, lapidibusque inter templorum, & Monaſteriorum muros ad cultum DEI collocatis, bellatum eſt. Volitabant undique infeſti *Taboritarum*, *Pragenſium*, & *Orphanorum* exercitus, mille modis religioni Catholicæ in Regno excidium parabatur. Attamen non fuit conſilium contra Dominum, Eccleſiam ſuam adverſus inferni ſtrepitus mirâ ſemper providentiâ tutantem. Minitabantur exitium quidem omnia. Hæreſis *Huſſi* quotidie increſcens: mali Cleri & populi mores: *Wenceslai Regis Socordia*, & ſcandaloſus *Archi-Epiſcopi Conradi* lapſus. Verùm excitavit ſibi Viros DEUS, qui ſacrum fidei ignem ſecurè conſervarent. Primas *Capitulo Metropolitanae Eccleſiae* meritò adſcribo, dum capite quidem deficiente, vitalem generoſi animi ſpiritum nunquam amiſit, ſed inter ferrum & flammas DEO, Eccleſiæ, & Legitimo Principi fideles victricesque manus ſemper ex-porrexit. *Ea enim Eccleſia* (verba ſunt *Joannis Cochlaei* (d) *ſemper in Catholica fide permanſit: cujus ſanè Praelati & Canonici, pro teſtamento DEI, multas ab haereticis tribulationes, damna & exilia perpeſſi ſunt.* Et tantam veræ religionis, Eccleſiarum, monaſteriorum, fundationum totius penè regni lamentabilem vaſtitatem execranda *unius homuncionis ambitio* cauſare potuit? Ecquidem *Joannes Huſſus* ruſticis Parentibus (abtuntitur os hæretici fabulantis nobilem Dominum de *Huſſinecz*) in pago *Huſſinecz* ortus, & Baccalaureus ſacræ Theologiæ *in Academia Pragenſi, impatientiſſimè tulit*, inquit *Dubravius* (e) *in honore cujusdam Sacerdotii praelatum ſibi fuiſſe Germanicae nationis Candidatum ſuffragiô Germanorum, & favore primorum Sacerdotum: ſic videlicet Carolus ab inſtitutione Pragenſis Gymnaſii conſtituerat, ut in ferendis ſuffragiis germani tres voces, Bojemi quartam haberent, quoniam pauciſſimi Bejemorum tunc operam literis navabant.* Veriùs ut ex actis *Capituli Metropolitani* (f) dilucidè colligitur, id non in alicujus Sacerdotii, ſed Rectoris Academici electione contigiſſe deprehenditur. Poſteaquam enim *Huſſius* An. 1401. die 17. *menſis Octobris*, votis (ùt quidam volunt) eblanditis in Decanum Facultatis Artium, ſeu Philoſophiæ ſtudii *Pragenſis* electus fuiſſet, Secretò ambitionis ardore altiores Academiæ velut Rectoris honores deperiit; quo dum aliarum nationum, quæ merita conſiderarent, votis difficulter pertingere formidaret, perpetuum contra Doctores *Tevtonicos* odium aluit, ambitionis ulcere nationis ſuæ Zelo ſubdolè celatô. Inde aliorum ſententias licèt cæterùm receptas diſputationibus publicis vellicare, & in ſcirpo, ùt ajunt, nodum quærere, quin imò damnatas *Wikleffi* hæreſes *nuper ab Hieronymo*

Faul-

(d) Joan. Cochl. Hiſtor. Huſſit. lib. 2. fol. 403.

(e) Dubrav. Hiſtor. Boem. lib. 23.

(f) Act. Capit. Prag. An. 1408. & ſeq.

Faulſiſch, & *Petro Paine* in *Bojemiam* fataliter allatas velut implacabile regni, fideique cacoëthes proferre, ac defendere. Sub hæc cùm nec tali via Doctores *Teutones* (literarum peritiâ, & vitæ honeſtate primatum in *Pragenſi* univerſalitate obtinentes) ab Academia expedire poſſet, ac ſciret eos damnatæ ambitioni & hæreſi toto conatu reſiſtere; aliam reperit malignandi viam (g) Perſuaſit nempe Patriotis, ut à Rege peterent, quatenus mandaret Academiam *Pragenſem* gubernari juxta ritum & inſtitutum ſtudii *Pariſienſis*, nè diverſum videretur à Matre morem gerere filia. Ita videlicet ut in omnibus emolumentis & honoribus una *Bojemorum* natio tantùm reciperet, quantùm omnes aliæ ſimul junctæ: atque ſicut in *Pariſienſi Gallis*, ità in *Pragenſi* Academia *Bojemis* tres voces, & ſuffragia concederentur. Id cùm *Germani* ferre non poſſent, *Huſſus*. Reginæ favore cui à ſacris erat, perfecit, ut à Rege ſecundùm *Bojemos die 13. Octobr.* An. 1408. ſententia ferretur. In hoc Regis mandatum (à quo ſe ad ſpeciem *Huſſus* publicis manu propriâ ſcriptis literis, etiamnum originaliter in Bibliotheca *ſeminarii Archi-Epiſcopalis Pragenſis* aſſervatis, purgare nitebatur (tres aliæ nationes videlicet *Saxonica*, *Bavarica*, & *Polonica*, conſentire renuebant quòd eſſet contra primæva univerſitatis privilegia, juramentô obfirmata. Intereà dum integrô annô, & *Wenceslai* Regis, & Conſiliariorum opem ſed fruſtra imploràſſent, menſe Octobri Anno ſequenti 1409. ſtudentium multa millia ductoribus *M. Joanne Hoffmanno* Rectore univerſitatis (cui 17. *Octobr.* eodem Annô *Huſſus* mox fuit ſubtruſus (h) *M. Hanuſſio Reinero*, & *M. Rudberto Salisburgenſi* Sacerdotibus Eccleſiaſticis *Pragâ* excesſère, & alii quidem *Cracoviam*, alii *Ingolſtadium*, plurimi *Lipſiam* abeuntes, novam ibi ex ruinis *Pragenſibus*, *Friderico I.* bellicoſo Landgraviô *Turingiæ* & Marchione *Miſnenſi* fundante, univerſitatem condidère.

(g) Joan. Cohl. Hiſtor. huſſit. lib. 1. fol. 13.

(h) Procopi Lupac. die 17. Kal. Jun. Vetus codex apud Abraham Bz. ch lz Ind. chronolog. An. 1409. VVencesl. 16. Kal. Nov.

4. *Huſſus* ejectis *Teutonibus* liberior factus, virus *Wiklephicum* corde hactenus occultum palam in populum effudit. Sed & *Hieronymus* primus, peſtiferæ luis incentor, fideles novationi operas miniſtrare non deſtitit. *Hieronymus à Praga damnatæ memoriæ* (inquit eruditiſſimus *Joannes Ekius*) (i) *licèt in ſacris ordinibus non conſtitutus, præſumpſit tamen in habitu laico, & prolixa barba prædicare Pragæ in Sacello Bethlehem*, *ut in plenis & autenticis actis Concilii Conſtantienſis per Dominum Henricum Pyro contra eum propoſitis pleniùs continetur.* Ad has inſolentias acceſſum fecère quotidie, quàm plurimi de clero non modò vitæ diſſolutioris, verùm etiam Viri doctrinâ morúmque honeſtate non poſtremi, eò quòd iniquo (ait *Sylvius* (k)) ferrent animo ſacerdotia pinguiora à Nobilibus plerùmque doctrinam, & virtutem parùm penſi habentibus devorari, ſe è contra cum melioribus animi dotibus in egeſtate relinqui. Quod & noſtrô ævô ferè repetitur. Virtutis ac doctinæ meritis fulgidi à præbendis, & canonicatibus per invidiam impediuntur, & infeliciores paſſim ſunt Viri docti, iis qui juventutem otiô triverunt. Ut dolendum ſit, quòd Eccleſia ſæpe numero præſidiô, literarum verò ſtudium præmiô careat. Motâ hac pernicioſiſſima Religionis tempeſtate *Zbinco Archi-Epiſcopus Pragenſis* è familia *Aprugnæorum* An. 1408. Synodum Provincialem celebrat (l) ac Anno 1410. adhibitô Capitularium Metropolitanæ ſedis, tum aliorum doctiſſimorum virorum conſilio ultrà ducenda volumina, perverſum, prædamnatúmque *Wicleffi* dogma continentia, publicè concremari jubet. (m) At e heu flamma hæreſeos per

(i) Joan. Ekius prim. part. contra Luther c. 8.

(k) Aen. Sylv. Hiſt. Boem. cap. 35. Jacob. Picolomini Card. Papien. comentar. lib. 6.

(l) M. S. Andr. de Broda Can. Archiv. Capit. Tom. I. oper. Huſſ. fol.

91. Lu. pac. 16. Julii. (m) Dubrav. lib. 23. Sylv. cap. 35. (n) Lu pac. 29. Julii. Barthol. à Drahonicz. M. S. Hiſtor. ſui temp. apud nos fol. 765.

per id magìs imitata fortiùs graſſari incepit. Archi-Epiſcopo enim ad *Sigismundum Hungariæ* Regem opis implorandæ gratia profecto ac *Poſonii veneno Huſſitarum Anno 1411. extinctô.* (n) In apertam hæreſim prolabitur *Huſſus*, ac indulgentias Pontificias, adductô in auditorium Carolinum rudi populô (qui nihil nisì tumultuari noverat) tam etiam conſtitutis hominibus, qui Concionatoribus obſtreperent, oppugnat. Ad hæc ex collegis *Huſſii Jacobellus* in Ecclesia *S. Michaelis* Concionator *Petri Dresdenſis* Ludi-Rectoris ſui monitu, ultra *Wicleffi* articulos novum ſuperaddit, de communicandis ſub utraque ſpecie laicis *cum plauſu id approbante & rem ipſam exequente Huſſio.*

5. Dum hæc in *Bojemia* aguntur, An. 1414. generale concilium apud *Conſtantiam Svevorum* Urbem cogitur: in quo præter alia de rebus Bojemicis ſermo habitus, Patrum mentes ingenti curâ confecit, volventium animô quonam modô ſanari Provincia poſſet. Placuit tandem *Sigismundo Romanorum & Hungariæ* Rege Svadente *Huſſum* & *Hieronymum* ad Synodum evocari, qui tum hæreſum Principes habebantur. *Hus* tametſi *Romam* antea citatus ire noluerit, fide tamen publica (quantum juſtitia, & orthodoxæ ſidei ratio admittebat) à *Sigismundo* Rege accepta, ipſe primum, deinde *Hieronymus* ejus conſectaneus *Conſtantiam* venit, & auditi ſunt in conſeſſu Patrum. Sæpè cum illis colloquium habitum & dogmata eorum à lege Dei aliena monſtrata, neque bonis conducere moribus, rogati igitur nè plùs quàm Ecclesia ſaperent, ſed ſaperent ad ſobrietatem. Stetêre in propoſito pertinaces hæreticorum animi, nimiâ ſuæ eruditionis ingenii, & eloquentiæ ambitione decepti. Primores magnæ Synodi, ubi pertinaciam animi advertêre, ut membra Ecclesiæ putrida reſecanda cenſuêre. Sæculari itáque brachio extraditi combuſtionis ſententiam ſubierunt. Ex eorum poſtea ſupplicio multiceps malorum hydra in *Bojemia* prognata eſt. Factio enim & ſecta eorum infandum illud & execrabile protruſit monſtrum *Joannem Ziſskam* à *Trocznova*, qui nefarius *Bojemiæ Catilina* fatale ferrum in Religionis, Patriæque perniciem truculentè diſtringens victricia ſua ſigna, erroribus *Huſſii* excitatâ, ſegnitie Regis roborata, laicorum in religioſos invidiâ propagata, ſanguinolentè undique in *Bojemia* circumtulit. In tanta, támque corrupta *Huſſiticâ* hæreſi civitate, id quod factu facillimum erat omnium flagitioſorum atque facinoroſorum circum ſe, tanquam ſtipatorum catervas habebat, nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret, præterea omnes undique parricidæ, ſacrilegi, convicti judicis, autpro factis judicium timentes; ad hoc quos manus, atque lingua, perjuriô, & ſanguine civili alebat, poſtremò omnes quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat, hi Ziſskæ proximi, familiareſque erant. (o)

Primùm igitur tumultui religionis Zelum aſpergere, uſum calicis à *Chriſto* conceſſum, & hactenus reſtitutum defendere, inde obſiſtentes Cathòlicos obruere, ſenatum confodere, conſules trucidare, incendiis Urbem, provinciampue diſtringere, cum ipſo Imperatore æquo, ac etiam ſæpè victorioſo Marte contendere. Sic malum initio modicum, ùt ferè omnia, confeſtim ad ingentium tumultuum execrevit tempeſtatem, qua non modò regnum ſub graviſſimo calamitatum pondere fatiſcens inclinavit in ruinam, ſed & *Moravia, Hungaria, Auſtria, Sileſia, Luſatia, Brandeburgum,*

(o) Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 5. fol. 218.

Miſnia, *Thuringia*, *Voitlandia*, *Franconia*, *Palatinatus*, & *Bavaria* funeſtiſſimas ædium ſacrarum, & profanarum, Urbium, regionum, populorúmque perſensêre vaſtitates & clades. Fortè *Joannes* de *Troznovva*, aliàs *Ziſka* ſeu cocles appellatus in curia Regis enutritus, bellisque *Lithuanis* ac *Pruthenicis* exercitatus, *Huſſii* venenô pridem infectus, in Arcis *Pragenſis* area (ùt narrat *Zalanskius* (p) maeſtus inambulans à Rege, cui erat chariſſimus fuit interpellatus, *quid ità mereret?* repoſuiſſe fertur, *innocentem mortem Huſſii, & Hieronymi altâ mente repoſtam revolvo?* cui Rex; *mi bone Vir! neque ego, neque tu hanc vindicare injuriam poſſumus, ſi tamen occurrit ratio age! Bojemos tuos vindica.* Plûs adjungit *Theobaldus* à Rege nempe *Ziſkæ* ſcriptô fuiſſe datam, & ſigillô munitam facultatem, ut ſi poſſet, nationem vindicaret. Accepit conditionem *Ziſka* homo nobili quidem genere natus, ingeniò tamen malô, pravóque, cui ab adoleſcentia bella inteſtina, caedes, rapinae, diſcordia Civilis, grata fuêre: ad quae rei familiaris inopiâ agebatur. Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae ſuprà quam cuiquam credibile eſt: animus audax, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator, ac diſſimulator, & collecta perditiſſimorum hominum colluvie (qui in omne nefas audaces, nullam religionem nullam juſtitiam penſi habebant, ſed quo brutalis animi impetus ferebat, eò ruebant) primam funeſtiſſimae tragediae ſcenam innocentum ſanguine irrorantem *Pragæ* aperuit. Nec tempeſtatem illam ullus reprimere valuit, quousque aſceteria, & Baſilicae *Pragæ* omnes, trucidatis immaniſſimè utriusque ſexûs religioſis in vavillas abiiſſent.

(p) Zalansky conc. 2. de Huſſo.

Cùm *Pragæ* jam de rebus ſacris parùm aut nihil ruinandum reſtaret, *Ziſka* cum *Thaboribus* extra *Pragam Huſſæa* incendia traxit. Peragrato vagis itineribus toto regno, ubique Cœnobiorum rudera, Eccleſiarum ruinas, ditionum Catholicarum clades egit. Anno igitur 1420. in Provinciam *Pilſnenſem* cum ſeditioſorum exercitu movens, noſtro quoque *Nepomuco* buſtuarias manus injecit. *Feriâ ſecundâ* infrà octavam Patroni *Nepomuceni* praecipui *Divi Adalberti*, quae erat 24. *Aprilis* ſancto Martyri *Georgio* ſacra, ad vicinum pagum *Pradlo* nec non in planitie pagi *Wrezenie* ſituatione *Sancti Adalberti* celebris, prima *Taborum* agmina levioris armaturæ, quae ipſi *Praczata* vocabant, cum curribus & quibusdam caſtrorum praemunimentis advenientia, tentoria fixêre. Haec ſecutus ipſe funeſtus ſacrorum Cyclops *Ziſka*. Alterâ die, quae erat 25. *Aprilis Divi Marci Evangeliſtæ*, ſtatim ad auroram, clauſuram Monachorum, & Abbatialem aedem agminatim ingenti tumultu, & internecini ferri, vulcaníque furore tranſcendit,

- - pérque vias ſternuntur
inertia paſſim
Corpora, pérque domos, & religioſa Deorum
limina,

Nulli dignitati nec ordini parcitur, incenduntur capellae, vaſtantur arae, conculcantur Sanctorum ſtatuae, expilantur gazophylacia, vaſa ſacra profanantur, quod non conſumit gladius, vaſtat flamma. (q) E Religioſis ad minimum, ùt *Nepomucena* habet traditio, *centum quinquaginta* cum ipſo Abbate Arnoldo Huſſaeis ignibus deuſti ad cœlum evolârunt. De hoc Abbate *libro* 10. ad An. 1418. diem 22. Septembris, ubi permutat agros monaſterii cum pratis Eccleſiae in *Zborovv*, memoria habetur. Vicino in *viridi monte* Parthenoni par maleficium illatum, quo occultis itineribus iidem Cœnobio-Claſtae aſcendentes, communi omnium incendiô ſacratas DEO Virgines in cineres redegêre. Nè quid barbariei

(q) Dubrav. lib. 24. M. Boregk. hiſt. Boem. fol. 361. Peſſina Mart. Morav. lib. 4. cap. 4. fol. 460.

omitterent, in Saxa quoque & lapides deſeviunt. Perelegantem & magnificam *S. Margarethæ* Baſilicam in qua fundator *Henricus* dux ſuas exuvias recondi juſſerat, & quatuordecim capellas balliſtis, ac manibus juverunt ad interitum. De egregia conventûs, ex Abbatiæ fabrica nihil reliquum niſi ingentia rudera, è quibus tanta cœnobii amplitudo colligitur, quanta commodi oppidi eſſe ſolet. Locum hodiéque murus novem circiter cubitos altus incingit, intrà quem ad ruinas fixis gazis ruricolæ habitant pagum W. Kloſterze vocatum conſtituentes. Nullæ ſcriptæ memoriæ, nulla monaſterii monumenta relicta, ſic cruentiſſima belluarum hæreſis, & ipſum ſolum, in quo ſacro ſancta religio ſteterat, abſtulit. Arbitrantur quidam ſecretiora Abbatiæ ſcrinia, velut fundationis literas, & id genus alia ante Ziſkianam irruptionem *Eboracum* ad ipſam Matrem ſecurè translata fuiſſe; quod in medio relinquimus.

Cæterùm an Eccleſiæ & ædi Parochiali quoque, aut ipſi oppido nocitum ſit, nihil comperti habetur. Aliàs *oppidum Pomuck fortuitis incendiis multùm vaſtatum eſt:* velut An. 1400. cum omnibus monumentis quà ſacris, quà profanis redactum in favillas, (r) An. 1593. die 1. *Aug.* incuriâ fabri ferrarii, & An. 1686. die 20. *Auguſti* negligentiâ famulantium, & An. 1714. fulminis ictu medium exuſtum.

(r) Petr. Drauskov. Decan. Nepom. in M. S.

7. Eccleſiarum hujus cœnobii ſtructuræ profectò è numero cenſentur earum, quarum *Æneas Sylvius* in Hiſtoria *Bojemiæ* (s) meminit, dum ait: *nullum in Europâ Regnum tam frequentibus, tam auguſtis, tam ornatis templis ditatum fuit quam Boiemia. Templa in cælum evecta, longitudine atque amplitudine mirabili fornicibus tegebantur lapideis, altaria in ſublimi poſita, auro & argento, quo Sanctorum reliquiæ tegebantur, onuſta, Sacerdotum veſtes margaritis tectæ, ornatus omnis dives, pretioſiſſima, ſupellex, feneſtræ altæ, atque ampliſſimæ conſpicuo vitro, & admirabili ope lucem præbebant, neque hæc tantùm in oppidis, & Urbibus, ſed in villis quoque admirari licebat.* Magnificentiam in Eccleſiis *Nepomucenis*, ac in reliqua cœnobii ſtructurâ, ruinæ trecentorum annorum à Ziſkianis, ac domeſticis quoque demolitionibus reſiduæ adhuc non obſcurè teſtantur. Abbatia ad radices viridis montis à cornu horti adhuc egregiè exculti, ſex grandibus arcubus opere eleganti conſpicua, longô hypocauſtorum tractu in *viridem montem*, ſubjacentem hortum, & patentes *Wrzeznie* campos proſpectat. Grandes hic cellariorum hiatus ruderibus impervii. Cornu Abbatiæ ſuperius Eccleſia *divi Bernardi* triginta circiter aliquot paſſus longa claudit. Supereſt in ea lapidea Altaris majoris menſa, & vaſculum pro aqua benedicta. Ad partem *Evangelii* præter antiquorum Characterum veſtigia hinc inde hærentium proſpicit in muro riſcus olim receptaculum *SS. Euchariſtiæ* liliô ſuperiùs notatus, in quo parva lignea ſtatua *S. Bernardi* immemoriali tempore ab incolis, aliiſque vicinis *Chriſti* fidelibus piè honoratur. Populus hìc pro neceſſitatibus genuflexus orat. Sæpiùs iſtic auditos eſſe ſonus tintinnabuli, ſub miſſæ ſacrificio pulſari ſoliti, ac ac formas religioſorum ambulantium viſas teſtantur loci incolæ. Ad lævam Capellæ *S. Bernardi* adjacet *S. Joannis Baptiſtæ*, inter grandium fornicum ruinas, ſaxaginta circiter paſſibus protracta, & cæterùm præter lapidum cumulos nihil. Poſt hæc hypocauſtum, ùt vocant *Capituli* Monachalis obſervantiæ caſtigatorium, elegantibus figuræ Gothicæ cirris, & implexis fornicibus ſpectabile notatur. Locus iſte per ductos variô ordine arcus in rotundum flectitur. Habet in contignationem ſuperiorem ſaxeos trochleatim du-

(s) M. S. Chron. Cicit. Laun. Sylv. cap. 36.

du-

ducentes gradus; & in fronte pro ſeſſione Abbatis arcubus ſuſtentatum receptaculum, tholi fornicum cælatas quinque foliorum roſas, (quales familia *Roſenbergica* geſtare ſolebat) oſtentant. Siniſtra ſeſſorii porrigit ſcutum in muro cum literis ſequentibus:

A. D. M. CC. - - - *Paul. Abb.* Capella *S. Bernardi*, & *S. Mariæ Magdalenæ* murô ſeparantur, ultimæ tabulatum, arborum ibi creſcentium pondere ante viginti annos ruit. Ad cornu Epiſtolæ læſa incruſtatione hæc literarum fragmina notantur:

A. D. M. CC. - - - *Die undecima* - - - *Altare hoc conſecr.* - - - *Joa.* - - *Ar-* - *Epiſ.* - - - *Eberhard* - - - *Abb.* - - Iſte *Eberhardus* Abbas probabiliter eſt, cujus mentio fit cum *Joanne* Abbate *Zedlicenſi* in permutatione bonorum inter Epiſcopum *Lithomyſlenſem*, & Abbatem monaſterii *Aulæ Regiæ*. ad An. 1358. *Lib. I. Erectionum. Q. I.* Paſſibus facilè quinquaginta abhinc Heſperum verſus offert ſe capella rotundæ formæ *S. Rocho* dedicata. Eccleſia Principalis ſub patricinio *S. Margarethæ* ultra quinquaginta paſſus longa non eſt, nec ultra 18. lata. Inde dubitatum, an hæ ruinæ Eccleſiæ *S. Margarethæ* forent, de qua adſtruunt quidam, nullum notabile veſtigium extare ampliùs. Verùm militat pro affimativa conſtans incolarum traditio, & ædificata in ea *Divæ Margarethæ* capella An. 1661. ùt habet inſcriptio renovata. Item porta antiqui artificii, viam viciñamque Pagi *Pradlo* reſpiciens. Cæterùm de aliis capellis, fratrum dormitorio, Muſæo, nihil nisi longi ruinarum tractus, & ità usque hodie.

8. Vaſtatô *Pomukô* reliqui fratres, qui manus *Ziſkæ* evaſerant tamdiu latitabant, quousque *Taborum* rabies aliquantùm remitteret. Poſtea in *viridem montem*, qui non ità penitus ùt cœnobium ſubmontanum in ruinas abiverat, recepti ibi ex reſiduis fundorum fragminibus tenuiter victitabant, numerò tres, quatuorque. Prohibebant videlicet *Pragenſium* quatuor articuli, quinta Wikleſiſticæ hæreſeos eſſentia, poſſeſſiones rerum immobilium. Ex regiſtris *Metropolitanæ Eccleſiæ* 1435. notatur *Sigismundô* ad Regni gubernacula reſtitutô, & religionis cultu Sacerdotibúsque Catholicis poſtliminio revocatis in *viridi monte Ciſtercienſes* aliquot habitâſſe, ſic enim ibi: *Fr. Otto Profeſſus in Pomuk*, *reſidens in zelena hora.* Legimus etiam ſuprà circa An. 1556. duos ex eodem Cœnobio *Mathiam* & *Joannem* Abbatialem *Spino-Coronenſis* aſceterii ſedem aſcendiſſe. Liquet igitur eô propemodum tempore Ciſtercienſem familiam *Nepomuci* incolatum tenuiſſe. Sub regimine demum *Sigismundi* Imperatoris Præpoſitura *Viridi-montana*, pleriſque ædificorum partibus adhuc illæſis, & integris induit formam arcis, in qua dein catholici proceres adverſus Regem *Georgium* (pravis *Rokiczanæ* hæretici ſuggeſtionibus ineſcatum, & compactatis ùt vocabant de utraque ſpecie, pertinaciter contra Eccleſiæ obedientiam inhærentem) publicos conventûs ſæpiùs celebrabant. Inde hanc arcem *Hagek* inter regias ſupputat An. 1466. ex conſeſſu Procerum Catholicorum in *viridi monte* apud *Bohuslaum de Sſvvanberg* miſſi ad Regem *Wilhelmus de Riſenberg*, *Adalbertus Kokorzovvecz*, communi nomine cum admonentes, ut ſi ſibi, ſuæque dignitati, paci, tranquillitatque publicæ, ſi ſubditorum ſuorum fortunis, ſi denique ſaluti Patriæ optimè conſultum cuperet, juramento ſub coronatione ſua præſtito ſatisfaceret, ſacrorum obſervantiam *Romanæ ſedi* conformem amplecteretur, & ità in gratiam ſummi Pontificis rediret. Rex *Georgius* cùm multa verbis, pauca factis oſtenderet, & à compactatis

pridem ab Eccleſia velut hæreſeos Huſſiticæ pallium, revocatis recedere nollet: Catholici proceres ab ejus ſe obedientia paſſim ſubducentes, arma contra eundem ſumpsêre, ac *Zdenkonem* à *Konopiſt* ſeu *Sternberg* ſupremum Regni *Bojemiæ Burgravium*, Catholicæ militiæ generalem An. 1467. adverſus eundem ſubmiſêre. *Zdenko* proinde *montem viridem* intrans, id dominium eodem Anno in uſus ſuos accepit. *M. S. chronicon* Urbis *Plſnenſis* audiamus, (t) *occupaverat eô tempore Zdenko viridem montem, aliáque dominia Eccleſiaſtica cum conſenſu ſummi Pontificis, nè in manus hæreticorum devenirent, útque eorum reditibus in ſumptus belli contra hæreticum Regem perfidum uteretur*; Adſtipulatur *M. Paulus Zidek* librò conſiliorum ad Regem *Georgium*, (u) *Sextò ſi eſt diſceptatio de Eccleſiaſticis bonis, ſic Dominus Zdenko habet viridem montem dominium magnum, & Dobrochoſtus* (dobrohoſt de Proſtcho) *habet Tynam* (videlicet Epiſcopalem) *& alii Domni habent alia, nam bona Eccleſiaſtica in Regno Bojemiæ fuerunt valde magna, ſolum templum S. Viti in caſtro Pragenſi habuit ultra octoginta millia ſexagenarum annui censûs.* In arcem igitur *viridis montis* progreſſus *Zdenko* ad *Georgium* (x) ſcribit adverſus quasdam calumnias potiſſimùm verò ſe excuſando, in culpa minimè verſari quòd *Plſna*, urbs à fidelitate DEO Eccleſiæ legitimisque Principibus commendatiſſima ei *Georgio* obſtiterit. Imò addit fore, ut plures *Plſnenſium* exemplô, ſalutis animarum ſuarum ſatagentes, ab eo ſe ſubducent. Demum concludit, ſe alibi juſtitiam quæſiturum. *Ex Zelena hora ferià ſecundâ poſt dominicam ocul. An.* 1467. Alias rurſum litteras emiſit *Zdenko* ad proceres catholicos in eadem materia publicas, quas finit: *In fidem horum meum ſigillum aprimi feci, & ſua quoque appreſſerunt, Nobilis Dominus Wilhelmus à Riſenberg, & Mareſs Cegka ab Olbramovviz, Burgravius & Capitaneus in viridi monte: Datum & actum in viridi monte die Sabbathi ante S. Vitum An.* 1467. Ab eo tempore ditio *Pomucena* Illuſtriſſimam familiam *Sternbergicam* reſpexit.

(t) M. S. Chron. Plzen. An. 1467. fol. III.

(u) M. Paul. Zidek Conſil. lib. 1. ſcript. An. 1471.

(x) Archiv. curiæ Plzn. n. 43.

9. Quod modernam arcis *viridi montanæ* faciem attinet, ea circumſitis arboribus ad vivarii uſum coaptatis in longam viciniam proſpectat. Etsì tractu temporis novis ſubſtructionibus in aliam figuram tranſiiſſe viſa, veteris tamen religioſæ quodammodo ſituationis veſtigia non obſcurè oſtentat. Ad ingreſſum versùs *Pomukum* pro curruli commoditate elevatum, ſublimiori loco conſpicitur Eccleſia, jam olim ab Anachoreta *Brzimota* in honorem DEI *Matris* ædificata, ab ordine *Ciſtercienſi* ùt plurimùm aucta, ac ab *Illuſtriſsima Sternbergica gente* è buſtis reſtaurata. Indicium præbent ſtellæ fornicum tholis inciſæ cum inſcriptione: *An.* 1557. ac aureæ litteræ ſuper oſtio Eccleſiæ:

DEO Opt. Max.

OMnium benedictionum Autori Patri, & Virgini Matri Mariæ in cœlos aſſumptæ, ac ſancto Adalberto benedicenti, unde mons viridis, hanc ædem vetuſtate caducam reconcinnari fecit Wenceslaus Adalbertus Comes à Sternberg An. 1688.

In parte evangelii ſummi Altaris lapis ſeu ſaxum oſtenditur, obtuſi anguli figuram conſtituens novem ſpitamas longum, & latum quatuor, in media ruptum, quà conum porrigit, pavimentô templi quaſi digitis quatuor eminentius, vel à ſeſſione, vel à genuflexione *Divi Adalberti* honoratum (y) id peregrini piè deoſculantur.

(y) Veſtig. Boem. piæ p. 36.

Ad lævam Eccleſiæ interioris arcis aditus ſe offert grande hypocauſtum armorum reconditorio ſerviens, ligneô tabulatô velut ratibus inveſtitum, putatur cœnobitarum refectorium aut dormitorium fuiſſe. Arx ipſa in quadro ſita à ſummo usque deorſum occultos habet gra-

dus,

dus, & ad meridiem amænum hortum. Oſtenditur quoque in turri fornix, quæ vetuſtate rupta, caſulam gemmis ornatam, & alia hujusmodi Eccleſiaſtica ornamenta ætate ſuperiori repandit.

In gratiam denique Illuſtriſſimæ gentis *Sternbergicæ*, quæ præclaris Viris militiæ ſagatæ, ac togatæ pluribus ſæculis prælucet *Bojemiæ*, hanc dominorum in *Pomuco* ſeriem adnecto.

Catalogus Dominorum in POMUK. Seu Viridi monte.

10. PRIMUS. *Zdenko* à *Sternberg* ſupremus Regni *Bojemiae.* Burgravius, Catholicæ militiæ contrà perjurum & Hæreticum Regem *Podiebradium* ſupremus Capitaneus, major originarius *Sternbergicorum*, & frater ejus *Alleſs* ſeu *Alexius*. originarius *Holiczkiorum*: obtinuit *montem viridem* An. 1467. obiit *Neoſtadii* in *Auſtria* die 11. *Junii* Anno 1476. dum Cæſarem *Fridericum III.* cum *Mathia* Rege *Ungariae* conciliare laborabat.

SECUNDUS. Jaroslaus Baro à *Sternberg* filius *Zdenkonis* Dominus in *monte viridi* An. 1476. & ſequentibus.

TERTIUS. Joannes Baro à *Sternberg* filius *Jaroslai* Dominus in *Viridi monte*, *Bechin*, *Konopiſt*, Burgravius in *Karlſtein* circà An. 1500. Conthoralis *Joanna Ssvvihovia de Riſenberg.*

QUARTUS. Adamus Baro ſenior de *Sternberg* filius *Joannis*, Dominus in *viridi monte Ferdinandi I. Rom. Imp.* Conſiliarius & Supremus Regni *Bojemiae* Camerarius circa An. 1530. Conthoralis *Margaretha Molovvecia* de *Pazovv.*

QUINTUS. Ladislaus Baro à *Sternberg* Dominus in *viridi monte* Archi-Ducis *Ferdinandi* Conſiliarius, & Camerarius obiit die 7. *Julii* An. 1566. Epitaphium marmoreum extat in Eccleſia Parochiali Nepomucenſi. Conthoralis *Bohuuka de Lobkovvitz.*

Frater ejus *Andreas* Baro à *Sternberg* (cum contra morem Catholiciſſimæ ſuæ familiæ primus ex alloquio *Theodori Bezae* Calvini diſcipuli in ſacras imagines nefariè deſipere didiciſſet) ſtatuam *B. Mariae Virginis* ligneam *Grnbergae* cacabo creviſiario in communi braxatorio tertium ſubjecit exurendam, at illa vi divinâ tertiò ex igne reſiliens, tandem ultimô injectonis ità potenter frontem feriit, ut ei ad plurimos annos mentem omnem emoverit. Hæc dein ſtatua à fratre *Andreae Ladislao* Catholico *Mariae Imperatrici Maximiliani II.* conthorali donô data, & infundatum à filia *Eliſabetha Ludovici IX. Galliarum* Regis relicta vidua, Clariſſarum monaſterium *B. Mariae de Angelis Viennae* translata, ibi hodiedum majora humanis viribus praeſtat ſupplicibus auxilia. *M. S. Brauskov. Decan. Nepom.*

SEXTUS. Georgius à Sternberg Dominus in *viridi monte* S. Cæſ. Maj. Conſiliarius & Archi-Ducis *Ferdinandi* Camerarius circà An. 1589.

SEPTIMUS. Adamus Baro à *Sternberg* Nepos *Adami* ex *Zdenkone* filio, dominus in *viridi-monte*, *Bechin*, *Libochovvitz*, *Budin Rudolphi II. Matthiae* & *Ferd. II. Rom. Imp.* intimus conſiliarius & ſupremus Burgravius obiit die 10. *Aprilis* An. 1623. Conthoralis *Eva* de *Lobkvvicz* filia *Joannis* de *Lobkovviz.*

OCTAVUS. Franciſcus Mathias Carolus Baro à *Sternberg* filius *Adami*, Dominus in *Nepomuk* ſeu *viridi monte*, *Bechin*, *Harazdiovviz*, *Libochovviz*, *Budlin Sedleg*, & *Krupnae* ſupremus

Judex Regni *Bohemiae* obiit *Pragae* 9. *Auguſt.* An. 1648. Hic erigere cæpit Eccleſiam *Sancto Joanni Baptiſtæ* in *domo natalitia S. Joannis Nepomuceni*, & Conthoralis ejus *Ludmilla Kavkiana de Rzi̇czan* filia Domini *Joannis* L. B. de *Rziczan*, & *Benignæ* de *Lobkovvicz*.

NONUS. *Wenceslaus Adalbertus* S. R. I. Comes à *Sternberg*, Dominus in *Nepomuk* ſeu *viridi monte*, *Horazdiovvicz*, *Sedlecz*, *Graubna*, *Zaluſchan*, *Kletſcan*, & *Dürnholz*. Aurati velleris Eques, S. Cæſ. Regiæque Maj. intimus & actualis Conſiliarius, Regius Locumtenens, ſupremus Regni Bojemiæ judex, nec non Aulæ regiæ in *Bojemia* Mareſchallus. Obiit An. 1708. Conthoralis *Clara Bernardina* de *Malczan*, mortui ſinè hæredibus.

DECIMUS. Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Dominus *Franciſcus Leopoldus* S. Rom. Imp. Comes de *Sternberg*, ex altera linea *Adolphi Wratislai* Supremi Regni *Bojemiæ* Burgravii filius, Dominus in *Nepomuk* ſeu *monte viridi*, *Serovvicz*, *Poczatek*, & *inferiori Ovvencz* nec non feudorum *Libroſa*, *Lisko*, *Scharka*, & *Reicherskreütz* S. Cæſ. Regiæque Majeſtatis intimus Conſiliarus, Camerarius, Regius locumtenens, & Præſes Cameræ in Regno *Bohemiæ*. *Wenceslai Adalberti* Hæres. Modernus demum Dominii *viridi montani*, ſeu *Nepomuceni* poſſeſſor ab emptione exiſtit.

UNDCIMUS. Illuſtriſſimus, & Excellentiſſimus Dominus Dominus *Adolphus Bernardus* S.R.I. Comes de *Martinicz* Gubernator Domûs *Schmetſchna*, Dominus in *Schmetſchna*, *Schlan*, *Planicz*, *Niemtſchicz*, *Viridi-Monte*, *Nepomuk*, *Parvo - Bubni*, *Miecholup*, *Magno-Petrovvicz*, *Brunnersdorff*, & *Prieſen*, S. Cæſareæ, Regiæ, Catholicæque Majeſtatis Actualis intimus Conſiliarius, Camerarius, & ſupremus Aulæ Mareſchallus. Cui vitam, & Illuſtris domûs incrementum.

11. Libet nunc ex arce ad ipſam urbeculam *Pomucenam* deſcendere. *Nepomucum* ùt ſuprà, fortuitis incendiis ſæpè & multum hactenus fuit vaſtatum. Situs ejus ad orientem, meridiemque in oblongum tendit, & duos colles occupat. Unus, qui arci vicinior eſt, Civium curiam, alter verò Eccleſiam Parochialem *Sancto Jacobo Majori Apoſtolo* dicatam & domum Parochialem ſuſtinet. Eccleſia architecturæ gothicæ duobus pilaſtrorum ordinibus è quadro lapide ſuſtentata per amplum Præsbyterium, *familiarum ſepulchra*, *fundationes*, altaria monſtrat. Iſtic *S. Joannes Nepomucenus*, út infrà videbimus, baptiſmi gratiam percepiſſe creditur, & eſt mirabile quod de hac Eccleſia commemorat *Joannes Tanner* in actuario *veſtigii piæ Bojemiæ* (z) *Familia*, ait, *dominorum de Sternberg mortis ſuæ præſagia habet in templo Parochiali Nepomuci, in qua noctu lumina viſuntur à parte dextra ſi moriturus eſt maſculus, à parte verò ſiniſtra ſi fœmina.* Confirmat id in *libello Confraternitatis* 1690. *Pragæ* edito, *Georgius Stanislaus Ridl* Decanus *Nepomucenus* (aa). *Valde vetuſta eſt Eccleſia Parochialis Nepomucena, dedicata S. Jacobo Majori Apoſtolo, de hac Eccleſia, certa experientia conſtat, quod ſicut in cubiculis arcis viridis, ità etiam hìc, miræ illuminationes noctu appareant, ſi quis ex familia Sternbergica morti proximus eſt. Contigit ſub Sebaſtiano Kral Decano Nepomuceno, quòd aliquando noctu tota Eccleſia Parochialis intus arſerit, dum verò ab Æditius viſitaretur nihil compertum eſt: at paulò poſt Illuſtriſſima Domina Ludmilla Benigna à Sternberg nata Rziczaniana è vivis exceſſit:* Hæc ille.

(z) Tanner Auctar. veſtig. Boem. piæ c. 7.

(aa) Stanisl. Ridl. libel. Confrat. fol. 7.

Quinquaginta circiter paſſuum diſtantia ab Eccleſia Parochiali propè piſcinam ſuburbanam ſita eſt capella

pella *corporis Chriſti*, in eo ipſo loco, ubi An. 1580. fures perfractâ Eccleſia Parochiali *S. Jacobi* ciborium argenteum cum *Venerabili Sacramento* aufferentes, ſacras hoſtias in ſtruem lignorum abjecerant, quod ſacrilegium miraculò patefactum manè, dum armenta mugitibus ſimul ac genuflexionibus latentem Deum indicârunt. Igitur loci Parochus cum populo proceſſionaliter effuſus, ſacras particulas colligens ſingulari omnium animis inhærente devotione in templum Parochiale detulit. Fit huc quot annis in octava Theophoriæ ſolemnis proceſſio ex Eccleſia Parochiali (bb), & hiſtoriæ ſeriem icon altaris oſtendit. Cæterùm ne quid notitiæ *Nepomucenam* Patriam, *ſanctique Joannis* vitam illuſtrantis omittere videar - ordinem quoque Parochorum & Decanorum *Nepomucenſium*, quantùm attingere potui - , hic ſubjungo - . Ante *Huſſiti*cd ſturbia duos *Nepomucenos* Parochos leviter in vetuſtatis marginibus hærentes reſtituo - , nam plena ſucceſſio dari nequit. In Regiſtro Cleri diœceſis Pragenſis ſub *Joanne à Prazicz* Epiſcopo ad An. 1334. legitur: *Bohunko plebanus in Pomuk*, qui in Eccleſia *S. Jacobi* auxit fundationem altaris ad inſignia domini. (cc) Item ad An. 1450. ſub *Zbinkone* ab *Hazmburg* Archi-Epiſcopo invenio - *Przechum* vel *Przechkonem* Plebanum ad *S. Jacobum* in *Pomuk*, hic teſtamentô dicitur benefactor Cænobii. Videtur ex illuſtri *Czeſticiorum*, ſeu *Hodiegowskiorum* familia fuiſſe, qui plerumque vocabantur *Przechkones*. (dd) Firmat conjecturam ſaxum in Eccleſia Parochiali *Nepomucena*, ubi linguâ vulgari legitur: *Februarii obiit Nob lis Dominus Wenceslaus Przech de Giſtowecz*: Pro inſignibus *roſtratum umbonem* refert, & fuit probabiliter de conſanguineis dicti plebani. Huſſitica dein hæreſi graſſante, & ſacra cum profanis commiſcente de Parochis *Nepomucenis* nihil certi adducere poſ-

(bb) Stanisl. Ridl. cit. libel. fol. 18. Joan. Dedinger in feſtivali fol. 549.

(cc) Archiv. Capit. Prag.

(dd) Paproczky in ſtat. Domin. cap. 32. fol. 369.

ſum, quia & ſumptio utriusque ſpeciei hic loci poſtmodum invaluit. Reconciliatâ ab Huſſitica lue Eccleſiâ *Nepomucenâ*, primum Catholicum Parochum reperio quendam *Joannem*, qui *Joannea* patriæ primus lumen fidei poſtliminiô reſtituit. Deſtinavit eum *Nepomucenum Martinus* Archi-Epiſcopus *Pragenſis*, reſtitutâ Archi-Epiſcopali ſede ordine ſecundus, ùt ex literis ejus ad *D. Georgium à Sternberg* clarè liquet, quas ex originali *Martini* Archi-Epiſcopi literarum protocollo *fol.* 105. deſcribo:

Ad D. Georgium à Sternberg.

Generoſe Domine Domine, Amice nobis chariſſime. Etſi libenter pio D. V. deſiderio plenius reſpondere, & Eccleſiæ Nepomucenæ, jam pridem reconciliatæ (nempè ab Huſſitica hæreſi) *parochum deſtinare volumus, tamen ea Sacerdotum penuria eſt, ut nullum delectum tempore neceſſitatis poſſimus facere. Atque ut interim neceſſitati huic conſulamus, mittimus præſentium exhibitorem, venerabilem Joannem, ob conciones ſuas nobis à D. Abbate Teplenſi* (fuit is *Joannes Meuskönig*) *commendatum, cujus opera D. V. in Eccleſiaſtica illa functione interim utatur, afflictámque catholicam religionem pro ſuo Zelo, & temporis ratione adjuvet.*

E Monaſterio Teplenſi Die 7. Sept. An. 1582.

Martinus, Archiepiſcopus Pragenſis.

Poſt pugnam albo montanam *Nepomucenſi* Decani numerantur ſequentes:

CATALOGUS DECANORUM NEPOMUCENSIUM.

Anno Chriſti 1620.

12. PRIMUS. Illuſtriſſimus & Venerabilis Dominus *Thomas*

mas de *Tompa* è Baronibus *Ungariæ* præclarâ vigilantiâ contra graſſantes *Huſſitico - Luteranas* hæreſes præfuit *Nepomuco* annis duobus.

Anno 1623.

SECUNDUS. A. R. Dominus *Conſtantinus Radomsky*, itidem Ungarus, vitæ valde exemplaris, præfuit annis quinque.

Anno 1629.

TERTIUS. A. R. Dominus *Caſparus Petrus Drauskovius* è *Sileſia* oriundus, Vir literis ac pietate ſolidè fundatus ejus icon ob magna in populum Nepomucenum merita propè cathedram in Eccleſia Parochiali ſpectatur affixa cum inſcriptione: *Vera effigies Admodum Reverendi Domini Caſpari Petri Drauskovii, qui Eccleſiam hanc & gregem Domini viginti Septem annis laudabiliter ac Zelosè vexit: mortuus in Chriſto die 17. Junii Anno 1658. in medio templi ſub cruce in pace quieſcit: orate pro eo:* Hic edidit vitam *S. Adalberti*, & egregia alia manuſcripta ingenii & laboris teſtes reliquit. Inſtituit ſodalitatem *S. Barbaræ Nepomuci* Anno 1640. ac pro feſtis confraternitatis obtinuit ab *Urbano VIII.* Rom. Pontifice indulgentias plenarias, quæ congregatio magnò animarum fructu etiamnum Nepomuci floret, Decanorúmque induſtria in dies nova ſumit incrementa, Domus item natalitiæ *S. Joannis Nepomuceni* in Eccleſiam converſæ plurimus, ùt infra videbimns, author fuit. Demum in fatali peſte, quæ An. 1640. & ſequentibus totam *Bojemiam* attiverat, mirô charitatis obſequiô ſuis oculis adſtitit, de domo in domum eundo, easdem viſitando, & conſolando.

An. 1659.

QUARTUS. A. R. Dominus *Sebaſtianus Carolus Kral Bojemus Libochovicenſis* rexit gregem domini Annis octodecim, zeloſiſſimus verbi divini præco, & perpetuus vitiorum inſectator, obiit piè in Domino *Nepomuci* die 23. *Februarii* An. 1677. ſepultus ad altare *S. Nicolai.* Ex teſtamento benefactor Eccleſiæ & fundator ſex annuorum ſacrificiorum.

Anno 1677.

QUINTUS. A. R. Dominus *Joannes Franciſcus Antonius Suchy Bojemus Horazdiegovicenſis* quinque annis ſuæ curæ præclaram infirmis charitatem, egenis & afflictis miſericordiam exhibuit in peſte 1680. Zeloſiſſimus operator, dum toto eo tempore in Eccleſia ad *cunas Joanneas* cum oviculis ſuis, quas ad id hortabatur, precibus & devotioni inſiſteret, & ſic feliciter omnes à peſtifera lue reſervaret. *Obiit* in Domino *Nepomuci* die *16. Februarii* An. 1682. ſepultus in medio templi ſub crucifixo propè *Caſparum Drauskovium*, erexit altare *B. Mariæ Virginis Sacro Montanæ* ad latus Epiſtolæ in Presbyterio Eccleſiæ *Nepomucenæ*, & fundavit quolibet menſe unum ſacrum.

An. 1682.

SEXTUS. A. R. Dominus *Joannes Wenceslaus ſperat Bojemus Lomnicenſis*, vir bonus & rectus in Feſtò *S. Mathiæ Apoſt.* inſtallatus, ope *divæ Virginis* concepto, *Klatoviam* votô An. 1685. à Letifera infirmitate mirabiliter liberatus, dein An. 1688. Menſe *Februario* ad decanatum *Sutticenſem* aſſumptus.

An. 1688.

SEPTIMUS. A. R. Dominus *Georgius Stanislaus Ridl Bojemus Rokyczanenſis*, magnus cultor *S. Barbaræ*, ideò congregationem ejusdem à *Caſparo Drauskovio Nepomuci* erectam miris progreſſibus adjuvit, dum linguâ populari libellum regulas, & indulgentias confratrum continentem An. 1690. typis edidit. Tandem ob multa merita ad decana-

tum,

tum, & vicariatum *Klattovienſem* *An.* 1695. in *Januario* promotus.

Anno 1695.

OCTAVUS. A. R. Dominus *Mathæus Joſephus Newscheta Bojemus Meronicenſis* vir pius & doctus, in omnibus Eccleſiæ functionibus, præprimis munere concionandi Zeloſiſſimus, Cultûs *Divi Joannis Nepomuceni* inſignis promotor, qui cum procuratore Canonizationis *Joanne Barthl Archi - Epiſcopalis Conſiſtorii, Pragenſis* Aſſeſſore diu literis correſpondit, & plurima atteſtata Joannæam cauſam tangentia confici, & in formam publicam redigi fecit. Ex ſuperiore *Klattovienſi* ſecundo, *Decanus Nepomucenus* à die 3. *Januarii* 1695. Diem ſuum clauſit *Nepomuci*, 26. *Decembris* An. 1699. ſepultus ad altare omnium Sanctorum juxtà ſepulchrum Matris ſuæ.

An. 1700.

NONUS. A. R. Dominus *Auguſtinus Joannes Paſſer Bojemus Munczifagienſis* à die 26. *Januarii Nepomucenas* oviculas velut bonus & zeloſus Paſtor per viginti octo propè annos indefeſſè curavit. Cathecheſium, verbi DEI prædicationem, charitate infirmorum, meritis inſigniter notus. Obiit in voluntatem DEI pientiſſimè reſignatus, & SS. Evchariſtiæ, & extremæ unctionis *Sacramentis* devotè proviſus, Die 28. May, 1728. Eidem in decanatu *Nepomucano* ſucceſſit.

An. 1728.

DECIMUS. A. R. & Ven. D. *Joannes Panek* Artium Liberalium & Philoſophiæ Magiſter SS. Theologiæ Baccalareus formatus, qui usque nunc laborioſi animarum paſtoris officium Nepomuci obit. Cui vitam, & felicitatem habet præterea Reverendiſſimus Dominus Decanus *Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis*, qui pro tempore exiſtit, jus Patronatûs Capellaniæ *Nepomuci* ad altare *Sancti Nicolai*, quod in perpetuum ei donavit *Ladislaus* Rex *Bojemiæ*. Inſtrumentum continetur in Libro Memorabilium Capituli conſcripto Anno 1541. à Domino *Erneſto* à *Schletnicz* Adminiſtratore Archi-Epiſcopatûs Pragenſis. Pertinet ad Capellaniam pagus *Holkowicz*. Suum deſuper jus exercuêre *Thomas Joannes Peſſina* An. 1675. *Paulus Joſephus Axlar* An. 1709. - - *Joannes Wenceslaus Hottowecz* Anno 1719. Et noviſſimè Carolus Dominicus R'zec'zec'zky *Metropolitanæ Eccleſiæ* Decani.

NOTÆ IN CAPUT II.

Wenceslai Regis Socordia. Quantum Principis, & Domini territorialis Socordia in extirpandis hæreſibus Eccleſiæ noceat, aut ejus zelus proficiat, pulchrè expreſſit in præfatione ad *Carolum V. Joannes Ekius* SS. Theologiæ Doctor, & Cancellarius *Ingolſtadienſis*, perpetuus Hæreticorum malleus, & inſuperabilis Eccleſiæ Catholicæ contra exurgentem *Lutheri* hæreſim Athleta; *perſeveret* (ait) „in recto, veróque ſidei inſtituto „Auguſtalis Clementia, & nullis „conſiliis à propoſito avertatur, „quin diras dicat omnibus Luteranis „ſub vaſto Imperio ſuo conſtitutis. „Nam ſinè te adjutore Pontifex „hanc hæreſim extirpare non poterit. Sic enim per omnes experimur „hiſtorias, Eccleſia claudicante vel „in choro, vel in Imperio, fidem „quoque noſtram & religionem

„claudicâſſe. At multò plus in malo „Imperatore lanquetEccleſia, quam „in malo Pontifice, qui faciliùs de- „ſtituitur. Sed Summi Pontifices „boni, bonos nacti Principes, hæ- „reſes facilè extirpârunt. Sic S. „Sylveſter Conſtantinum magnum habens adjutorem, Arrium, & hæ- „reſim ejus per Nicenum Conci- „lium ſuppreſſit: Sed ſuccedente „Conſtantino malo Principe Arria- „na hæreſis adeò invaluit, ut Sancti „Viri non niſi exiliô ſaluti ſuæ con- „ſulerent. Languebat Eccleſia ſub „Juliano, quamvis ſanctiſſimi eſſent „Pontifices, quibus mundus non „erat dignus, usque quo Jovinia- „nus, & Valentinianus Catholici „Principes fidei noſtræ tutelam ac- „ciperent contra Arrianos, quos „GratianusChriſtianiſſimus immor- „tali ab hoc memoriâ dignus omni- „nò delevit per Italiam, Græciam, „& Africam. In Hiſpaniis tamen, „celſitudinis tuæ regnis adhuc Ar- „riani ſæviebant, quousque Richar- „dus Hiſpaniæ, & Galliæ Rex, vera „Gothorum Soboles, convocatô „ToletiConciliô omnes abjurareAr- „rianam hæreſim fecit. Evtyche- „tis & Dioſcori hæreſis comprimi „non potuit per Leonem magnum, quamvis doctum & ſanctum Ponti- „ficem nisì dum Martianus Catho- „licus Princeps ei adjumento erat „in Calcedonenſi concilio. Sic „ſub Piiſſimo PrincipeGratianoMa- „cedonii & Evdoxi hæreſis, Dama- „ſi temporibus Conſtantinopoli da- „mnatur. Sub Theodoſio ſeniore „Innocentius I. damnavit Cata- „phrygas, Montanum, Priſcam, „& Maximillam: Pelagium quo- „que damnari fecit in Africa, qui „iniqui Comitis Juliani tutus præſi- „dio in Britannia multa mala ingeſ- „ſit Eccleſiæ. Gregorius ſanctus „& magnus, quem totus veneratur „orbis, Eccleſiæ Sciſſæ conſulere „non potuit Mauritio Imperatore „obſtante, quam facilè Bonifacius „III. adjuvante Phoca Imperatore „reſtituit. Sanctus quoque Domi- „nicus dum hæreſim apud Toloſam „juſſu Innocentii III. extirparet, ar- „mis uſus eſt, & auxilio Simonis „Monfortii. At quid vetuſta com- „memoramus, recentiora adfera- „mus. Rex Angliæ Richardus Ze- „lo fidei, Cantuarienſi Archi-Epi- „ſcopo aſſiſtens ſuborientem Wi- „kleffi hæreſim ſedavit, quod cùm „Rex Wenceslaus Archi-Epiſcopo „Pragenſi auxilium denegaret, hæ- „reſis in Anglia extincta, in Boje- „miam auctore Joanne Huſs trans- „plantata fuit. Hæc *Ekius*.

Perpetuum denique fuit apud omnes hæreticos, ut, cùm ſe ab Eccleſia certiſſimè damnandos ſcirent, ad brachium ſæculare refugerent, cui dum dogmatibus laxis blandirendur, ſub præſidio ejus firmi ſtarent. *Porphyricus* auctoritatem *Juliani* Imperatoris nactus, paganiſmum contemptô *Chriſtô* introducere contendebat. *Arrius Conſtantini*, operâ gynæcei, ſuffuratus amores immanè quantùm turbavit Eccleſiam. *Donatus*, *Priſcillianus*, *Manes*, *Pelagius* Principum favoribus abuſi ſunt. *Joannes* Wiklcff apud Comitem *Laguſtriæ* Virum præpotentem in *Anglia* tutum inveniens latibulum ſcripſit quidquid voluit. *Joannes Huſs Pragâ* expulſus ad *Nicolaum* patriæ ſuæ dominum reſugit, ac ſub ejus, protectione *Bechinenſem* diſtrictum, dein totam *Bojemiam* infecit. *Lutherus* tam procul progreſſus nunquam fuiſſet, niſi à Saxoniæ duce *Friderico* protectus. Quid de *Calvino*, qui Reipublicæ *Genevenſis*, & *Huldrico Zvvinglio*, qui *Tigurinorum* favoribus freti ſuas palàm protruſerunt inſanias. Ac retrò per omnes hæreſes eundo, ſinè interruptione reperimus ſæculari potentiæ ſubnixas inextricabiles Eccleſiæ DEI moleſtias causâſſe.

Unius Homuncionis ambitio. Conſideremus ferè omnium hæreſum origines, & deprehendemus

mus ex hoc vitio emanâſſe. Teſtante ſacrâ paginâ *Eccleſiaſtici* 10. *v.* 14. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à DEO.* Sic *Valentinus*, quod in Epiſcopatu fuerit præteritus, ſe ſubduxit Eccleſiæ, ùt *Tertullianus* exprobrat, ſic *Marcion* ſcribente *Epiphanio*, ſic *Montanus* teſtante *Theodoreto*, ſic *Novatus* ſancto *Ambroſio* teſte, ſic *Ætius* quòd Epiſcopatu indignus judicatus ſit, hæreticus factus eſt, ùt ſcribit *Epiphanius*, ſic *Donatus* ambitione motus, quòd *Cæcilianus* contradicente illo *Carthaginenſis* Epiſcopus fuiſſet conſecratus, *Donatiſtarum* ſectam *Numidiæ* in *Africa* inchoavit. Sic *Neſtorius*, & alii antiqui hæretici occultô ambitionis tabô agitati; Eccleſiæ veritatem ſciderunt. Ipſe quoque *Joannes* W*ikleff*, cujus venena *Huſſus* hauſerat, ab Eccleſia nullo alio motivo receſſit, niſi quòd in *Vigorienſi* Epiſcopatu, quem totis viribus exambiebat, fuerit præteritus. Et *Lutherus* non aliâ cauſâ, quàm dum ſuum *ordinem Auguſtinianum* in prædicanda bulla cruciata *Dominicanis* inſtigatione *Staupitii* Vicarii Generalis, ambitioſè præferre contendit, in hæreſim incidit. Rectè *S. Auguſt. in cap.* 34. *Ezech. Alia ſecta eſt in Africa, alia in Oriente, alia in Ægypto, alia in Meſopotamia: diverſis locis diverſæ ſunt, ſed una mater ſuperbia omnes genuit.*

Nuper ab Hieronymo Faulfiſch.

Hieronymus Pragenſis in hæreſi *Huſſi* ſocius, filius *Adalberti Faulfiſch* (quod putridum piſcem denotat) Civis *Neo-Pragenſis.* De eo *M. Martinus Bachaczek* Huſſita *Rect. Academ. Prag. in program.* 1610. *Hieronymus*, ait, *Pragenſis tenuis conditionis homo, impetrata per Huſſium diſpenſatione in multis academiis vixit, ut titulum Magiſterii reportaret.* Tunc non itâ pridem *Hieronymus* rediverat ex *Anglia*, & damnatos W*ikleffi* libros *de univerſalibus realibus* velut pretioſa Cimelia ſecum in *Bojemiam* aſportans. Illum paulò poſt ſecutus fuit quidam *Petrus Paine* diſcipulus W*ikleffi* ex *Anglia* proſcriptus, qui libros itidem *Alithia*, aliósque commentarios W*ikleffi* tanquam peſtem attulit. Ab his factum, quòd diverſis tranſcriptionibus libri *Pragæ* divulgati, quàm plurimos maximè incautos, & novarum rerum cupidos hæreticis erroribus imbuerint. Commodârunt verò libros iis potiſſimùm quos Teutonicorum odio (ut refert *Æneas Sylvius*) teneri ſcirent.

Lipſiam abeuntes novam ibi ex ruinis Pragenſibus Univerſitatem condiderunt.

Quàm inſignia Academia *Lipſienſis* incrementa ex doctorum *Pragenſium* eruditionis ac virtutum ſtudio acquiſiêrit, enarrat *Cochlæus lib.* 1. *Hiſtor. Huſſit. fol.* 14. „Turmatim igitur „abeuntes Pragâ Doctores, & Ma„giſtri cum duobus millibus ſtuden„tium, itinere trium (ùt ait Æneas) „aut quatuor, potiùs quinquêve „(ut ego puto) dierum pervene„runt Lipſiam Anno M. CCCCIX. „ubi publicum inſtituerunt Gymna„ſium dividentes univerſitatem, „juxta morem Pragenſis Academiæ, „in quatuor nationes, Miſnenſem, „Saxonicam, Bavaricam, & Po„lonicam. Sed itâ ut una in gene„re natio multas in ſpecie compre„henderet nationes. Verbi gratiâ „Bavarica comprehendat non ſo„lùm Bavaros, ſed etiam Auſtrios, „Styrios, Carinthios, Suevos, „Helvetios, Rhenenſes & Franco„nes. Polonica item Bojemos, „Luſatas, Vandalos, Sileſitas, „Prutenos. Magnis præterea do„nati ſunt libertatibus, privilegiiſ„que, & cenſuum perpetuorum, „fundationibus collegiaturis item, „& præbendarum Cathedralium „Eccleſiarum, Miſnenſis, Merſe„burgenſis, Numburgenſis, & Ci„ticenſis incorporationibus. Quæ „ſanè omnia cum tempore ſic ad-

„ aucta ſunt, ut auſim dicere, nul- „ lum eſſe hodie in tota Germania „ litterarum Gymnaſium tam com- „ modè inſtitutum, aut tam certis „ ac firmis cenſibus fundatum, „ quàm Lipſienſe cernitur. Hæc *Cochl.* Confirmata fuit Academia *Lipſienſis* ab *Alexandro V.* & *Pio II.* Summis Pontificibus, ùt plurimùm verò aucta, & redditibus proviſa (habet enim ſex bene extructa Collegia, interque hæc unum *Paulinum*, nuncupatum, *Hermes*, *infaſcic. Jur. publ. cap.* 37. *n.* 51.) à *Fridericis I.* & *II.* Principibus Catholicis Marchionibus *Miſniæ*, & Landgraviis *Thuringiæ*. quorum poſterior ob inſignes operas, adverſus inſurgentem *Huſſi* hæreſim, à *Sigiſmundo* Imperatore, translatâ dignitate Electoris Saxonici in familiam Marchionum *Miſnenſium*, primùs Elector Saxoniæ An. 1423. *Kal. Auguſti* audiit. Zelum ejus pro Catholica fide, & excellentes prorſus virtutes, quibus ævo ſuo præluxit, & ſucceſſoribus exemplum fortè reliquit, è M. S. Codice Bibliothecæ Parochialis *Culmenſis* (ubi inter alia, Sermones ſub *Joanne IV.* Epiſcopo *Miſnenſi* in Synodis, ac etiam in Academia *Lipſienſi* à *Pragenis* doctoribus habiti continentur) luculentiſſimè diſpiciuntur. In memoriam igitur illuſtris adeò, & Catholici Herois, & gloriam totius Electoralis familiæ ſermonem decimum quartum, qui fuit inauguralis pro nova dignitate Electorali obriſæ laudis verba ſequentia continentem hìc ſubnoto, ùt ſequitur:

Sermo XIV.

„ QUalis eſt hic? Matth. 8. Scri- „ bitur in Evangelio Domini „ jam præſentis. Quia volente „ DEO propter exaltationem & „ promotionem Illuſtriſſimi Princi- „ pis & Domini Domini Friderici, „ Dei gratiâ Ducis Saxoniæ, ſacri- „ que Romani Imperii Electoris gra- „ tificati Miſſam hanc ſacratiſſimam „ pro gratiarum actione celebra- „ mus.

Et infrà.

„ Qualis eſt hic? iſte eſt, qui „ conſilia ſana non reſpuit, iſte eſt, „ qui ſaluberrimis monitis acquie- „ ſcit. Iſte eſt, qui verificos dili- „ git, & falſificos odit, hic à juven- „ tute virtutibus animum dedit. „ Adhærere DEO, & ei ſervire fi- „ deliter ſemper ſtuduit, propter „ quod ipſe DEUS glorioſus prin- „ cipem eum conſtituit, & jam in „ Ducem Saxonum, ac Electorem „ Imperii Romani magnificè ſubli- „ mavit. Ipſe didicit juſtitiam eſſe „ eſſe virtutem præclariſſimam „ 7. Eth. ipſe didicit, quòd ſinè ju- „ ſtitia, regna ſunt magna latroci- „ nia, prout dicit B. Aug. lib. de „ Civit. Dei. Didicit etiam Domi- „ nus noſter Dux ea, quæ principi „ congruunt, ſine acceptatione per- „ ſonarum inter virum & proxi- „ mum judicare, advenas, pupillos, „ & viduas defendere, furta prohi- „ bere adulteria perimere, iniquos „ non exaltare, impudicos & hi- „ ſtriones non nutrire, impios de „ terra perdere, parricidas, & per- „ juros vivere non ſinere, Eccleſias „ defenſare, Sacerdotes ùt Mini- „ niſtros DEI revereri, pauperes „ alere, juſtos ſuper officia ſua con- „ ſtituere, ſenes & ſapientes & ſo- „ brios conſiliarios habere, mago- „ rum, & pythoniſſarum ſuperſti- „ tionibus non intendere, patriam „ ſuam fortiter, & juſte defendere, „ in DEO per omnia confidere, „ proſperis animum non elevare, „ fidem Catholicam Romanam ha- „ bere, certis horis orationibus in- „ ſiſtere, aut horas congruas nec „ cibum nec potum - - - - „ Clementem, ac benignum ſe ſub- „ ditis exhibere. Sed apud Princi- „ pes hæc proh dolor! rara ſunt, „ atque chara adeò, quòd jam qua- „ ſì pro miraculo ſit, quòd princi- „ pes virtutes habeant principantis.

Quis

„Quis inter Principes eſt, qui cul-
„tum Dei Divinum & Clerum fide-
„liter diligat? quis eſt, qui paupe-
„res cordialiter amat? quis eſt inter
„Principes, qui fidem Catholicam
„viriliter protegat, ac defendat?
„quis eſt hic, & laudabimus eum?
„Eccl. 31. Et reſpondeo pro Do-
„mino meo Friderico cum Poëta
„Saluſtio: hic hic quem quærimus
hic eſt. Quod publicum eſt proba-
„tione non eget. Teſtificor quod
„vidi: quomodo ipſe Dominus
„cum illuſtri conthorali ſua paupe-
„res nutriant, foveant, indigenti-
„bus quoque tribuant indumenta.
„In divinis officiis manent ferè, ni-
„ſi cauſa præpediat, quousque ſum-
„mantur (id eſt abſolvantur)
„Quantáque contra hæreticos in
„Bojemia fecerit, tota ſuper hoc
„Chriſtianitas gaudet, propter
„quod exaltavit illum DEUS apud
„proximos, imò ſuper proximos
„ſuos Eccl. 44. Quantùm verò
„ad Univerſitatem hanc noſtram in
„Lipſia benevolentiam habeat,
„non ſolùm colligiatorum, & do-
„ctorum ſtipendia, non ſolùm col-
„legiorum ædificia, non ſolùm fre-
„quentia munera, ſed univerſa pe-
„nè mundi climata clamant. Pro-
„pter has igitur virtutes ſuas bonas
„Dominus DEUS contulit ei gran-
„dem honorificam excellentiam.
Hactenus vetus codex.

Illuſtris certè laudum Catalo-
gus, ex quo mirum nemini videbi-
tur, quod hic egregius & exempla-
ris prorſus Princeps præter æterna
cœli præmia temporalem quoque
Electoralis dignitatis gloriam pri-
mus familiæ ſuæ inſeruerit. Virtu-
tes hujusmodi egregiè quoque
æmulatus fuit, ejusdem ex *Alberto*
filio, & *Sidonia Georgii* Regis *Bojemiæ*
filia, Nepos *Georgius* cognomine
barbatus, quemadmodùm enim *Fri-
dericus* Dei zelô accenſus cum neo-
erecta Univerſitate *Lipſienſi* ſe *Huſſo*
ejùsque diſcipulis tùm armis tum li-
teris ſtrenuè oppoſuit, ità ſæculo
poſt idem *Georgius* cum eadem Uni-
verſitate à ſe noviter reſtaurata oxo-
rientes *Lutheri* inſanias viriliter in
provinciis ſuis ubique repreſſit, at-
que in gremio *ſanctæ Matris Eccleſiæ
Catholicæ* usque ad finem vitæ fidelis,
& conſtans perſeveravit. *Poſſumus
id liquidò dicere* (ait ad *Lutherum* in
Epiſtol. data *Dresdæ* die innocentum
An. 1526. Impreſſa *Lipſiis* Anno
„1529. „quòd nobis Evangelium
„tuum, poſteaquam à primoribus
„Eccleſiæ, ùt parùm ſyncerum,
„& ſanum judicatum fuit, non ſanè
„magnopere curæ fuerit. Illud tan-
„tùm ſedulò ſtuduimus, ut quo ad
„ejus fieri poſſet, præcaveremus,
„nè homines noſtri id amplecteren-
„tur. Quam quidem ad rem peſti-
„lentes fructus, quos inde prove-
„nire animadvertimus, nobis oc-
„caſionem dederunt. Neque enim
„ne ipſe quidem negare potes, è
„doctrina tua quidquam aliud,
„quam ſummam Dei, ſacroſanctæ
„Evchariſtiæ, Sanctiſſimæ Dei Ge-
„nitricis, & omnium denique San-
„ctorum contumeliam ortam eſſe.
„Siquidem per tua, tuorúmque di-
„ſcipulorum dogmata omnes vete-
„res hæreſes, repetuntur, renovan-
„túrque, & quod jam inde à tem-
„poribus Sergii non accidit, reli-
„gio, cultúsque Dei omnis ever-
„titur. Quando enim unquam
„alias tot hominum Deo dicatorum
„Sacrilegia commiſſa ſunt, ac po-
„ſteaquam tu tuum evangelium
„protuliſſes? Quando unquam tot
„miſerorum cœnobiorum direptio-
„nes viſæ? Quando unquam tot
„furta & latrocinia. Quando un-
„quam tot Monachi, ac Monachæ
„fugitivæ Wittenbergæ fuerunt ac
„nunc ſunt? quando unquam uxo-
„res à maritis abductæ, & aliis col-
„locatæ ſunt? niſi quod id nunc in
„tuo evangelio reperitur? Quando
„unquam tot adulteria ſunt com-
„miſſa, ac poſtquam tu ſcripſiſti
„uxori, quæ ex marito ſuo conci-
„pere non poſſit, ad alium virum

„ tranſire, ex quo liberos gignere, „ quos maritus alere cogatur, & „ idem è diverſo etiam marito face- „ re licere? Hos fructus ſcilicet pe- „ perit nobis iſtud præclarum evan- „ gelium tuum, quod te jactas è te- „ nebris in lucem protuliſſe, & „ præſtaret id adhuc in tenebris ja- „ cere &c. Quare rogo te ut reſi- „ piſcas Luthere, nec ſpiritu illo, „ qui Sergium Apoſtatam ſeduxit, „ te longiùs perduci patiare. Hæc *Georgius.* Quod illæ, hoc to- ta univerſitas, & vel maximè infra- ctus atque planè Hectoreus fidei Ca- tholicæ aſſertor *Hieronymus Emſerus*, SS. Theologiæ Doctor, & SS. cano- num licentiatus. Hoc etiam cæte- ri Venerabiles ac Egregii Viri *An- dreas Epiſtates Delicianus*, Philoſo- phiæ Magiſter, & juris utriusque Baccalaureus, almæ Univerſitatis *Lipſienſis Rector.*

Dominus *Magnus Hund Madebur- genſis* artium & ſacræ paginæ Pro- feſſor.

Dominus *Georgius Dottanius*, *Meynningenſis* artium & ſacræ paginæ Profeſſor.

Dominus *Georgius Breitkopff de Konitz* artium Magiſter, & SS. Theologiæ Baccalaureus formatus.

Dominus *Wolffgang Schindler Bo- jemus Cubitenſis* artium Magiſter & SS. Theologiæ Bacclaureus formatus.

Dominus *Wenceslaus Geyer itidem Bojemus*, & *Cubitenſis* Philoſophiæ Magiſter. Omnes Eccleſiaſtici or- dinis, Doctores & Profeſſores, nec non illius ſtudii fugentiſſima ſy- dera, prout in confutatione Apo- logetici pro hæreſi Picardica, ad Il- luſtriſſimum Principem *Georgium Sa- xoniæ Ducem* à Magiſtro *Hieronymo Dungerheim* de *Ochſſenfort* Sacræ Theologiæ Profeſſore Lipſienſi An. 1514. edita, adjecta eorum contra illum hæreticum librum proteſta- tione leguntur. Hos præclaros iſtius Academiæ honores ideò refe- ro -, ut in matrem ſuam, *Al- mam Univerſitatem Pragenſem* re- dundent.

Veneno Huſſitarum ſub- lato. Mira quæ ad ſepulchrum *Zbinconis Archi-Epiſcopi* ſub turri nova templi Metropolitani contigerunt, narrantur à *Thoma Peſſina Phoſph. rad.* 5. *fol.* 549. & ſeq. Eſt videlicet ſub illa tum Capella, quam ſumpti- bus ſuis Archi-Epiſcopi *Wolframus*, & *Zbinko* ædificari, & ornari fece- runt, quorum & ibi inſignia Saxo inciſa ſpectantur. Et *Zbinconis* qui- dem leporem, & apri caput, *Wolfra- mi* autem flammas quinque cuſpidi- bus irradiatas exhibent. In parie- tibus inciſæ duodecim cruces, con- ſecrationis indicia ſunt. Crypta ſepulchralis, in qua *Zbinko* & *Wolf- ramus* Archi-Epiſc. quieſcunt muro clauſa eſt. Ex ea, injuriâ tempo- rum rupta, quidam projectæ auda- ciæ nebulo cooperculum ſtanneum à tumba furtô abſtulit. Inde ſor- des è turri deciduæ, ſacra ejus oſſa complevêre. Quod dum valde in- dignum videretur An. 1712. *Vene- rabile Capitulum Metropolitanum* ſede Archi-Epiſcopali vacante locum per commiſſarios viſitari, & à ſordi- bus mundari fecit. Ego Decano Metropolitano à ſacris exiſtens eâ occaſione uſus ſacrum Archi-Epi- ſcopi pro fide occiſi caput devotè exoſculatus in priſtinum ordinem ejus oſſa disjecta collocavi; & mira- bili fortunâ infrà ejus tumbam aliam ligneam deprehendi -, in qua reconditæ inveniebantur exuviæ *Wolframi* Archi-Epiſcopi, ùt vide- bimus paulò pòſt, cujus ſepul- chrum hactenus erat incognitum. Stannei coòperculi locô querci- num interea ſubſtitutum cum ſe- quenti inſcriptione:

Oſſa.

Venerabilis Viri Zbinconis ab Hazm- burg Archi-Epiſcopi Pragenſis Conſilio

&

& animo illuſtris, Poſonii in Hungaria ab Huſſitis venenô extincti An. 1411. Hic inde tranſlata quieſcunt.

Anima ejus luce fruitur perpetuâ.

De *Wolframi* Archi-Epiſcopi obitu, ſepultura, & facta fundatione præclaras Archivum *Capituli Metropolitani* dat notitias, quæ cùm hactenus nullibi typis reperiantur, eas nè penitus intereant, hic ſubjungendas cenſui. In libro igitur M. S. chartaceo *fol.* 4. & ſeq. legitur.

Wolframus Archi-Epiſcopus Pragenſis obiit An. MCCCCII. in die S. Sigismundi in curia ſua, & ſepelitur in turri nova.

Sub turri novâ.

Capella (*Wolframi Archi-Epiſcopi.* (*Sbinconis Archi-Epiſcopi.*

Nova capella turris, ubi campanæ in Eccleſia Pragenſi debent locari, eſt per Illuſtrem Dominum Jodocum (qui fuit Joannis Henrici Marchionis Moraviæ filius, & ipſe Moraviæ Marchio & Brandeburgi, tandem electus Rex Romanorum) *bonæ memoriæ dotata.*

PRIMUM „ altare propè co„lumnam, in honorem aſſumptio„nis & annunciationis S. Mariæ, & „ S. Priſcæ per Dominum Herthvi„num de duba Plebanum Eccleſiæ „ in Wzdicz Domini Regis Wences„lai diſpoſitione habendum & te„nendum.

SECUNDUM „ altare in me„dio ejusdem capellæ in honorem „S. Spiritus, SS. Angelorum, & „omnium Sanctorum Apoſtolo„rum.

TERTIUM „ Altare verò „propè parietem in eadem capella, „in honorem Sanctorum Patrono„rum, Viti, Adalberti, Wences„lai, Sigismundi, Apollinaris, „Procopii, Ægidii, Ludmillæ, „Margarethæ, & omnium Sancto„rum Martyrum, nec non Sancto„rum Doctorum, Hieronymi, Au„guſtini, Gregorii, & Ambroſii, „& omnium Sanctorum

„ Cuilibet Altariſtæ XV. ſexa„genæ ſunt aſſignatæ. Quilibet Al„tariſtarum eſt ad quatuor miſſas le„gendas ſingulis ſeptimanis adſtri„ctus per ſe vel per alium. Unam „de *B.* Virgine, ſecundam domini„cæ aut de feſto. Tertiam pro de„functis. Quartam de Patronis. „Altariſtarum villæ ſunt iſtæ: „Chvvalovv Mokrus, Thimelovv.

„ In anniverſario pro dicto „Marchione, qui mortuus eſt An. „M. CCCC. XII. in Spilmberg in „die Priſcæ, quilibet Altariſtarum „debet dicere Vigilias IX. lectio„num & in craſtinum miſſam defun„ctorum.

QUARTUM „ Altare ibidem „ſub feneſtra Sanctorum Joannis „Baptiſtæ, Joannis Apoſtoli & „Evangeliſtæ S. Bartholomæi fun„datio duorum Leporum XII. „Sexag.

In Nedvvedicz. (*In bonis* (*Sigismundi*
In Trzebevvicz II. Sexag. (*de Nedvvedicz.*

Item fol. 29.

Sub turri nova tria Altaria.

Jodocus Marchio Patronus
) 1. *Altare S. Mariæ Aſſumptionis* (*VII. idus Apri.*
) 2. *Altare S. Spiritûs.* (*XII. Kal. Octobr.*
) 3. *Altare Patronorum* (*XIV. Kal. Novemb.*

Qui-

Quilibet Altariſta XV. ſexagenas habet.

Bona villa (*Chvvalovv*
(*Tymakovv.*

Altare Aſſumptionis in villa Duboczj XII. ſexagena, & in Zalezlech III. ſexag. cenſus annui.

Hactenus M. S. De hac *Jodoci* fundatione & erectis altaribus inſtrumentum continetur Lib. XI. Erect. N. 8. ubi legitur: *Jodocus Anno* 1412. *in Feſto S. Priſcæ in nocte in caſtro Spilemberg prope Brunam diem clauſit extremum.* Diſturbiis Huſſiticis, & incendiô 1541. hæc capella ornatu ſuô ſpoliata, usque nunc inculta, profanata repoſitorium rerum Eccleſiæ agit. Ob inſignes tamen memorias, & ſacras *Zbinconis* exuvias reſtauratrices ſuô tempore manus præſtolatur.

Inter laudes prædicti Archi-Epiſcopi etiam ea reponere debemus, quæ *Stephanus Paletius* in ſuo adverſùs *Huſſum* libro *Bibl. Eccl. Metropol.* adnotavit dum ait: „ Reverendus „ Pater Dominus Archi-Epiſcopus „ olim ſanctus Sbinco, ſancto inſiſtens labori, pro illorum malorum, præcipuè pro illius venenati capitis malorum Wikleff, & ejusd. ſacrilegarum doctrinarum, exterminio, factus fuit ex inobedientia, & rebellione illius Magiſtri Hus, contemptibilis, & penè fabula in populo. Qui Reverendus Pater etsì ætate ſatìs juvenis, ſed morum honeſtate canus, & gravis, Domini ſui JEſu Chriſti exemplô edoctus ſolidô: qui perfidorum judæorum cedens ſcandalis exivit de templo, & abſcondit ſe. Non ut convictus, & ſerviliter fugeret, ſed tempus ut tempori ſervaret; ità & ipſe Pater chariſſimus deſuper admonitus, pto temporis congruentia furori cedens perſequentium, affectus non confectus tædiô, ſciens quòd metus pro tempore etiam in conſtantem virum poteſt cadere: nequaquam autem convictus in accuſatis per partem Wikleph criminationibus, ſed potius victor egregius, quaſi exivit de templo, & paululum abſcondit ſe: dum dimiſſa ſui Epiſcopatûs Pontificali cathedra, exivit te terra, & Diœceſi propria Bojemiæ, & peregrinus factus eſt, peragratâ terrâ Moraviæ, ut veniſſet in Ungariam, viſitaturus Sereniſſimum Principem, ejusdem terræ Ungariæ Regem Sigismundum, antequam perveniſſet ad illius conſpectum præoccupatus, & viſitatus ipſe prior divinâ providentiâ, ut ſui certaminis optimæ retributionis reciperet præmium, carnis ſoluto debito: Exul quidem à ſuis propriis, ſed nec tam propriis, quàm ſervilibus, & temporaliter conceſſis, momentaneis ſedibus, ad repromiſſam ſervis fidelibus deſuper hæreditatis perpetuæ capiendam patriam tranſiturus. Indeciſam communis, quam aſſumpſerat, benedictionis cauſam ſanctæ Matri Eccleſiæ, & ſpiritum ſuum Domino commendavit. Et qui adverſarias vincere vivens non poterat, ad ſedem ſui Epiſcopatûs victor relatus eſt mortuus. Quod utique negotiorum illorum finis, Deo propitio comprobabit. Hæc *Stephanus Palez.*

Cum plauſu id approbante, & rem ipſam exequente Huſſio. Quod *Huſſus* ipſe ſuis manibus, Laicis porrexerit calicem, hactenus *Huſſitæ*, qui ſuum Magiſtrum à plurimis excuſare nituntur, negârunt omnes. Inde etiam *Hagek* Magiſtri *Laurentii* Huſſitæ narrationibus nimiò plús fidens ſe & alios in errorem induxit, dum ad An. 1414. ſcripſit: *Huſſum in carrere conſtantienſi fuiſſe diguſtatum, dum audiviſſet Jacobellum,*

bellum, & ejus complices communionem calicis introduxiſſe, atque ingemiſcendo repoſuiſſe: jam intelligo, hæc eorum temeritas, me capite privabit. Balbinus quoque *Epit. rer. Bojem. lib. 5. cap. 5.* Superiores ſecutus aſſerit: *intereà captò jam Huſsò Anno 1414. Magiſter Jacobellus Miſniacus Dresdenſis* (quem longè probabiliùs *Miſenſem*, ſeu *Arczbrenſem Bojemum* conſtat fuiſſe teſte *Lupacio in Calend 5. & 9. Auguſti.* ubi contrarium ſentientes gravis erroris arguit, & conſtat ex inſcriptione ejus tumuli, quæ vivente *Lupacio* è ruderibus fuit eruta: *An. 1429. in Vigilia Laurentii obiit Venerabilis Vir Jacobellus de Miza* (non Miſſnia) *Magiſter in artibus & ſacræ Theologiæ Bacalaureus formatus, profundus interpres ſcripturarum, & dignæ communionis præcipuus promotor*) *Pragæ communionem Evchariſtiæ ſub utraque ſpecie panis & vini velut neceſſariam populo res novas quærenti perſuaſerat. Dubravius lib. 23. Hiſt. Bojem.* licèt quidem erroneæ inſtitutioni *Huſſi*, qua ſuos diſcipulos ſeduxerat, calicis inventum attribuat, ab ipſo *Huſſo* tamen jam conſtantiæ morante inchoatum calicem identidem ait. Si *rectam inſtitiſſent viam* (videlicet *Jacobellus* & complices) *nunquam illis Hus à carcere reſcripſiſſet*) *Hagek* de litteris nihil habet, ſed ait *Huſſum* duntaxat reſpondiſſe non ſcripſiſſe *illos tandem reperiſſe poculum, quod ſibi mortem acceleraret, jam enim de capite in concilio decernebat, & inter alia, quæ ei objiciebantur, quo celeriùs damnaretur, hic etiam articulus de calice eum prægravabat, quaſi illo auctore propinatus.* Adhæc - - aſſerendum, quòd tametſi *Huſſus* autor calicis Principalis non fuerit, illum tamen approbaverit, & laudaverit, imò propriis manibus diſtribuerit. Aſſertum clarè probo - ex Manuſcripta Epiſtola charactere ſæculi decimi quinti, in duplici codice Bibliothecæ Parochialis *Culmenſis*) quàm magnis ſumptibus & labore ex *Miſſnia* coëmit R. D. *Michaël Schmid* SS. Th. Bac. For. Parochus *Culmenſis*, ac Parochiis *Culmenſi*, & *Carbicenſi* donavit) à me - nuper reperta, & manu propriâ deſcripta, quæ ſic incipit:

Epiſtola miſſa in Pragam.

Eloquenti Viro Domino Joanni verbi Dei ſeminatori in Praga.

Hæc Epiſtola detur fratri ſuo in Chriſto dilecto.

„ Pro ſalutatione in Chriſto JEſu Domino noſtro, dilectione fraterna in charitate non ficta, ante omnia præporrecta abs omni adulatione, ſcrupulo & offenſa qualibet procul mota, cum deſiderio ſalutis animæ & corporis. Quia quid proſperitas mundi valet in hac præſenti vita, ſi damnatio animæ, & corporis ſequitur in futura &c. „ Fragmen hujus Epiſtolæ ſub titulo Anonymi citat „ Cochlæus lib. 1. Hiſt. Huſſit. „ fol. 43. extat, inquit, & alia bene longa exhortatio cujusdam, qui fraternè eundem Joannem Huſs admonens inter plurima ſic ait: Ideò frater mi dilecte, non te delectet multitudo turbarum multarum te præcedentium, & ſequentium, plusquam obedientia Dei, & Prælatorum tuorum. Quia non omnes qui te præcedunt, & qui te ſequuntur, dixerunt, vel jam dicunt, Benedictus qui venit in nomine Domini oſanna in excelſis, ſed proh dolor! multi dixerunt, & dicunt, maledictus qui venit in nomine Diaboli, de abyſſis, qui commovet populum per univerſam Bojemiæ terram. Et quando intraſti Pragenſem civitatem „ (nempe poſtquam Huſſus propter excommunicationem *Pragâ* in Patriam diſcedens, ſubinde *Pragam* redibat) „ commota eſt univerſa Civitas, dicens quis eſt hic? quidam dicebant, hic eſt prædicator veræ fidei; alii

„ alii verò dicebant, non, ſed ſe-„ ducit turbas. Et ſic frater mi di-„ lectè, quanquam plures tibi blan-„ diuntur, quorum voluntatem im-„ ples, & qui ex tuis promotioni-„ bus, temporalibus, & momenta-„ neis utuntur. Oculo tamen dili-„ genti tibi proſpice, nè & tibi po-„ ſtea quandoque venenum infa-„ miæ infundant acriùs quàm ſcor-„ pio &c.

Ex his non vane conjecturo hanc Epiſtolam à *M. Andrea Broda* perpetuo *Huſſi* malleo, & Catholicæ fidei intrepido Athleta ad *Huſſum* ſcriptam in ſuo exilio, dum cum doctoribus *Pragâ Lipſiam* conceſſerat, nam ſtylus ejus ſimplex, & rectus, nec non Theologica ſacræ ſcripturae, & ſententiis Patrum, perpetuò inhærens ſcientia, legenti clarè manifeſtat, confirmat etiam titulus epiſtolæ, qui in altero Manuſcripto codice ſic exprimitur.

M. A. B.

Eloquenti Viro Domino Joanni Verbi DEI ſeminatori in Praga.

Quæ literæ initiales nomen ſcribentis exprimunt, & ſonare videntur:

Magiſter Andreas Broda.

Id ipſum roborat Summarium Regiſtri, quod ſic habet: *Epiſtola M. Andreæ miſſa in Pragam in qua plurima bona collecta inveniuntur.* In hac ergò Epiſtola præter alia multa verè ſalutaria monita etiam ſic legitur: *Et ſi præfatis omnibus & ſingulis præmiſsis, in admiratione plùs admiror, nec mirari ſufficiam, QUA PRÆSUMPTIONE AUDES POPULUM LAICALEM SUB UTRAQUE SPECIE SACRAMENTALITER COMMUNICARE?* „ neſcio! Hoc faciendo „ contra voluntatem Chriſti & Dei, „ & contra intellectum communem „ S. Scripturæ, & contra ſtatuta, & „ Canones S. Matris Eccleſiæ. Quod „ hoc ſit contra voluntatem Chriſti „ & Dei patet per executionem ul-„ timæ cœnæ, & omnes Evangeli-„ ſtas, de quo teſtimonium perhi-„ bent, quia ſi Chriſti & Dei vo-„ luntas fuiſſet Laicalem populum „ ſub utraque ſpecie ſacramentali „ communicare advocâſſet Chriſtus „ ad eandem cœnam ultimam, in „ qua dedit corpus ſuum, & ſan-„ guinem ſub utraque ſpeciè, Ma-„ trem ſuam Virginem glorioſam „ Mariam, quæ fuit dignior omni-„ bus Apoſtolis, quia tunc fuit ter „ ſancta, ùt dicit S. Thomas in com-„ pendio Theologiæ veritatis. Et „ ſeptuaginta duos diſcipulos, & „ hoſpitem cum familia, apud quem „ fecit cœnam, quia multum dile-„ xit eum, & Joſeph ab Arimathia, „ & Nicodemum, & alios familia-„ res, qui comitabantur eum, ſed „ hoc non fecit, ideò voluntas ejus „ ad hoc non fuit, ut populus laica-„ lis communicaret ſub utraque „ ſpecie ſacramentali &c. „ Quid certiùs, quàm ipſum *Huſſum* ſub utraque ſpecie populum laicum communicâſſe, & diſcipulorum ſuorum in fide novationes autoritate ſua roborâſſe. Ideò meritò articulus de calice, quaſi illô authore propinatus, in concilio eum multùm prægravaſſe dicitur, juxta id: *Omnia noſtra facimus, quibus autoritatem impertimur.* Longè enim ante abitum, & incarcerationem *Huſsii*, calicis inventum operâ *Jacobelli Pragæ* invaluit. *Huſſus* ad illud iter peragendum exivit *Pragâ feriâ quintâ* ante Feſtum *S. Galli*, quæ erat 15. *Oct.* An. 1414. & *vigeſimô die*, quæ erat *Sabbatum* poſt Feſtum *omnium Sanctorum* & 3. *Novembris Conſtantiam* advenit. Præcitata Epiſtola eodem An. 1414. ùt in contextu deprehenditur, ſcripta eſt, & ante *Huſsii* iter eidem *Pragam* miſſa, quod bene animadver-

madvertêre *Cochlæus* & *Æneas Sylvius*, ideo *Jacobelli* inventum non ad tempus incarcerati *Huſsii*, ſed longè antepoſuerunt. *Abrahamus Bucholtz* in indice chronologico narrat à *Jacobello* & *Petro*, quos ambos *Huſsii* ſocios tunc temporis fuiſſe aſſeverat, calicem inſtitutum & propinatum fuiſſe An. 1410.

In Bibliotheca *capituli Metropolitani Pragenſis* circà diffidium calicis extant tractatus Manuſcripti ſequentes.

Tractatus M. S. M. *Jacobélli* vocatus: *Poſitio de communione utriusque ſpeciei.*

Ejus tractatûs continens *Autoritates SS. Patrum* pro eadem communione.

Contra hæc.

Tractatus M. S. *M. Nicolai Dynkelſpül*, & reſponſio ad prædictas Autoritates SS. Patrùm de communione calicis.

Tractatus M. S. *M. Mauritii de Praga* contra communionem ſub utraque ſpecie editus *Conſtantiæ.*

Tractatus M. S. cujusdam *Galli* Præsbyteri quondam prædicatoris in *Bethlehem* contra communionem ſub utraque ſpecie.

Contra hunc.

Replica M. S. *M. Petri Payne Anglici* diſcipuli *Wikleph.*

Tractatus M. S. *Joannis Rokyczan* de utraque ſpecie ad populum in *Baſilea* præſentatus An. 1433.

Diſputatio M. S. de Articulo communionis utriusque ſpeciei facta in S. Concilio *Baſileenſi* per *Joannem de Palomar* decretorum doctorem Archi-Diaconum Eccleſiæ *Barchinonenſis* contra *M. Joannem Przibram.*

Tractatus M. S. doctiſſimus ſub titulo *de Eccleſia*, conſtans 23. capitibus, editus à *M. Stanislao de Znoyma* Sacerdote Eccleſiaſtico SS. Theologiæ Profeſſore Pragenſi, maximo zelatore fidei Catholicæ, contra *Wikleffiſtarum* & præſertim contra errores *Joannis Huſs* in quodam ſuo tractatu compilato in *Bethlehem Pragæ*, & magnæ multitudini pronunciato.

Oppidum Pomuk fortuitis incendiis multùm vaſtatum. Narrat *Caſparus Petrus Drauſkovius* emeritus ille *Nepomucenſium* Parochus in M. S. eventum prodigio non abſimilem, qui ibidem in communi oppidi conflagratione accidit. Videlicet ſacræ ſacerdotales veſtes in ciſta lignea aſſervabantur in Prætorio ſeu curia hujus oppidi, & exortum fatale incendium, quod non modò penè totum oppidum, verùm & ipſum prætorium in favillas redegerat, hanc, mirabile dictu ex piceis lignis fabrefactam ciſtam cum ſacro depoſito nè minimum læſit. Et quod ampliùs mirêre, arſit ſuperius & inferius pavimentum, & circa illam etiam tabulatorum latera, ciſta nihilominus quaſi lapidea illæſa perſeveravit. Dicitur haec ciſta in perennem rei memoriam adhuc ibidem aſſervari.

Familiarum ſepulchra, fundationes, &c.

Fragmentum genealogicum familiæ Equeſtris *Strachovvskianæ* cum inſigniis muro appictum conſpicitur, & eſt tale:

Dominus Gezze à Strachovvicz = *Eliſka de Plazicze.*
Philippus à Strachovvicz & in Lazan = *Regina de Polzicz.*
Henricus à Strachovvicz & in Zitinie = *Chriſtina à Hohſtein*

Georgius Strachovvsky à Strachovvicz & in Mokrziczy - 1. *Agnes à Kladrubecz, prima uxor Georgii à Strahovvicz obiit An. 1599. die Martis S. Bartholomæi, & hìc ante altare quieſcit.*

2. *Helena à Gersdorff ſecunda uxor, obiit 1613. & hìc ante altare ſepulta.*

Anno Domini 1658. die 10. Novembris hæc monimenta familiæ Strahovvskianæ fuerunt coloribus renovata impenſis Prænobilis & Generoſi Equitis Domini Georgii Archovvsky à Strahovvicz & in inferiori Kazolup militiæ Regni Commiſſarii, & Marthæ Maximilianæ Stippinkovva de Lichtenfels conthoralis ejus.

Sequuntur variorum epitaphia:

In ſcuto Eccleſiæ pilaſtro affixo:

Prænobilis & Generoſa Domina Joanna Czeykovva nata Lapaczkia à Zerau obiit die 15. Januarii inter 5. & 6. veſpertinam, ætatis 87. An. 1688.

In monimento Chriſti reſurgentis.

Memoriæ ſingularis providentiæ divinæ in incurſu Suecorum An. 1641. ſuæ, ſuorúmque liberationi Carolus Clemens Crudimenus hoc tempore Primas Reipubl. Nepomucenſis fieri fecit Annô ſuperiori.

In diverſis locis.

1. *Venerabilis ac doctiſſimus Magiſter Joannes Franciſcus Antonius Suchy Decanus Nepomucenſis An. 1681.*

2. *Venerabilis Dominus Mathias Nevvſcheta Nepomucenſis Decanus, obiit in Domino die 27. Decembris An. 1699. hìc ſepultus, & ſua Mater Urſula, req. in pace.*

3. *Epitaphium clariſſimi Viri Domini Caſpari Romer Civis & Primatis inclytæ Reipublicæ Nepomucenſis in perpetuam ſui & omnium liberorum ſuorum tam vivorum quàm defunctorum memoriam. An. 1612. poſitum: obiit eodem An. 5. Julii, ætatis 63.*

4. *Epitaphium Circumſpecti, ac humaniſſimi Domini Jonathæ Romer Civis Nepomucenſis & Præfecti viridis montis, nec non honeſtæ ac piæ matronæ Marthæ Conthoralis fideliſſimæ, & ſuorum liberorum. Erectum Annô 1641. in Julio.*

5. *Ad majorem DEI gloriam & honorem Beatiſſimæ Virginis Mariæ humaniſſimus Vir Dominus Romanus Jener Civis Conſularis Reipublicæ Nepomucenſis hoc altare fieri fecit.*

Fundationes perpetuæ in Eccleſia Parochiali NEPOMUCENA.

1. „Vener. D. Carolus Sebaſtianus Kral Decanus Nepomucenſis fundavit annuè Miſſas ſex.

2. „Ven. D. Joannes Franciſcus Suchy Decanus Nepomucenus erexit altare B. V. Mariæ Sacro-montanæ in Presbyterio Annô 1681. die 8. Decembris, & fundavit quolibet menſe unam miſſam.

3. „Reverendus Dominus Franciſcus Taborsky Nepomucenus

„nus curatus Czachovienſis pro „ſe miſſas - - .

„Nobilis Dominus Daniel „Franciſcus Taborsky de Hirz„feld & ſua Conjuge.

5. „Mathias de Nepomuk „ad Altare S. Nicolai pro ſe & „uxore Catharina, & liberis he„bdomadatim Miſſas duas.

6. „Wenceslaus Planiczka ad „altare magnum, Carolus Cle„mens & Mathias Strauhal ad al„tare omnium Sanctorum.

„Hieronymus Jenner ad al„tare ſuum, Martinus Havliczek „ad altare S. Antonii, Cives Ne„pomucenſes, quilibet Miſſam „unam.

7. „Pro fundatoribus xeno„dochii Nepomucenſis quovis „Annô Miſſas tres.

Miſſæ per quatrageſimam in Eccleſia Parochiali Nepomucena S. Jacobi Apoſtoli perſolvendæ.

1. „Pro Conſulibus Nepomu„cenis vivis Miſſa una.

2. „Pro Conſulibus Nepomu„cenis defunctis Miſſas duas.

3. „Pro fundatoribus hujus „fundationis vivis Miſſa una.

4. „Pro defunctis Miſſas duas.

Ex tabella fundationum *Eccleſiæ Parochialis Nepomucenæ* conſcripta An. 1700.

CAPUT TERTIUM.

S. Joannis Nepomuceni nativitas. Cœlicus ſuper domo natalitia fulgor. Miri & infauſti Poſſeſſorum domûs illius, quousque in Eccleſiam converſa non fuiſſet, caſus. Ejus in Eccleſiam converſio. Joannis proba educatio, & literarum humaniorum ſtudium.

PRæmiſſis iis quæ ad pleniorem vitæ *Beati Joannis Nepomuceni* cognitionem, & recenſionis inde - meæ dilucidationem conducere poterant, reſtat ut nunc ſalutatô quasì limine rem ipſam aggrediar. Florentiſſimus tunc erat diſciplinæ, opúmque ſtatus Abbatiæ, & conventûs *Nepomuceni*, quando ſub *Joanne XXI.* aliàs *II. Romano Pontifice*, *Joanne IV.* & in ordine *XXVII.* & ultimo *Pragenſi Epiſcopo*, *Joanne I. Bojemiæ*, & *Poloniæ Rege* Comite *Lucemburgenſi*, *Joannes* noſter *Nepomuci* ditione memorati Monaſterii feliciter in lucem editus eſſe, ſat probabili conjecturâ exiſtimatur. Fatendum hìc quidem candidè, id in antiquitatem demigrantibus evenire, quod è præſenti luce in ſubterraneos ſpecus, deſcendentibus ſolet contingere: ut oculorum ſenſum amittere ſe ſubitò putent, priusquam manu res tangant, quâm oculis percipiant. Res hìc *numeris* quod ajunt *Platonicis*, obſcurior, ac tantæ circà primam *Joannis* ætatem tenebræ, adeò etiam Annus, quô naſci talem, ac tantum Virum DEUS voluit, & ipſorum quoque Parentum nomina ignorantur. Verùm hoc in humanis univerſim labilitati ſubjacentibus mirum non videatur; Cùm id plurimis, etiam ſanctiſſimis, & ſummis virtute Viris acciderit, ut eorum neque parentes, multò etiam minùs prima pueritiæ acta ſciantur. Quàm pauca de *divina Matre*, de *Sancto Chriſti Nutritio* ſacris literis tradita ſunt, ut alios prætereamus. *Sancti Severini* Epiſcopi (quantum *Coloniæ Agripinæ* nomen, quæ in Eccleſia Viri contra *Arianam* hæreſim *Teutoniam* tutantis autoritas) nativitatis imò vitæ geſta univerſa ubi ſunt? incendiô per *Hunnos Galliam* vaſtantes perierunt, manente ſolâ publicâ famâ ſanctitatis (a). Non ſecùs, *Joanni* per furias *Huſsitarum*, *Taborúmque* contigit, qui dum *Bojemiam* quà ſacram, quâ profanam ſurſum deorſum flammis, ferróque invertiſſent, ſacra ejus vitæ cimelia in buſta dedêre. Attamen ſervantur æternitati. Cùm igitur dies, annúsque certus nativitatis *Joannea* hactenus reperiri non potuerit - , à vita reliqua ætatis argumenta ad quinquagenarium usque, & usque numerum aſcendentia non incongruè deſumimus. Profectò ſi gradu Magiſterii in *Univerſitate Pragenſi* inſignitum fuiſſe pro palam (ùt infrà patebit) habemus; certè ante 1348. quo ejusdem univerſitatis ſtudium à *Carolo IV.* glorioſæ memoriæ evectum fuit, (b) id ipſum contigiſſe minimè aſſeverabimus; ſed poſt plurium annorum abſolutum ſtudium non tamen ità rurſus retardatum, ut Martyrii tempus, juventuti nimiùm approximetur: velut ſi paulò ante aut poſt exordia *Univerſitatis Pragenſis* nativitas collocaretur. Sed inchoatæ univerſitatis tempore, octodecim annos natum, & decimô circiter ejusdem ſtabilitæ annô, ætatis ſuæ vigeſimô ſeptimô, aut circà, gradus Magiſterii, maximè Theologiæ, & Juris Canonici inſignia percepiſſe, veriſimiliter arbitror. Nam ad quadrageſimum (ùt volunt quidam) aut planè trigeſimum

(a) Brev. vet. Prag. ad diem 23. Octobr.

(b) Original. Diplom. Carol. IV. Anno 1348. Indict. I. 7. Id. April. Regn. An. 2do. Archiv. Capit. Prag.

geſimum vitæ annum tempus Martyrii reponere, veriſimile nunquam videtur, conſideratâ munerum (de quibus infrà) geſtorum ratione, quæ amplius tempus requirunt. Rectiùs itaque *Ioanneos Natales* ad memoratos *Joanneos Principatus*, Annum videlicet à reparata ſalute *trecenteſimum trigeſimum* ſuprà *Milleſimum*, aut huic vicinum conjicimus, ut *quinquageſimò tertiô* ſuæ circiter ætatis Annô glorioſam Martyrii coronam adeptum fuiſſe pro veriſimili habeamus.

2. Felicia tunc in *Bojemia* tempora, nam diſciplina Evangelica, & fides Catholica ſummâ veneratione & excellentiſſimâ devotione ubique colebatur. Nullæ hæreſum Zizaniæ, nullæ æmulationes, & contentiones Præſulum, nulla diſſidia Principum, nulla diſturbia oppidanorum, omnes ſupernæ benedictionis dulcedine irrorati ambulabant in mandatis Domini cum conſenſu. Monaſteria oppiparè fundata, Eccleſia nitidâ ſuppellectili exornatæ, Presbyteria honorificenter ampliata, divinus cultus undique propagatus, Sacerdotes honorati, Altaria reditibus dotata, fides integra, pietas ſpectata, charitas incorrupta. Non erat facilè in *Europa* regnum quod proſperitate *Bojemiam* velut ἀγαθῶν μυρμήκια ſuperaret. Hæc igitur felicia tempora felices quoque *Nepomuci* dedêre Parentes, qui noſtrum puerulum *Joannem* fuſis ad *DEI Matrem* precibus progenuêre. Cùm enim prole carerent, & provecta ætas dies maturaret, *Matris Virginis* patrocinium adjecto votô implorantes, ſe prolem DEO dicaturos, *Joannem* exoravêre. Nomina eorum, ùt meminimus, invida quidem gloriæ vetuſtas â memoria hominum abſtulit, ſcripta tamen ſunt in libro vitæ dextrâ Excelſi. Nulla fuerunt ùt certum eſt, ſæculi proſapiâ fulgidi, ut dici poſſit: *Sinè Patre, ſinè Matre, ſinè Genealogia* (c), ſed ſub honeſto Civilis oppidanæque conditionis ſipario, eam in humilitate recondiderant Nobilitatem, quam pietas, vitæque, ſanctimonia, aſcenſúſque ad primarium illud bonum, ex quo originem omnes traximus, exculpſit. *Quid valet ſplendor generis*) ratiocinatur ille *Patriæ Pater* (d)) *niſi adſit pura conſcientia cum fide recta?* Utrúmque conſcientiam videlicet illibatam, ac etiam fidem rectam, Deo devoti habuêre parentes, dum in ſimplicitate cordis viam mandatorum Domini ambulârunt ſinè querela. Non alienas idcircò Majorum oſtendere glorias, ſed propriæ virtutis, & probatiſſimæ vitæ iconem, civibus, contribulibúsque ſuis objicere, nil antiquius habuêre. Atque hoc modo, ut tota *Joanni* cederet: quàm dein præſeferebat virtus, Avorum adoreis commiſceri non debuit, ſed bene Catholicæ religionis, & veræ virtutis zelus, quem â majoribus ſuis, Pater, Matérque pro certo, eóque pulcherrimo patrimonio, hæreditaverant, in eundem fænore longè ditiſſimo derivari. Poſteaquam lucem adeò primam *Nepomuci Joannes* vidiſſet, & animam ſortitus fuiſſet bonam, ſacrô regenerationis lavacrô in æde Paræciali *Nepomucena S. Apoſtolo Jacobo Majori* dedicata recreatus, ominoſum nomen *Joannis* reportavit. Quis porrò, quantúſque puer iſtè futurus eſſet, à nullo veriùs indicari, ac à cœlo ipſo potuit, dum eô naſcente ſereniſſimas quasdam flammas, etiam eò morituro quondam comparituras, deſuper deſcendere fecit, & ità hoc *Bojemiæ* ſidus, nè natalium caligine ipsô pænè in ortu occideret, lapſis ignibus juvit ad lucem.

3. Teſtimonii robur, ne deeſſe videatur è ſacris *Metropolitani Capituli* ſcriniis atteſtatum de die 22. *Octobris* An. 1697. produco, manu propriâ ſubſcriptum & ſigillô *Caroli Rattay* Civis & Viri Conſularis *Nepomucenſis* munitum, quo is, qui erat ſeptua-

(c) Heb. 7, 3.

(d) Carol. IV. in vit. ſua à ſe ſcript. Vet. Cod. Biblioth. Metropol. Eccl. Prag.

ſeptuaginta tres Annos natus, bonâ ſuâ conſcientiâ atteſtatur paratus corporali juramentô omnia confirmare; quòd à ſuo defunctô Parente *Petro Rattay* pariter *Nepomuci* nato, & octuaginta quinque annos ætatis habente, & is rurſus à ſuo Parente, & prædiati *Caroli* Avo *Thoma Rattay*, centenarium ætatis annum ſuperante (quæ annorum ſeries Martyrii *Joannei* tempus propè attingit) ſæpè ſæpiùs narrari audiêrit, quòd nocte nativitatis *Joannea*, ſuper illa domo, in qua natus fuit *Joannes*, viſa fuerint lumina amænô intuentium ſpectaculô de cœlo deſcendentia, & in modum circuli diſpoſita. Idem atteſtantur ſe à majoribus audiviſſe *Bartholomæus Blaha* annorum nonaginta, & *Bartholomæus Kadamer* annorum ſeptuaginta ſex, ambo Cives *Nepomuceni*. Certa proinde ſuper hac flammea apparitione, eaque indubitata *Nepomucena* traditio pridem invaluit. Porrò cœleſtium gratiarum ergà cunas *Joanneas* nondum finis. Valde enim notatu dignum, quòd in hac ipſa domo, vetuſta *crucifixi* effigies (cui adſtabant *B. Maria Virgo* & *S. Joannes Evangeliſta* cum *S. Longino* Lanceâ latus Domini aperiente, inferiùs verò adgeniculante, librúmque manu tenente *Beato Joanne Nepomuceno*) in dextero pariete ad ingreſſum domûs (ùt itidem ex autenticis civium dictis refero) intrinſecè adpicta inveniebatur, & eatenus totus Magiſtratus de die 3. *Februarii* An. 1677. publicè profitetur, & atteſtatur, antelibatam *crucifixi* effigiem, ſæpè à Poſſeſſoribus domûs dealbatam, calcem ſemper rejeciſſe, ſéque conſpiciendam denuò non ſinè magnâ populi admiratione, & conſternatione obtuliſſe, nec ablui, aut deleri unquam potuiſſe, quousque domus ipſa in Eccleſiam converſa fuiſſet. (e)

(e) Stanisl. Ridl in libel. confrat. fol. 13.

Teſtes qui id ipſum oculis ſuis fieri viderunt, *Martinus Havlizek* Primas, cum *Paulo Oczenaſſek*, *Carolo Rattay*, & *Bartholomæo Blaha* Civibus *Nepomucenis*. Hæc certè mira ſunt, ſed nec prodigiô carent, quæ ſequuntur. Poſſeſſores hujus domûs (ut teſtimonia autentica eorundem continuant) quos partim viſu, partim è narratis majorum noverant, nulla unquam pace, & domeſticâ quiete frui, ſed aſſiduis contribulati, turbatíque caſibus locum deſerere coacti fuerunt. *Carolus Rattay* duorum poſſeſſorum meminit ante annos circiter ſexaginta, quorum nullus per triennium eam domum inhabitavit, alter enim ſubitâ egeſtate dúrè premebatur, pertinacem, improbúmque laborem fruſtrante fortunâ: hìc verò continuis morborum preſſuris exagitatus interiit. Sorte demum ultimâ ad quendam oppidanum *Joannem Gelinek* figulum devolutâ, domum illam ad tempus inhabitare continuavit, paulò poſt morte repentinâ humanis exutus eſt. Omnes igitur terrore perculſi, trementes, & timentes domum evacuavêre, & deſertam reliquêre. Ecquis hìc non animadvertat? per hujuscemodi poſſeſſorum plagas vi cælicâ indicatum fuiſſe, locum non profanô habitantium uſui, ſed divinis Myſteriis, ſanctíque cultui deſtinandum: humanam adeò incuriam corrigentibus ſignis cœleſtibus.

4. In ſimili exemplum à *S. Procopio* Glorioſo itidem Regni Patrono, & Thaumaturgo adducimus. Cùm enim ejus anniverſariam diem operum ſervilium ceſſatione *Bojemia* hactenus parùm feriaretur, quot eheu! funeſtis univerſum regnum eâ die afflictum & tribulatum caſibus mæſti vidimus. Hos terra abſorbuit, iſti præcipites acti, fulmine icti, aquis ſubmerſi, nonnulli equis raptati ſunt. Quin imò ſi antiquiora non faſtidimus, Anno 1560. die *S. Procopii* ingenti exundationum, ventorum, grandinûmque vi, obruta ferè tota fuit *Bojemia*: de quo coætaneus (f).

(f) Auguſt. Tichtenbaum in Uſt. ad Alb. carm. de lineat. lib. 5.

Poſt

Poſt paulò ingenti feſtum ſolemne Procopi
Tempeſtate furit, denſâ caligine cœlum,
Nox rapit, & triſtes involvunt æthera Nimbi.
Fulmina multa crepant, ruptus micat ignibus æther
Intortis, multô glacialis grando ſub imbre
Prata, domos, ſegetes, campos, vinetáque perdit,
Læta auffert frumenta Vadum, rapit unda maniplos;
Obviáque immitti paſſim loca quæque furore
Depopulatur.

Ad hæc omnia cùm necdùm ſanctus debitùm ſibi in provincia cultum evincere poſſet, tandem An. 1710. in Eccleſia Monaſterii *S. Procopii* ad *Saxavam* minaces prorſus, & *vindictâ terribili plenos oculos* in imagine ſua & præſentia plurium millium hominum quaquaverſum in omnes partes gyravit. Quibus prodigiis ritè ex ordine relatis & cognitis *Reverendiſſimum Metropolitanum Capitulum* ſede Archi-Epiſcopali vacante, perpetuô valiturô decretô ſancivit, ut impoſterum mediâ die feſtâ ſanctus in toto Regno piè & devotè coleretur. Et ab eo propediem tempore plagæ D E I alleviatae ſunt. Quemadmodum igitur pro die ſua reverenter habenda, feriandáque in manu forti, & brachio extento terribilia patravit *Procopius*, itâ id ipſum in domo ſua Natalitia cultui divino conſecranda egiſſe videtur *Joannes.*

5. Duo jam prope ſaecula elapſa fuerant, quibus ob incumbentem Regno haereſim nullus aut tenuis honor fiebat ſanctis. *Huſſo* interea, & *Hieronymo*, quin & *Wiklepho* paſſim litabatur. Nec anniverſaria ſupplicii (martyrii illi vocabant) dies ſinè turbis, & ſeditione in Religioſorum plerúmque aedes mota tranſibat (g). Poſteaquam enim *Hieronymus* ille videlicet de *Praga* ſeditioſae plebi perſuaſiſſet ſanctos minimè eſſe colendos, nec honorandas imagines, & adeò ipſe etiam *Crucifixi* iconem *Pragæ* è Regione domûs dictae *Kreiſſe* pictam, & in veneratione populi exiſtentem dejeciſſet, conculcâſſet, & ſtercore humano eheu! commaculâſſet, qui tamen *Wiklephi* effigiem domi & apud ſe portatam fervidè honorabat, in Monaſterio itidem *S. Mariæ* in arena *Pragæ* Sanctorum reliquias de altari extractas pedibus contriviſſet, (h) furibunda plebs hujuscemodi exemplis in vertiginem acta putavit ſe grande Deo obſequium praeſtare, ſi à mortuorum (ùt ajebat) oſſibus, & ſculpturis D E I aedes emundaret, inde nulla ferè in toto Regno Eccleſia à ſacrilegis *Huſſitarum Taborúmque* manibus intacta permanſit, in qua non temerariô auſu divorum ſtatuae, & ſacrae reliquiae protritae, ac ſaepè etiam flammis concrematae fuiſſent. Ideò in tanta ſeductae plebis furia, quid circa Sanctorum venerationem ſani conſilii expectandum? cedendum videlicet erat tempori & ejus iniquitati. Sancti *Bojemiæ* Patroni omnes qui priùs incredibili populi devotione & obſequio colebantur, ut ſaepè in eorum *Pragæ* ſolemniis advenienti multitudini nec annona ſufficerit, in obſcurò deliteſcebant.

(g) Coch. lib. 8. fol. 287.

(h) Articul. Accuſat. n. 19. & 20. in Concil. Conſtant. à D. Henric. Pyro propos.

6. Nunc quid de *Joanne Confeſſario*, qui tum recens Martyriô affectus, & in cauſa quidem Huſſitis admodùm odioſa. Nam docuit *Wiklephus* confeſſionem exteriorem eſſe

ſuperfluam (i) *id ipſum factô ſuô oſtendente Huſſô* dum ante ſupplicium confiteri renuit. Quid inquam de *Joanne*, & ejus cultû tanquam Veri *JEſu Chriſti* Martyris pro ſigillo Confeſſionis à *Wenceslao* aquis ſubmerſi? quem itidem Regem *Huſſitæ* ob ſegnitiem, quâ incrementum rebus ſuis addebat, ùt plurimùm amabant, ità ut etiam in publicis promotionum Academicarum actibus *panegyricum vitæ ejus dicere conſueverint.* Quid in laudem & venerationem *Joannis* turbulentô illo tempore à puſillo Catholicorum grege magnificum in regno fieri potuit? ubi magis de jugulis Catholicorum quàm texendis laudibus Sanctorum, Regûm Præſulúmque ſollicitudo vigilabat. Manebat igitur atra velut nube impiiſſimæ hæreſeos obvelata *Bojemia*, & calice illo propemodùm intoxicata, ſignatum ſupra ſe lumen vultûs Domini aſpicere renuebat. Deſudabat in conciliis Patrum ſanctimonia, Doctorum certabant ingenia, laſſabantur concionantium linguæ, & convertentium conatus fruſtrabantur. Quousque tandem ſacra Indigetum corona iram Domini placans, miſericordiam exoràſſet, & cùm aliâ viâ immedicabile vulnus ad ſanitatem reducendum non eſſet, enſe reſcinderetur, nè pars in fide adhuc ſincera, ſenſim etiam in perniciem traheretur. Perpetuâ experientiâ comprobante; *ad officium hæreticos compelli, non alici juſtum eſſe, duritiémque eſſe vincendam, non ſuadendam* (k) qui igitur *ſanctos DEI* tot ſacrilegiis affecerant Anno Domini 1620. in *octava omnium Sanctorum* ſub prodigioſo itidem *Sanctorum omnium Reginæ* ductu, atram in *albo monte* depoſuêre maculam, victorioſísque Catholicæ militiæ armis ad *Eccleſiæ Matris* officio compulſi. Quanta tunc in toto regno exoriebatur lux! quanta Catholicorum tot injuriis affectorum lætitia! refloreſcebat ſubitò Eccleſiarum decor, Sanctorum cultus, Dei gloria, fidei fructus.

(i) Art. 45. Joa. Wikleff. damnat. ab Eccl. art. 7. Coch. lib. 1. fol. 9.

(k) Tertul.

7. *Nepomuci* in patria *Joannis*, rem Catholicam egregiè promovit *Caſparus Petrus Drauskovius* zeloſiſſimus loci Decanus, hìc enim indefeſsâ ſolertiâ gregi dominico præſidens quod docebat verbô, monſtrabat & opere. Quis dictionum ejus fervorem, vitæ ſobrietatem, officii vigilantiam, cordis innocentiam, qua viginti ſeptem annis illi populo præfulgebat, emetietur? *Drauskovii* virtutes, & cœleſtem in perorando, catechizandóque facundiam poſteritati gratam, ut commendaret *Pomucum*, ejus effigiem non modò Eccleſiæ intulit, verùm & proximam cathedræ cum elogio affixit. Hic vir præter reformatos in populo mores, expulſas hæreſes, implantatas multivarias virtutes, præcipuè ergà Indigetes inſtitutam gregis ſui venerationem etiam primus motor extitit *domûs natalitia Joanneæ* in Eccleſiam convertendæ. Auditis nempe, ac partim etiam viſis tot in ea funeſtis caſibus, velut clara DEI monitione perculſus ſatagebat multùm anxiè, quâ viâ domus, quæ ſanctum prima naſcentem vidit, non profanis impoſterum, ſed divinis deſtinari poſſet uſibus. Igitur loci Dominum *Franciſcum Mathiam Carolum* Baronem à *Sternberg* Dominum in *Nepomuk* ſeu *viridi monte* (apud quem multùm autoritate valebat) rogando interpellavit, quatenus munificam ſancto manum porrigendo, domum natalitiam in Eccleſiam ſublimaret. Nec ſenſit difficilem Domini animum cæterùm valdè pii, & exemplaris. Quo tamen negotium maturiùs, ſanctiúſque procederet, oviculas ſuas Civitatem *Nepomucenam*, commonendo ſubornavit, *ut vitam ſui Indigetis conſcribi facerent*, pro qua, ut poterat, documenta ſubminiſtrabat, atque li-

bellum Domino ſuo *Franciſco* Baroni à *Sternberg* dedicarent. Igitur Annô Chriſti 1641. à demerſione *B. Joannis* ducenteſimo quinquageſimo octavo, *Pragæ* typis Academicis opuſculum vitæ *Joanneæ* triplici idiomate *latino*, *Germanico*, & *Bojemico* proſâ, & ligatâ ſuccinctè elaboratum, ac memorato Domino *Franciſco* à *Sternberg* à Communitate *Nepomucena* inſcriptum prodivit. Illi paſtorem ſuum, tanquam primum in hoc laudabili negotio motorem, debitâ laude non deſtituentes, in voto ad *S. Joannem* concepto palàm fatentur ſe omnia, quæ ibi adferunt, ex manuſcriptis Admodum Reverendi *D. Caſpari Petri Drauskovii* Curati ſui, fideliter ſubminiſtrata habere. Flexanimum cætera nè deeſſet πρoλόγιον ſtatim in limine Zeloſè exclamant; *Quamdiu tandem Civem, Patronum, Indigetem Thaumaturgum, parùm memor ſuorum tacebit Bojemia? Quouſque Nepomucum titulum ingratæ Patriæ merebitur? Currunt dies, menſes, annorum ſæcula, & Joanni Nepomuceno differtur interim apotheoſis?*

8. Per hæc commotus Dominus *Franciſcus* à *Sternberg* de mediis, & ædificio ſacræ ædis ſollicitus, Annô Domini 1643. domum antiquam *Joanneam* (quæ ad *Joannem Pomucenum* vulgò audiit) in valle duorum quaſi collium curiae & Eccleſiae propè medium plateae ſitam dirui, & quia unica ad capiendam Eccleſiam non ſuffecerat, duas adhuc ad augendum ſpatium vicinas *Eraſmi Schlechta*, & *Joannis Nicodem* coëmi fecit. Foſſis igitur fundamentis aſſurrexit ſacra Machina, quam ad divinum cultum terminare votis omnibus optabat benefactor. Sed ecce dum ſacro inſtaret operi inſperatò ad cœleſte praemium evocatur. Nam Annô Domini 1648. dum *Gothicus* Mavors proditoriè minorem inſcendiſſet *Pragam* die 26. *Julii*, ictus militari globò vitam finiit. Haec ex tabula aureis literis ſuper Sacriſtia Eccleſiae Parochialis *Nepomucenæ* exarata intelligimus.

„ Vera memoriáque digna ſpes
„ Patriae, & Regni, extra omnem
„ hominum ſpem piè in Domino
„ obdormivit: Multùm Illuſtris
„ Dominus Dominus Franciſcus
„ Mathias Carolus Barò à Sternberg
„ Dominus in Bechina, Sedlecz,
„ Horazdiovvicz, viridi monte,
„ Libochovvicz, Budin, Krupna,
„ Moraſicz, Petrovvicz, & Crakovvecz S. Cæſ. Majeſt. Conſiliarius, intimus Camerarius, & Supremus Regni Bojemiæ Judex,
„ qui inſperato incurſu militum Suecorum Generalis à Königsmark
„ ad ſuperiorem Civitatem Pragenſem in Feſto S. Annæ die Dominico 26. Julii ante auroram feneſtra
„ domûs ſuæ, quo Matrem Illuſtris
„ Dominus Dominus cum Illuſtri
„ Domina Conjuge, & tota Illuſtri
„ familia in tanto inſtanti infortunio
„ ſalvare poſſit, proſpicere volens,
„ vulnere globi per manum dextram
„ ictus ab hoc infelici vulnere vitam
„ immundi hujus mundi etiam ante
„ auroram die dominico, hoc eſt.
„ 9. Auguſti finire coactus eſt, Annô 1648. ætatis ſuæ 35. ſepultus
„ Pragæ apud Patres Societatis JEſu.
Hactenus inſcriptio.

Poſt obitum Domini *Franciſci* Baronis à *Sternberg* Conthoralis ejus Domina verè pia & DEO devota Ludmilla Benigna Baroniſſa à Sternberg, nata *Kavkiana* de *Rzicžan* cum relictis pupillis *D. Joanne Adamo*, qui obiit 1653. *D. Wenceslao D. Norberto*, & *D. Ignatio* filiis, nec non cum *Maximiliana*, & *Barbara* filiabus, inchoatum à Domino Marito opus conatu omni continuare, & ad perfectionem deducere non deſtitit. (l) Perfecta demum Eccleſia titulô non quidem *Joannis Nepomuceni*, verùm *Joannis Baptiſtæ* inſignita ex indulto *Eminentiſſimi Cardinalis ab Harrach Archi-Epiſcopi Pragenſis* à loci Decano *Sebaſtiano Carolo Kral* circa Annum Domini 1660. *Aquâ Gregorianâ* juxta rubricas agen-

(l) Stanisl. Ridl. Decan. Nepom. libell. Confrat. fol. 15.

(m) Ex Atteſt. Authent. Inſpect. Virido-Mont. Anno 1699. die 9. Jul.

agendæ Romano-Pragenſis fuit benedicta. (m) In allegato quidem opuſculo *fama poſthuma* colligi videtur, quasi Eccleſia hæc jam Anno 1641. inchoata fuiſſet, cùm inter cæteras elegantiſſimè delineatas icones, etiam una cum annexo Domini *Franciſci Baronis à Sternberg* voto reperiatur; quæ ante *Divum Joannem* in nubibus ſedentem, & radio Illuſtrem dictum Dominum Baronem cum Conjuge, & filiolo ſuo genuflexum repræſentat, cui, fundamenti Eccleſiæ delineationem ædilis ille verò *divo Joanni* offerat: certum tamen eſt, ædificium dictæ Eccleſiæ non citiùs quàm poſt obitum Domini *Franciſci à Sternberg* ad perfectionem ultimatam deveniſſe, nam continuationem teſtamentô cavit, legatóque adjuvit. Denique Eccleſiam die 30. Auguſti Anno 1686. communi *Nepomucenſis* oppidi incendiô ruinas paſſam, præmemoratorum iterum Dominorum Baronum filius & hæres Dominus *Wenceslaus Adalbertus* jam *Comes à Sternberg ſupremus* in Regno *Boemiæ Judex priſtino* non modò *decori reſtituit*, verùm & ſpeciali erectô inſtrumentô (ex quo hæc deſcribo -) eidem Eccleſiæ *mille florenos Rhenanos* ad conſervanda ſarta tecta, perpetuò donavit. Præterea pro celebrandis in ibi omni hebdomatâ ſacrificiis Miſſæ, *viginti florenos* ex dicti Capitalis intereſſe, quinque pro centum computando hypothecâ deſuper in Dominio *viridi-montano* tabulariter conſtitutâ aſſignavit. *Acta hæc ſunt in Arce viridi-montana die 8. Februarii Anno Domini* 1685. *in præſentia teſtium D. Georgii Adalberti Janovvsky de Janovvicz, & Joannis Caroli Rudolphi Pikhard de viridi valle.* Inſcriptio Eccleſiæ omnia ſuccinctè refert:

„Hanc Eccleſiam in domo cu„narum B. Joannis Nepomuceni „ſtantem in honorem S. Joannis „Baptiſtæ extruxit, ex legato Illu„ſtriſſimi Conjugis ſui Franciſci de „Sternberg Ludmilla de R'zicz'an; „& nuper verò Anno 1686. die „20. Auguſti incendiô hujus oppidi „deformatam priſtinô decori reſti„tuit, eorundem filius & hæres „Wenceslaus Adalbertus Comes à „Sternberg Anno 1688. „ Tandem nec in hoc quievit *Illuſtriſſimi Domini Comitis Wenceslai Adalberti* pietas, verum è Civium manibus rurſus propè hanc Eccleſiam coëmit domum quam pro reſidentia Sacerdotum Eccleſiaſticorum (quos in honorem *S. Joannis*, ut divina ad ejus cunas miniſtrarent, fundare ſtatuerat) deſtinavit, vidi - eam ad novam architecturæ formam proximè adaptandam, dum locum venerationis gratiâ acceſſiſſem.

9. Quantum verò gratiſſima cœlo hæc ſtructura fuerit flammeus ille fulgor, qui repetitis vicibus nocturnô tempore pinnaculum templi, turrisque cingebat - , ſatis ſuperque indigitabat. Aſſerit enim *Joannes Czervvenka Civis Nepomucenus, in atteſtato ſuo autentico*, ante agonem iteratò confirmato, Matrem ſuam nomine *Annam*, dum quadam vice noctu domum rediret, cum ſtupore ingens lumen in pinnaculo Eccleſiæ *Divi Joannis Nepomuceni*, ac etiam in ipſa Eccleſia intus ſplendorem talem, quasi plurima lumina arderent, vidiſſe. Oculati quoque hujus viſi luminis, & ſplendoris teſtes ſunt *Joannes Lahoda & Bartholomæus Kadamer* ambo Cives Nepomuceni, qui omnes ſua teſtimonia corporali juramentô confirmare parati, in præſentia *R. D. Mathæi Ioſephi Nevvsheda* Decani Nepomucenſis manibus propriis ſubſcripſerunt. Hæc occaſione domûs natalitiæ, nunc ad ipſum *Ioannem* revertamur.

10. Exactâ igitur innocenti infantiâ, pii Parentes optimis Chriſtianæ diſciplinæ inſtructum legibus, moribúsque ætati congruentibus bene formatum, quo nativorum -

ſe-

ſementa affectuum, & inditi bonæ naturæ ſtimuli ſe propellerent, taciti proſpectabant. At animi venuſtas, ingenii capacitas, fidiſſima ſemper & obediens memoria, acre ſupra ætatem judicium, occaſionem certam parentibus præbuit, eundem, ut ſecuturæ vitæ ſtatum utiliter metiretur, rudimentis literariis applicandi. Quibus porrò Magiſtris id actum ſit, nihil itidem poſt tot hæreſum turbas, certi traditum eſt. *Floruêre tum in vicinia plures latinitatis, & rudimentorum ſcholæ,* partim à locorum Præsbyteris, quantum animarum cura ſinebat (n) partim verò à Magiſtris ſæcularibus ex ærario communitatum ſtipendiatis directæ. Plurimùm tamen à Religioſorum cœtibus, ad monaſteria hujuſcemodi inſtructio fiebat, ùt in vicino *Teplenſi*, ac oræ *Reginæ Hradecenſis Braunovienſi* aſceteriis etiamnum veſtigia ſuperſunt.

(n) Cœleſt. à Blumberg Præpoſ. Prag. in Not. Hiſt. Boj.

11. Antiquiores vitæ conſignationes, velut *Simonis Villatici*, *Bartholdi*, *Pontani*, *Ioannis Feri S. J.* ac etiam *Mathæi Ferdinandi Pragenſis Archi-Epiſcopi*, de quibus omnibus infrà, locum ſtudiorum humaniorum, ſilentiô prætereunt. Quidam arbitrantur in patria Joannem elementa latina perdidiciſſe, florente tum virtutibus, ac bonis literis, ùt ſuprà vidimus Nepomuceno cœnobio. (o) *Zatecium* tamen veterem Bojemiæ urbem duodecim milliaribus *Nepomukô* diſſitam *& ordinis boni* (teſte *Stransky* (p)) *& literarum humaniorum amantem*, pro rudimentis literariis, ab *Archi-Diacono Zatecenſi* in Eccleſia *Pragenſi* (ùt infrà *cap.* 10. *in not.*) directis, *Ioanni* deſignant quidam recentiores. (q) Sed ne his cum antiquitate incaſſum pugnemus, certi ſimus *Ioannem* eô interea profectu, illâ ingenii vivaciſſimi commendatione humaniores diſciplinas aſſecutum fuiſſe, qualem omnino probatum reliquæ vitæ ſtudium, ac mellifluum ſacræ eloquentiæ proloquium in *S. Metropolitanâ Eccleſia* coram Regibus ac Imperatoribus publicè depromptum, teſtabantur. Aurea denique tum Catholicæ religionis in *Bojemia* tempora, innocens, & ſi ſubſequentia ſpectes, nullo hæreticæ pravitatis fermentô corrupta converſatio, quid teneræ juventutis plantæ pro ſolido virtutum fundamento, à majorum exemplo diſcerent, facilè ſuppeditabant. Crævit igitur ætate *Ioannes*, crevit literarum ſcientia, & probis crevit moribus, quos præter piam parentum educationem, etiam vicino, ùt dixi - , *Ciſtercienſis familiæ* Cœnobio attribuere, non abs re fore puto - . Quanta enim in locis, ubi religioſæ manſiones exiſtunt, ad ſanctitatem excitatur juventus? Ibi itaque *Ioannes* noſter ſacra verba edoctus, Sacerdotibus divina celebrantibus, ad aram miniſtravit, ibi inter - - Monachorum *Ciſtercienſium* ſingulariter *Beatæ Mariæ* dicatorum frequentiam *Divæ Virginis* cultum, ad Martyrium usque devotiſſimè retentum hauſit, ibi juvenilia oblectamenta, mundique illecebras reſpuens cœleſtium deſideriorum ardentiori flamma ſuccenſus, ſupernarum cæpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire, atque ut ſcientiam Sanctorum conſequi mereretur, DEUM enixiùs deprecari. His itàque effectu maturalis, Eccleſiaſtici ſtatûs, & curæ animarum, vocationis ſuæ ſtadium indefeſsè currendo in eum tandem Chriſtianæ conſtantiæ virum, evaſit, qui medias inter cataſtas, & vel mortem ipſam recti, bonique tenax Regalium Secretorum fidelis Adminiſter perſeveraret.

(o) Auguſt. Pfalz ab Oſtricz S. Metr. Eccl. Prag. Archi-Diac. in M. S. Quodlibet. de Sanct. Bojem.

(p) Paul. Stransky Reipubl. Bojem. cap. 1.

(q) Balbin. in Boem. ſanct. part. 1. §. 59. cap. 1.

❧ (o) ❧

NOTÆ IN CAPUT III.

TEſtes qui id ipſum oculis ſuis fieri viderunt, *Martinus, Havliczek* cum *Paulo Oczenaſſek.* &c. pro majori fide eorundem propria verba ex proceſſu canonizationis, quæ ad propoſita interrogatoria dederunt per extenſum hìc ſubjungo. *Originale Roman.*

Ad articulum ſecundum, Interrogatorium quintum preceſſ. fol. 354.

„ Unde teſtis novit publicam „vocem, & famam communem, & „inconcuſſam traditionem eſſe, in „domo cunarum fidelis ſervi DEI „Joannis Nepomuceni neminem „quietè habitare potuiſſe, donec „ſucceſſu temporis in Eccleſiam „verteretur; An teſtis id ex propria „habeat ſcientia an verò pariter à „majoribus ſuis, qui ſimiliter à ma„joribus iterum ſuis id audiverint?

Interrogatorium Sextum.

„ Vidit nè teſtis hanc effigiem „Chriſti, ſancti Joannis Evangeli„ſtæ, & S. Longini qui in dextero „pariete intrinſecè ad ingreſſum „domus reperiebatur, quæ ſecun„dùm veterem traditionem manu „fidelis ſervi DEI Joannis Nepo„muceni picta eſſe dicebatur, an „non id pariter à majoribus ſuis id„ipſum habeat?

Interrogatorium Septimum.

„ Det teſtis rationem ſcientiæ, „unde verum eſſe ſciat, hanc pictu„ram à poſſeſſoribus domûs in de„albando pariete nunquam ablui „potuiſſe?

Interrogatorium Octavum.

„ A quo tempore de his omni„bus vox publica, & fama com„munis, & inconcuſſa traditio ha„beatur?

Teſtis XV. Paulus Oczenaſſek Annorum octuaginta. Ad quintum fol. 826. & 827.

Reſpondit: „ Hæc omnia audi„vi à meis Anteceſſoribus, & ab „aliis ſuprà relatis.

Ad Sextum.

Reſpondit: „ Meis oculis vidi „has imagines ante Annos circiter „ſeptuaginta pictas in muro illius „domûs in ingreſſu ad partem „dextram priusquam converteie„retur in Eccleſiam, & recordor, „quando iſta domus diruta fuit, „quod illi muri, in quibus erant „pictæ imagines illæ, aliquot an„nis ſteterint, expoſiti pluviis & „injuriis aëris, ſinè omni corru„ptione picturæ, etiam bene re„cordor, quòd aliæ duæ domus „adjacentes *Eraſmi Schlechta*, & „*Joannis Nicodem* pariter dirutæ & „partim in Eccleſiam partim in cæ„meterium fuerint converſæ, præ„ter domum Nativitatis *ſancti Joannis Nepomuceni*, in qua poſtremò „inquilini habitabant, nempe „*Joannes Gelinck* figulus &c. & voca„batur domus ad *Joannem Nepomucenum*. Et audivi etiam ut ſuprà „innui, quòd in hac domo non „fuerit quies usque dùm converte„retur in Eccleſiam, quam ædifica„re cæpit Bonæ memoriæ D. Co„mes de *Sternberg* ante años ſeptua„ginta: poſteà verò tempore irru„ptionis Suecicæ in parvam partem

„ Pra-

„Pragæ in manu læſus obiit ex vul-
„nere. Ejus autem Domina con-
„jux *Ludmilla* nata *Kavkiana* Eccle-
„ſiam hanc cæptam abſolvit. Be-
„ne etiam recordor, quòd homi-
„nes ad imagines illas in muro pi-
„ctas conveniebant, & genu flexi
„orabant, quia fama erat publica,
„quòd imagines illæ fuerint pictæ
„manu *S. Joannis Nepomuceni.*

Ad Septimum.

Reſpondit: „Hoc ſemper audi-
„vi, & meis oculis vidi particulas
„calcis remanentes, & decidentes
„poſt præcedentem inalbationem
„& imago *Chriſti crucifixi* ſemper in-
„tegra & apparens permanſit,
„quantumvis circa hanc imaginem
„ab inalbatione calx firmiter adhæ-
„ſerit. Murus autem iſte ultima-
„tim pro commoditate Cœmeterii
„dirutus eſt.

Ad Octavum.

„A pueritia mea nempe ab
„annis ſeptuaginta.

Teſtis XVI. Martinus Havliczek annorum ſeptuaginta.

Ad quintum fol. 837. & tergo.

Reſpondit: „A meis majoribus
„hoc audivi, & ipſe ſcio, quod
„nemo in domo illa quietè habitare
„potuerit, nominatim figulus *Joan-
„nes Gelinek* & Piſtor ambo Cives
„*Nepomuceni*, qui ambo domum il-
„lam incoluerunt, verùm ſinè
„quiete, & benedictione DEI.

Ad Sextum.

Reſpondit: „Vidi oculis meis
„omnes illas picturas in dextera
„parte in ingreſſu domûs in muro
„factas ab ea ætate quando Scholam
„frequentabam, & bene recordor,
„quòd *S. Longinus* longam lanceam
„ad latus *Chriſti* Domini direxerit,
„& de his imaginibus non ſolùm
„defuncta mea Avia *Rebecca* tunc
„octuagenaria major, verùm etiam
„alii cives ſenes nobis juvenculis
„narrabant, quòd pictæ fuerint à
„Sancto Joanne Nepomuceno.

Ad Septimum.

„In veritate dicere poſſum, &
„ipſe oculis vidi quòd dum uxor il-
„lius figuli *Joannis Gelinek Ludmilla*
„*crucifixum* iſtum calce inalbâſſet,
„ut calx ſiccata fuit, iterum decidit
„è ſolo *crucifixo*, licèt in aliis parti-
„bus ubique, etiam in reliquis pi-
„cturis calx inhæſerit, quod omnes
„mirabantur.

Ad Octavum.

Reſpondit: „Mox à juventute
„mea, & ante me. *Vindicta
terribili plenos oculos.* Pro
„pleniori fide & notitia hujus tam
„ſtupendi miraculi juvat ipſa for-
„malia literarum *Reverendiſſimi Do-
„mini* Wenceslai Abbatis ad *S. Proco-
„pium Reverendiſſimo Capitulo Metropo-
litano* ſede Archi-Epiſcopali vacante
inſcriptarum apponere, ſub die
18. *Decembris* An. 1710. „Imago
„ſancti Procopii ità cæpit immutari
„in facie, oculos hinc inde gyrare,
„elevare minaces, ipſa ſupercilia
„erigere, deprimere facies, quæ
„alioquin pallida tota, flava ſimul
„ac cærulea apparuit per dies conti-
„nuos, ita ut ſtupore miraculi vi-
„cini ad duo milliaria concurrerint
„ad videndam hanc faciem uti teſta-
„ri juratò volunt ultra centum per-
„ſonæ, uti & Sacerdos noſter no-
„mine Procopius, idque etiam per
„notabile tempus durabat, quod
„tria Pater & Ave abſolverint.
„Manè & à prandiis parvuli, & ſe-
„nes, ac fœminæ, qui etiam die-
„bus illis deſuper communicârunt,
„imò unâ vice Zaſmucâ huc venien-
„tes quindecim circiter perſonæ,
„unanimi voce in Eccleſia concla-
„mârunt, videmus deſiderata mu-
„tari,

„tari, mináſque intentari. Quid „autem ſibi hæc viſio velit, eventus nos latet. &c. „ Hæc deinde omnia ex mandato *Venerabilis Capituli Metropolitani* ſede Archi-Epiſcopali vacante per Commiſſarios Conſiſtoriales legaliter examinata & approbata fuere.

Idipſum factô ſuô oſtendente Huſſo: Colligitur id ex hiſtoria Tevtonica de *conſilio Conſtantienſi Ulrici Reichenthal* Patritii *Conſtantienſis*, qui ſupplicium *Joannis Huſſi* & *Hieronymi de Praga Hæreſiarcharum* oculis ſuis ſpectavit, quæ hiſtoria reimpreſſa fuit *Auguſtæ Vindelicorum* per *Henricum Steiner* Menſe *Decembri* An. 1536. Et hactenus in paucorum manibus verſatur: Ideò exinde quædam ad probam ſuperioris aſſerti facientia, nec paſſim multis nota excerpam. Ait igitur Autor fol. 212. & ſeq.

Die Veneris poſt S. Ulrici, quæ erat 8. Julii An. 1415. rurſus celebrata fuit Seſſio à toto Clero, & erat etiam ibi præſens Dominus noſter Rex Romanorum, Ludovicus Dux Bavariæ, & Heidelbergenſis, & alii multi ſæculares Principes & Domini, & erat hæc ſeſſio horâ ſextâ matutinâ, & intrò citatus ad ſeſſionem fuit Huſſus Hæreſiarcha, & contra eum in concilio verba fecit Joannes Carceni ſacræ Paginæ Doctor, & Profeſſor academiæ Pariſienſis, & contra ejus hæreticam doctrinam. Et Huſſus fuit ex Scriptura Sacrâ convictus, quòd ejus articuli, quos docuit, ſint hæretici, falſi & perverſi, & fuit contra illum à Concilio lata ſententia ut à Sacerdotio degraderetur.

Et poſtquam narraſſet ejus degradationem, continuat: *Et confeſtim Prætor vocavit carnificem & lictores, ut Huſſum educerent, & comburerent, Mandando ne ei veſtes cingulum, marſupium, caligas, aut calceos exuerent, quod ità factum eſt. Habuit autem Huſſus in ſe duas bonas nigras togas de novo panno & cingulum argenteis & inauratis fibulis exornatum, in quo pendebant duo cultri, & marſupium cum pecunia. In Capite tenuit chartaceam infulam, in qua inter duos pictos diabolos ſtabat ſcriptum: HÆRESIARCHA.*

Et infrà.

Poſtea fuit interrogatus, num confiteri velit, cum in tali anguſtia nemo impœnitens mori debeat? tùm reſpondit, volo confiteri; ſed nimis hìc anguſtum eſt, & ſubitò magnus fuit concluſus circulus. Et ego Ulricus Reichenthal, accepi in mandatis, ut Huſſum interrogarem, num confiteri velit? eò quòd adeſſet Sacerdos Capellanus S. Stephani, nomine Ulricus Schorand homo doctus habens facultates Epiſcopales & Concilii, & reſpondit: ita. Et actutum ego Ulricus Reichenthal *vocavi memoratum Sacerdotem Ulricum, qui dum veniſſet ad Huſſum ait: Chare Domine Magiſter, vultisne abrenunciare hæreſim, propter quam condemnatus eſtis? & libenter veſtram confeſſionem excipiam? Si autem hoc non vultis facere, ipſi ſcitis, quod juxtà ſacros Canones Hæretico divina miniſtrari non debeant? tunc reſpondit Huſſus: Non eſt mihi opus confeſſione, nam non ſum in ullo peccato mortali conſtitutus. Deinde volebat Huſſus in lingua Tevtonica ad populum concionari, ſed hoc Ludovicus dux nullatenus admiſit, ſed juſſit eum ſtatim comburi. Quapropter eum carnifex cum veſtibus & omni reliquo ſuo apparatu ligavit ad longum aſſerem: & pedibus ejus ſuppoſuit altum ſcabellum, circumponens ligna, & copiam ſtraminis, quod infuſâ pice accendit, tunc Huſſus ſe valde malè habuit, & clamavit, & citò fuit combuſtus. Poſtquam autem jam totus in cineres abiiſſet, chartacea infula in ignibus manſit adhuc integra, & contorſit illam carnifex, & tandem ultimô etiam in favillas abiit.* Hæc *Ulricus Reichenthal.*

Quæ narratio valde quidem ſimplex at veriſſima apparet, utpote ab eo conſignata, qui omnia oculis ſpectavit, & ſupplicio interfuit. Inde clarè diſpicitur, quàm altâ mente *Wikleffi* venenum *Huſſus* recondiderit, dum confiteri renuit, confeſſionem

nem externam non neceſſariam putando. Ità etiam Huſſitæ factô Magiſtri ſui edocti paſſim tenebant, externam illam, ſeu *auricularem confeſſionem* non eſſe neceſſariam, licèt dein *Conradus Pragenſis Archi-Epiſcopus* in Pſeudo-Synodo *Pragenſi* An. 1421. eam recipiendam punctô XVIII. modis omnibus contenderet.

Panegyricum vitæ ejus dicere conſueverint. Quòd *Huſſitici* illi Carolini Profeſſores in ſuis Academicis promotionibus communiter laudem *Wenceslai Pigri* utpote eorum rebus egregiè faventis, ſonuerint, teſtis eſt *M. Nicolaus Troilus Hagiochoranus Academiæ Pragenſis* Pro-Rector, publicum programma 1612. ſic claudens. „Facultas Philoſophica candida„tis honorem primum in Philoſo„phia die proximo Jovis hora 14. „præmiſſa oratione de Sereniſſimo „Bojemorum Rege Wenceslao ejus „nominis IV. quem aliæ nationes „ignavum ſinè ejus merito vocant, „per me conferre decrevit. Quæ „dies cùm debeat eſſe ſolemnis, „non tantùm Academiæ noſtræ ad„dictos, docentes, & diſcentes, „ſed Reverend. doctiſſ. clariſſ. & „nobiliſſimos Viros ad hanc pane„gyrim peramanter invito. V. fe„liciter dabam in Collegio Caroli„no 24. Septembris Annô Chri„ſtiano 1612.

Vitam ſui indigetis conſcribi facerent. Hoc opuſculum ſub titulo: „Fama poſthuma „Joannis Nepomuceni Cathedralis „Eccleſiæ S. Viti in arce Pragenſi „Canonici, Univerſitatis Caroli „quarti Studioſi, & Magiſtri &c. „laude ſanctitatis & miraculorum „apud ſuos & exteros clari, æterni. „Civili, Civicâ, debita Nepomu„cenſium pietate deducta, dictata, „dicata. Annô Chriſtiano 1641. „à demerſione Beati Joannis Ne„pomuceni 258. cum licentia Su„periorum. „ *Pragæ Typis Academicis*, compoſuit *P. Georgius Ferus* Societ. JEſu. Ideò hìc refelluntur illi, qui hunc partum *Caſparo Drauskovio* decano *Nepomuceno* attribuere volebant, certum eſt hunc laborem eidem adſcribi non poſſe, nam & ſtyli comtitudo, quam in ſuis non ſectabatur *Drauskovius*, obſtat, & paſſim opuſculum R. P. *Georgii Feri* audit. *Priſtino decori reſtituit.* Quòd ſtructuram Eccleſiæ attinet, ea eſt proportionata, & commoda, in longum ad 30. & latum ad 16. circiter paſſus excurrens, amplum quoque in circuitu habens cæmeterium. Aræ in ea tres reperiuntur, Major, quæ eſt ornata quinque ſtatuis nimirum *S. Wenceslai*, *S. Ludmillæ*, *S. Franciſci*, *S. Claræ*, & *Reſurrectionis Dominicæ.* Imago inferior *S. Joannem Baptiſtam*, Superior verò *Divum Joannem Nepomucenum* penicillô artificioſiſſimô *Bojemici Parrhaſii* (*Carolum Scretà* Annô 1677. vitâ functum intelligo) pictum repræſentat, & hunc quidem in virili ſtatura, variô Canonicali, barbâ prolixâ, ùt veteribus mos erat, eleemoſynásque diſtribuentem, qualem nobis etiam titulare folium in fama poſthuma, ac imago antiqua in capella *D. Joannis Nepomuceni Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis* propè ejus ſepulchrum exhibet. Subnexa eſt imagini inſcriptio:

Joannes Nepomucenus Canonicus Pragenſis ob ſecreti Sacramentalis fidem ſubmerſus Pragæ Annô 1383. Vir ſanctitate, ac miraculis à morte clarus. Beate Joannes ora pro communitate Nepomucenſi. Duo lateralia altaria ad formam marmoream effigiata; primum ad latus epiſtolæ *quatuordecim Auxiliatores*, alterum ad latus evangelii *tres Reges* eleganti pictura exhibet. Eccleſia verſa eſt ad ſeptemtrionem, & poſt majus altare ad

ſervitia Sacerdotum habet ſacriſtiam commodiſſimam. Sub Cathedra (ad quam plurimæ infantum pendent veſticulæ, à matribus filios in honorem *S. Joannis* Eccleſiaſtico habitu induentibus, voti explendi gratiâ affixæ) Collocata videtur magna ſtatua *Sancti Joannis* literis cronographicis:

TVteLarI Patrono sVo B. IoannI NepoMVCeno opVs IstVD eX Voto posVerat.

Ornat D. Carolus Ignat. Dumant.

DOminus quoque *Andreas Smrkovsky* ad *Appellationis Regiæ tribunal* Regiſtrator, & Superioris Urbis *Pragenſis Hradezanenſis* Primas patriâ *Nopomucenus*, miſſam fundavit perpetuam, decima ſexta cujusvis menſis in hac Eccleſia celebrandam, capitale in fundis *Nepomucenis* conſtituendo, quam fundationem *Reverendiſſimum Archi-Epiſcopale Conſiſtorium Pragenſe* confirmavit.

Joannes Gervvenka in atteſtato ſuo authentico. Atteſtatum in Archivo *Capituli Metropolitani* aſſervatum è Slavico translatum ità ſonat:

Ego Infra ſcriptus Civis oppidi Nepomuk tenore præſentium ubivis locorum fidem indubiam facio, & teſtor, quod à pie defuncta Matre mea Anna ſæpiùs narrari audiverim, qualiter illa dum quadam vice noctu ex mola rediviſſet, & ad forum oppidi, propè curiam veniſſet, magnum lumen in cuppa Eccleſiæ Sancti Joannis Nepomuceni, ac ſplendorem etiam in ipſo templo, quasì plurima lumina arderent, cum magna admiratione ac ſtupore viderit, cùm tamen in illa Eccleſia nullum prorſus lumen fuerit. Iſtud bona fide & conſcientia teſtor, paratus corporali juramento confirmare. In cujus rei majus robur manu propriâ me ſubſcripſi & Sigillum appreſſi.

Nepomuci die 24. Octobris
Annò 1697.

(L.S.) *Joannes Gervvenka,*
Civis Nepomucenſis Annornm 62.

Subſcripſit in præſentia noſtra

Mathæus Joſephus Nevvſcheta,
Decanus Nepomucenus.

Fr. Sigismundus Janda,
Ord. Min. S. Franciſci convent. Capellanus.

Flo-

Floruêre plures in vicinia latinitatis Scholæ. Civitas *Plſnenſis* tertio lapide à *Pomuko* diſſita, jam à *Joannis Regis* tempore eâ gaudet gloriâ, quòd & literarum cognitione præſtantes admoveat in Senatum, & grammaticales inſtitutiones cum egregio fructu ſuſtentato, civitatis ærariô, Baccalaureo juventuti procuret, nec ad directionem ſcholæ admittat, niſi Philoſophiæ gradu inſignitum. In programmatis *Mathiæ Giczinsky* lego - circa annum Domini 1573. ſcholæ *Plſnenſis* Rectorem fuiſſe *Thomam Vodnianum* in Academia *Pragenſi* artium liberalium & Philoſophiæ Profeſſorem, & dein Medicinæ doctorem qui obiit peſte Pragæ 1582.

CAPUT QUARTUM.

Univerſitatis Pragenæ erectio. Capituli Metropolitani, in eandem merita. Primi quatuor facultatum Profeſſores. Joannis Nepomuceni altiora Philoſophiæ, Theologiæ & Iuris ſtudia. Suſcepti Academici gradus.

ETſi cum Chriſtianæ Religionis exordio literarum quoque ſtudia illi Slavicæ nationis Apoſtoli *Cyrillus* & *Methudius Bojemiæ* Regno intulerint, latinitatis Scholas hactenus ignotas erexerint, & juventutem in fide Chriſti novellam præter pietatis opera ad doctrinæ quoque profectum egregiè adjuverint, *ut ab eo tempore literarii ludi*, in vicos, & oppida utiliter introducti, juventuti nunquam defuerint (a) *Generale* nihilominus *ſtudium*, ſeu omnium facultatum doctura unicum Regni decus usque adhuc deſiderabatur. Regnicolæ, qui doctrinam academicósque honores exambiebant, ſuô atque Reipublicæ diſpendiô in peregrina (unde ſæpè vitiorum colluviem, erroneásque in fide opiniones adferebant) proficiſci compellabantur. Prælaturis, & Majoribus Sacerdotiis honoratos, *Romani*, *Bononienſis*, *Mediolanenſis*, ac frequenter *Pariſienſis* ſtudiorum Magiſteriis inſignes legimus (b) *Carolus* igitur Quartus Magnus illæ Patriæ Pater, militaribus Regiis, diviniſque virtutibus præprimis ſcientiarum deſideriô Anteceſſores ſuos *Bojemiæ* Reges facilè antecellens, primus quoque *Romanorum Imperatorum*, qui ùt obſervat *Boregk* (c) Commentatione in ſacra Evangelia clareret, hortatu *Arneſti primi Pragenſis Archi-Epiſcopi* (à cujus ſancti Præſulis arbitrio totus dependebat) & ſuâ partim inductus magnanimitate, & munificentia, liberalium Artium, & Scientiarum omnium Palladium fundatâ ſtudiorum univerſitate Pragenis mænibus invexit. Ante omnia *Clemens VI. Summus Pontifex* imploratus, qui *Avenione* urbe *Narbonenſis Galliæ literas Apoſtolicas dedit* univerſitatem, quam Rex & Archi-Epiſcopus molirentur ſcientiis omnibus docendis inſtruendam multis verborum favoribus approbavit, & omnibus privilegiis, & immunitatibus aliarum univerſitatum opipare exornavit. *Carolus* dein ipſe *ſub aureæ bullæ typario* Doctores, Magiſtros & Scholares ad ſuæ Majeſtatis ſpecialem protectionem & *Salvam quardiam* (ùt ait) ſuſcipit privilegia immunitates, & libertates univerſas, quibus tam in *Pariſienſi*, quàm *Bononienſi* ſtudiis Doctores, & Scholares autoritate Regiâ potiuntur, iisdem omnibus & ſingulis liberaliter impertitur. Porrò ut Magiſtri ac Studentes pro commodiori literarum exercitio ſegregatum haberent locum, per-amplam *Lazari* quondam celebrioris *Rabbini* domum ad cornu plateæ propè Eccleſiam *S. Nicolai* in foro pullorum, in Collegium ſuo nomine vocandum transmutat, & duodenariô Magiſtrorum numero exornat, *dantes etiam* (verba ſunt illius) „conferentes, approprian-„tes, & unientes authoritate Regiâ, „nobis hæredibus, & ſucceſſoribus „noſtris Bojemiæ Regibus & ejus-„dem regni corona perpetuum ei-„dem collegio & perſonis ad illud ſpe-

(a) Math. Bolelucz-ky in vit. S. Adalb. cap. 3. n. 6.

(b) Act. Capit. Metrop. Anno 1304. & ſeq.

(c) Martin. Boregk. in chron. Boëm. fol. 313.

„ſpectantibus infra ſcriptas villas „videlicet: Poczernicz, Drahelczicz, Unebucz, Nenacovicz, „Holonochi, cum molendinis pratis, rubetis, & in villa Truſs quinque ſexagenas groſſorum cenſus „annui cum omnibus earum juribus, pertinentiis, libertatibus; „Quæ noſtræ Regalis clementiæ licentiâ, & mandato pro commemorato Collegio, ritè donavimus & contulimus.„ Denique creſcente docentium diſcentiúmque numero Judæos planè omnes *Carolus* Pragâ exeſſe juſſit, & in platea eorum gemina rurſus alia fundavit Collegia ſtudentium exercitiis valde opportuna: unum eminebat judaicæ portæ ad ortum ſolis, Contubernio Religioſo *Crucigerorum Sancti Cyriaci* oppoſitum à famoſo alterius Rabbini nomine domus *Jacobi* appellatum: alterum ædiculæ *Divi Valentini* vicinum, à depictis docentium inſigniis, *ad inſignia* dictum. Non paucæ etenim, ùt narrat *Hagecus* illuſtres ſanguine, perſonæ Artium gradibus inſignes Profeſſorum muniis hoc ævo inſiſtebant, quæ dein ſuæ gentis inſignia, memoriæ gratiâ ibi affigi fecère. *Referunt Annales Academici* (ſunt verba *M. Nicolai Alberti à Kamenek* (d) *ex Baronibus, & Equeſtri ordine ſuperioribus annis fuiſſe, qui non in generis celebritate, ùt nunc ferè ſit, vel opibus, ſed in doctrinæ excellentia ac teſtimonio ejus publicè accepto, gloriam ſibi conſtitutam putârint. Prout & gradus ille ſummus, in imperio paſſim nobilitati æquiparatur.*

(d) M. Nic. Alb. à Kamenek Decan. Academ. Prag. in program. publ. die 18. Jun. 1613.

2. Nè verò alicui error hìc ſubrepere queat, qui legerit bullam *Caroli* pro domo *Lazari* 1366. datam, & ex eo ſeductus arbitretur illo primùm tempore hoc collegium à ſtudentibus fuiſſe frequentatum, nam mox An. 1348. inchoatô ſtudiô univerſali domus *Lazari* in collegium *Caroli* converſa, à ſtudioſis pro lectionibus inhabitabatur, etsì primùm bona immobilia pro magiſtrorum ſubſiſtentia (cùm citiùs fortè comparari non poſſent) illô Annô 1366. domui *Lazareæ* poteſtate regiâ *Caroli* attributa legantur; ſuſtentatis interea profeſſoribus ex collectionibus *Archi-Epiſcopi*, *Capituli* & cæteri Cleri, ùt infrà videbimus, & deduco - hæc clarè ex ipſis *Caroli* verbis in bulla, qua Profeſſores Carolini 1366. ad Canonicatum *OO. SS.* evehit, ibi enim de Collegio *Lazari* pridem, id eſt, mox â fundatione Academiæ inſtituto loquitur: *Sanè cùm pridem animô deliberatô Principum, Baronum, Procerum Regni, & Coronæ fidelium noſtrorum accedente Conſilio, quoddam in nobili Civitate noſtra Pragenſi Collegium fundavimus, & reſtauravimus, quod, & ex noſtro nomine Auctore, felicibus auſpiciis* COLLEGIUM CAROLI, *decrevit noſtra ſerenitas perpetuis temporibus appellari. Quod quidem Collegium domo inhabitationis munivimus numerô perſonarum diſtinximus, officio lectura & ſtudiorum diſtribuimus, reditibus, & proventibus congruis dotavimus, ſicut in literis fundationis hujusmodi pleniùs & expreſſiùs continetur.* Excitatâ igitur *Pragenâ univerſitate*, mirus quantus Regni fulgor? quæ civium potentia? quis ſapientum accurſus? quanta ubique doctrina? præmiat nempe Reges Deus, qui ſpretis mundi illecebris ſapientiam ſolam inveſtigant. Certè hanc quæſivit *Carolus*, cui nihil dulcius, quàm inter ſapientum acuminoſa prælia relictis epulis moram nectere, legere, ſcribere, & ad eruditionem feſtinis paſſibus properare. Imitatus per hoc *Carolum Magnum*, qui Imperatore digniſſimum munus reputabat, inter literas deliciari. Quantùm præterea DEI cultus rerum ſacrarum ſplendor Sacerdotiorum numerus eodem Auctore aut Reſtauratore incrementa ſumpſerint, longum foret commemorare. Excitatâ è quadrato lapide ad formam Eccleſiæ *Colonienſis Divi Viti* Baſilicâ, alias quoque tam *Pragæ*,

quàm

quàm in tota provincia ſacras ædes, & Monaſteria, aut è fundamentis erexit, aut vetuſtate collabentes reſtauravit, & dotavit. Plusquam medictas Regni in Dei & Miniſtrorum ejus manibus ſubſidebat, & tamen *nullibi penuria*, theſaurus Regis redundabat, ſæculares quoque Proceres habebant in abundantia.

3. Non poſſum - hic, occaſione erectæ *univerſitatis Pragenæ*, egregiam illam *Capituli Metropolitani*, liberalitatem celare, quâ ad comparanda novellæ Academiæ prædia, è quibus docentes Magiſtri, & Profeſſores victitarent, & antequam hæc coëmpta fuiſſent, ad dependendum interea magiſtrorum paſtum, & ſolaria collectis pecuniariis *Carolum* utiliter, & gratiſſimè adjuvabant, *Archi-Epiſcopus* (ait *Hagekus* (e)) *& Capitulum Eccleſiæ Pragenſis, & alii Prælati, Parochi, & monaſteria collegerunt multos cenſus pro Academia Pragenſi, & illos Archi Epiſcopo Pragenſi conſignârunt, eundem Archi-Epiſcopum, & ſucceſſores ejus ex indulto Regis Cancellarium Academiæ Pragenſis conſtituentes.* Huic ſubſcribunt Paproczkius (f) & Beckovvskius (g) contrarii videntur nonnulli recentiores *Hagekum* impoſturæ ac fabularum condemnantes. *Mihi* (ait prior (h)) *veriſimile non fit: Arneſtum ad univerſitatis Carolinæ fundationem pecunias innumerabiles (quos ſomniat Hagekus) contuliſſe, cùm ſuum id opus eſſe voluerit, Glorioſiſſimus Imperator Carolus, ſeque unum in omnibus literis fundatorem appellet.* Et poſterior (i) *Hoc tamen hìc etiam minimè omittendum cenſuerim, confectum id generis Regni noſtri Cmelium* (Academiam Pragenſem) *à ſolo illo Patriæ Patre adeóque commentitiam eſſe omnem illam liberalitatem quam pro Eccleſiaſticis neſcio quibus, ac Regularibus Prælatis ſinè ullo fundamento excogitavit Hagekus. Nam ſuperſtites M. S. memoriæ inſinuatæ Academiæ nullius Archi-Epiſcopi, Capituli nullius, monaſteriive meminerunt.*

(e) Hagek An. 1348. fol. 319.

(f) Paproczky in Catalog. Epiſc. Prag. fol. 324.

(g) Joan. Beckovvsky Chr. Boem. cap. 50. fol. 336.

(h) Balb. in Arneſt. lib. 2. c. 9. in not.

(i) Cruger. in pulv. April. VIII. Id.

4. Debeo - igitur veritati teſtimonium dare & *Hagecianam* autoritatem tuendo munificam *Capituli Metropolitani* manum poſtliminio reſtituere, & impenſas iteratis vicibus in erigendam *Academiam Pragenſem* operas, gratæ poſteritati plurimùm commendare. Ut id effectu præſtem - è ſacro *Capituli* chartophylacio (k) originales in membrana confectas ſigillò cæſareô roboratas ipſius *Caroli IV.* repetitas literas produco -, quas tamen nè per extenſum referens - gratæ brevitati officiam, earum ſummarium ex ipſo originali fideliter extractum hic ſubnecto - : *Annò Domini M CCC LII. die 20. Octobris Regnorum annô ſeptimô Carolus IV. atteſtatur Honorab. Viros Przedvvogium Decanum, Plichtam ſcholaſticum, & totum Capitulum metropolitanum quinquaginta ſexagenas groſſorum Pragen. pro ſolario, & paſtu Doctorum, & Magiſtrorum, & præſertim magiſtri in ſacra pagina legentis contribuiſſe, & numeratô conſignâſſe.* Exinde patet, quòd licèt donum repetitum non fuiſſet, tamen 50. *ſexagenæ* notabilem eâ ætate confecerint ſummam. Teſtatur enim *Paulus Stransky* (l) quòd *ſexagena groſſorum Pragenſium* cum obolis ſeptingentis, & viginti pependerint unum *pondo*, ſeu *libram numulariam.* Si igitur hoc *Capitulum*, quid ipſum caput Archi-Epiſcopus *Arneſtus*, ſuô conſiliô (quod plerúmque adjectis etiam operis juvare ſolemus) in negotium erectionis apud *Carolum* influens, feciſſe cenſendus erit. Sed & *Capitulum Wiſſehradenſe* poſtremas hìc partes minimè ſuſtinuit. Nam per Præpoſitum ſuum *Nicolaum Caroli IV.* Imperatoris fratrem, dein Patriarcham Aquilegienſem, & *Wilhelmum* ab *Haſenburg* Decanum liberales itidem manus neo-erectæ Academiæ exhibuit. Prior enim ſummam pecuniæ, alter verò membranea volumina, è Bibliotheca ſua, quam vir eruditioni ſummè deditus, totô orbe conquiſierat, donô dedêre. (m)

(k) Archiv. Capit. Metropol. in ſcrin. diplom. Cæſar.

(l) P. Stransky Reipubl. Boem. cap. 18. n. 3.

(m) M. S. Archiv. Wiſſehrad. ad An. 1351

5. Xſolo

5. Solo demum ultiori *Capituli* gloriæ immorari, ac in longum recenſere ſingularem illam doctoribus ſtudii *Carolini* exhibitam benevolentiam, qua eos inter Huſſiticæ hæreſeos diſturbia præbendis magiſtralibus privatos, aut aliàs ab adverſariis odiô fidei exagitatos, intra gremium ſuum recipiendo, & Canonicalibus præbendis ſuſtentando, adverſus hæreſum phalanges firmiores ac animoſiores reddidit: Sic Magiſter *Andreas* de *Broda Boëmicali*, & M. *Stephanus Palez* Plebanus antea Eccleſiæ in *Curym* SS. Theologiæ Profeſſores, fidei Catholicæ aſſertores, & Athlethæ ſtrenuiſſimi effecti, poſteaquam Huſſitarum preſſuris liberati in Canonicos *Metropolitanæ Eccleſiæ* electi, ſecuriorem contra inhiatores ſubſiſtentiam nacti fuiſſent. Ideóque *Huſſum* usque *Conſtantiam* ſecuti, non dederunt requiem animabus, quousque peſtilentem illum Hæreſiarcham ſuis aliorumque doctiſſimorum hominum teſtimoniis per incendium ſuſtuliſſent. (n) Quid dicam de *Stanislao* à *Welvvario* & *Nicolao* de *Horczepnik Carolini* Profeſſoribus nec non *Wenceslao Krczizanovvskio* Philoſophiæ ibidem Decano, qui licèt pro viribus invaleſcentem *Huſſii* hæreſim in *Pragenſi* ſtudio diſpellere laborarent, violentiæ tamen tandem circa Annum 1460. cedere, & ſe ab Academia ſejungere coacti ſunt, quando ea literis publicis evulgaverat, ſacram communionem utriusque ſpeciei dandam eſſe populo de neceſſitate ſalutis (o) Hos magiſtros è *Carolino* per *Huſſitas* excluſos itidem in gremium ſuum aſſumpſit *Capitulum Metropolitanum* (p) & quales exinde imperteritos Catholicæ fidei Adlantes effecerit, teſtatur acerrima illa coram Rege *Georgio* & Regni Proceribus Annô 1465. in *Aula Regia* veteris urbis *Pragenſis* contra *Joannem Rokiczanam Huſſii* primogenitum victorioſè propugnata, & ab *Henrico Caniſio* in antiquis lectionibus typis vulgata diſputatio, in qua idem *Krczizanovvskius* cum *Hilario* de *Litomerzicz Capituli Pragenſis* decano velut fidei pugil *Hoſtium caſtra evertit*. Nec ſtrepere cupio - - recentiora - - decora, & illos Annô 1552. iteratò impenſos conatus, pro erigendo contra *Carolinum hæreticum* novo *Pragæ Catholico ſtudio*, quod dein *Ferdinandeum* audiit, commemorare. Ablegavit ad *Ferdinandum I. Glor. Mem. Viennam* duos de gremio *Henricum* videlicet *Scribonium* J. U. Doctorem, & *Joannem Puchovv* SS. Theologiæ Doctorem, illum *Pragenſis* hunc *Melnicenſis* Eccleſiarum Præpoſitos, & *Wiſſerahdenſes* Canonicos qui ſupplicibus apud Imperatorem precibus humiliter exponerent; quòd cùm exigua ſpes ſit reducendæ *Academiæ Carolinæ*, ut quempiam Catholicum admittat in ſuum gremium, Magiſtris, & Profeſſoribus Religioni *Huſſiticæ* deditis, & nonnullis jam etiam *Lutherum* olentibus, ſummè neceſſarium videatur, ut ſua Cæſarea Majeſtas pro autoritate, & poteſtate ſua Regia, atque Cæſarea novum ſtudium Catholicum *Pragæ* conſtituat per quod juventuti ſacris literis imbuendæ in tempore proſpiciatur, atque per facultatum docturas, ſubjecta qualificata è Clero emergant, qui Catholicæ Religioni, undique alias attritæ ſubſidio eſſe queant. (q) Quid ea ſollicitudo eſſecerit, - rei monſtravit eventus, dum erectâ *Academiâ Ferdinandea* à *Ferdinando I.* ac dein unita *Carolinæ* à *Ferdinando III.* innumerabilem virorum literatiſſimorum produxit ſegetem, qui fidem Catholicam in Regno ac unitis provinciis Herculeis humeris ſuccolarent. Manent igitur *Capitulo Metropolitano* ſua in *Accademiam Pragenſem* omni ævô cum honore commemoranda merita, manent beneficia (r) ſed & pro his omnibus benefactorum memor, retribuit

(n) Coch. Hiſt. Huſſit. lib. 2. fol. 86.

(o) Veſtig. Boëm. piæ c. 5. §. 3.

(p) Act. Capit. An. 1466. & ſeq. Tho. Peſſin. Phoſph. Rad. 5. pag. 264.

(q) Act. Henr. Scribonii præpoſ. An. 1552. Literæ ejusd. ad Valent. Decan. prid. S. Cathar.

(r) Glor. Univerſ. Prag. En. com. 15. fol. 62.

tribuit Univerſitas, & dedit præmium longè pulcherrimum gratiſſimúmque *Joannem Nepomucenum*, primum exorientis Academiæ florem, & digniſſimum inter primos academicos ſcholarem, quem pietate, & ſcientiâ admirabiliter excultum, in artibus Magiſteriô, in ſacra pagina, & decretis doctoratu fulgidum primum è Magiſtris ſuis ad canonicatum Metropolitanum ſubornavit.

6. Poſteaquam igitur abſolutô manſuetioris literaturæ curriculô, nihil in ea ampliùs addiſcendum reſtaret *Joanni*, ad altiores ſcientias, & ſtudiorum neo - erectum Palladium *Academiam Pragenſem* feſtinis paſſibus excurrit. Et quoniam quidem conditionis, prout ſatis compertum eſt, tenuioris exiſteret, nulli tamen labori, & induſtriæ pepercit, quin optatum doctrinæ deſiderium, fine longè conſumatiſſimò coronaret. Arduæ efficiuntur literæ, dum illis egeſtas ſubſidia diſputat. Hanc ſortem expertus *Cleanthes* nocturnô tempore victûs parandi gratiâ in aquariis fatigabatur, ut interdiu ad *Chryſippi* ſapientiam liberas adferret aures. *Æſopus* egeſtate compulſus aliorum obſequiis ſe vendidit. *Plautus* vitam ſuſtentabat in molendino. Sed eſt quædam paupertas, quæ excitat artes potiùs quàm impedit. Divitiæ & nobilis proſapiæ ſplendor peſtem ſæpè adferunt ingeniis, quibus illuſtria, ùt ferè nunc fieri aſſolet, naturæ munera corrumpuntur. Aut enim aſſentatione moderatorum molliter inſtruuntur, aut adulatione ſervientium oſcitanter adiguntur. (s) Humiles nati non ità facilè deliciis franguntur, ſed virile ſpiritûs robur, in doctrinæ profectum impendunt eò ferventiùs, quo per ſapientiæ gradus ſuſcitari à terra inopem, & collocari eum cum Principibus, exemplis doceantur. *Joannes* nullâ arduitate â propoſito abſtractus, ſed inſitâ naturæ ſolertia impedimenta omnia ſuperando, & annò ætatis circiter octavô, aut nonô ſupra decimum, juxta ſuperiorem conjecturæ calculum 1349. *Pragæ* ſubſiſtendo, ſtudio *Philoſophiæ* vivaci ingeniô operam dedit. Et quia à pueris jam virtuti deditus erat, juvenilem ætatem à ſingulari etiam modeſtia, Deíque timore, ac omnigenarum virtutum amabilitate mirùm, commendatam reddidit. *Primus diſcendi ardor* (teſte *S. Ambroſio* (t)) *nobilitas eſt magiſtri.* Hæc non leviter *Joannem* animaverit, dum præcellentes doctrinâ viros, quos Imperator *Carolus* ad neo - erectam Univerſitatem ex celebribus *Bononienſi*, ac plurimùm *Pariſienſi* Academiis *Pragam* evocaverat, inſtructores ſuos nanciſcebatur. Octo eorum omni ævô digniſſima nomina *Carolinum*, ac etiam *Metropolitani Capituli* ſervant Archiva, qui in quatuor facultatibus, *Theologia*, *Jure*, *Medicina*, & *Philoſophia* primos eruditionis literariæ Candidatos in omni ſcientia inſtituendo, docendóque formârunt. Duo qui ſacram paginam primi prælegerant. *M. Hermannus* de *Winterſvvik* Sacerdos Eccleſiaſticus è *Saxonia* oriundus, Magiſter Artium, & ſacræ paginæ in *Academia Pariſienſi*. *M. Fridmannus* de *Praga*, *Nicolai* de *Usk* civis *Pragenſis* filius, Sacerdos Eccleſiaſticus Magiſter in Artibus, & ſacræ Theologiæ Baccalaureus in *Academia Pariſienſi*. Duo qui tam Civiles leges, quàm Pontificum decreta explicarent. *M. Vigtoldus* de *Oſſnabrugô* ex *Weſtphalia*. *M. Henricus* de *Sicca Boemus Suſſicenſis*. Tres qui Philoſophiam, & cæteras artes docerent. *M. Jenko* aliàs *Joannes Wenceslaus* de *Praga* Sacerdos Eccleſiaſticus Magiſter Artium, & Baccalaureus Theologiæ in *Academia Bononienſi*. *M. Ditherus* de *Videna Auſtriacus* & *M. Henricus Vollier*, aliis *Vollerus Gallus* Magiſtri Artium & Sacerdotes Eccleſiaſtici. Medicinam demum etiam prælegit *M. Nicolaus* de *Moravia* Artium

(s) Pohus. à Lobkovvicz in append. Epiſt. edit. 1509. per Th. Mit.

(t) S. Ambroſ. l. 2. de Virg. ſub init.

tium & Medicinæ Magiſter cui poſtea adjunctus fuit *Balthaſar de Tuſtà Boemus* (u). Hi primi Collegium Carolinum non modò incoluerunt verùm & magnâ diligentiâ in eo ſinguli ſuas artes juxta quatuor facultatum ordinem docuerunt; & cupidam ſcientiarum juventutem ad egregium doctrinæ profectum juverunt. *Bartholus* dein à *Saxoferrato Umber* Juris Conſultorum ſui temporis Princeps, & lucerna juris, à *Carolo IV. Pragam Peruſio* pro erigendo exornandóque juris prudentiæ collegio - - evocatus, perennem quoque facultati *juridicæ Pragenſi* decorem adjecit, quando & pro tempore *Pragæ* in neo-erectâ Univerſitate jura profeſſus, & leges etiam *Boemis* à *Przimislao Agricola Stadicenſi* latas, & adeò paganiſmum redolentes, repurgatis mendis in hodiernam juris formam pro municipiis *Boemis* concinnavit (x). In præmium verò navatæ operæ per publica regni comitia jure municipii *Carolus Bartolum* donavit, & in armis leonem *Boemiæ* gerere juſſit (y). Obiit *Bartolus* Annô 1359. ætatis ſuæ quadrageſimo ſexto ſepultus *Peruſii* apud *Fratres minores*. Hi proinde ſunt illi glorioſi, & æternâ memoriâ digniſſimi viri *Univerſitatis Pragenæ* fundamenta, ſcientiarum culmina, Artium Patres, qui *Joannem* in omnigena ſapientia & doctrina erudierunt. His ille Magiſtris, mirificos faciendo progreſſus, ſcientias & artes liberales à *Jenkone*, *Dithero*, & *Volero* Philoſophiam ab *Henrico* & *Vigtoldo*, & forſan etiam *Partolo* jurisprudentiam, à *Fridmanno*, & *Hermanno* Theologiam complexus fuit. Collegium illud in *domo Lazari* Judæi, dein Annô 1383. *in domum Rottlevvi translatum*, frequentationibus *Joanneis* tritum, & honoratum, profectus ſtudiorum ejus, ad quem ille non ambiguis paſſibus, ſed impigris animi undequaque ſolertiſſimi conatibus volare contenderat, æviternum eſt monumentum. Tandem quod Magiſtralem Philoſophiæ lauream, quâ primæ doctrinæ teſtimonium, & præmium conſequeretur, attinet, eâ probabilius jam ad Annum 1352. condecoratus extiterit: Theologicis, juridicisque lucubrationibus ulterius ſpatium requirentibus. Emensô igitur Philoſophiæ curſu, Academicis honoribus inſigniter illuſtratô, ad ſcientiam ſacram Theologiæ canonúmque ſe accinxit *Joannes*, & ut in paleſtra utriusque abreptum bravium citiùs reportaret ſummis profectibus effecit.

(u) Archiv. Capit. Metrop. An. 1348.

(x) M. Martin. Bachaczek. Rect. Acad. Prag. in program. publ. Anno 1611.

(y) Lupac. 13. Jul. Dubrav. Lib. 22.

7. Autumant hic quidam *Joannem* Theologiæ ad Eccleſiam collegiatam *S. Apollinaris* in monte ventoſo *Pragæ* operam dediſſe, ubi videlicet Canonici ex *Saczka* ab *Arneſto Archi-Epiſcopo Pragenſi* eò translati, cùm omni ſcientiarum genere eſſent inſtructiſſimi, ut vitam adeò potiùs in urbe, quam ruri agerent, munus Theologiam docendi à *Carolo IV.* ſibi impoſitum habuerant. Verùm hoc veriſimile vix videri poteſt, eò quod ſtudia Theologica *Joannis* abſque neceſſitate, & antiqui monumenti auctoritate, ultra trigeſimum imò, & quadrageſimum (cum iidem nativitatem ejus propè annum Domini 1320. condant) ætatis ſuæ annum 1363. relocarentur, quò præfati Canonici, ex *Saczka* propè *Nimburgam* ad Eccleſiam Collegiatam *S. Apollinaris*, primò eam facultatem docere publicè inceperant, dum interea certi eſſe debeamus, eò propemodum tempore *Joannem* ſacerdotiô pridem inſignitum primitios curæ animarum fructus, jam magnâ animi contentione, collegiſſe. Quod verò non maturiùs doctura Theologiæ, id loci ortum ſuum ſumpſerit irrefragabiliter demonſtratur ex libro primo Erectionum (z) ubi per extenſum recitantur literæ *Arneſti primi Archi-Epiſcopi* quibus ex perſuaſu *Caroli IV.* Romanorum Imperatoris & *Boemiæ* Regis (ſummarium hìc earum refero -) &

(z) Lib. 1. Erect. lit. Margin. G. 2.

aliis certis, & rationabilibus de cauſis, cum conſenſu *Capituli Metropolitani*, Collegium Canonicorum Eccleſiæ *S. Apollinaris* in villa *Saczka* Diœceſis *Pragenſis* ad Capellam *S. Ægidii*, novæ Civitatis *Pragenſis*, propè monaſterium montis *S. Caroli* Canonicorum Regularium ſitam transfert, & Eccleſiam Parochialem, quæ in *Saczka* remanſit, in conventualium Canonicorum Regularium Ordinis *S. Auguſtini* erigit, & transmutat *Actum & datum in caſtro Rudnicenſi Anno Domini* 1362. *die* 29. *Novembris.* Et infrà legitur: „Nos quoque Velko Decanus Ec„cleſiæ S. Apollinaris novæ Civita„tis Pragenſis, totúmque Capitu„lum ejusdem Eccleſiæ, faciens Capi„tulum, & capitulariter congrega„ti præſentibus recognoſcimus &c. „Actum 1362. die 29. Novembris. Ex qua *Velkonis* Decani ſubſcriptione noto, eum tum jam *Pragam* cum ſuo Capitulo, & Eccleſiæ Miniſtris translatum, & hanc translationem die & menſe aliquo *Julium* inter & *Novembrem* inſtitutam fuiſſe. Nam eodem Erectionum libro &
(aa) Lib. 1. Ereƈt. lit. margin. O. 3. fol. 35. Anno (aa) in literis Domini *Pilchtæ* Decani *Pragenſis*, quibus erigit altare *S. Urbani* in *Eccleſia Pragenſi* adhuc 16. *Julii. Velko* Decanus *Saczkenſis* ſubſcriptus inter cæteros *Canonicos Pragenſes* legitur tali ordine! *Pilchta Decanus*, *Nicolaus Scholaſticus*, *Joannes Præpoſitus S. Ægydii*, *Hinko de Mallonar*, *Penczo Præpoſitus S. Crucis Wratislavienſis*, *Velko Decanus in Saczka*, *Buſco Archi-Diaconus Curimenſis*, *Theobaldus Archi-Diaconus Zatecenſis*, *Joannes cuſtos Wiſſehradenſis Canonici Pragenſis Eccleſiæ. Actum* 2362. *die* 16. *Jul.* Translati ergò ſunt *Canonici Saczkenſes* ad *S. Apollinarem Neo-Pragam* propè finem Anni 1362. Non tamen eò propediem annô, vix illatô veſtigiô munus doctoræ inchoârunt, ſed annô demum novo ſequenti, quo reſpexiſſe videtur *Hagecius*, qui ad eum annum (1363.) eorum translationem collocavit, principaliter videlicet attendendo ad inchoatum eorum munus, quod erat Theologiæ doctura. At verò ad hunc annum inter Canonicorum *S. Apollinaris* diſcipulos numerare *Joannem* & ſtudiorum, ætatísque ſeriem tam remotè protrahere, nè vix quidem poſſumus. Igitur in regula ordinarii ſtudii à *Carolo IV.* in domo *Lazari* inſtituti permanentes, *Joannem* præclaros doctrinæ ſacræ fructus decerpentem ulteriùs ob oculos ponimus.

8. Hîc quidquid veræ ſolertiæ, pietatis, humilitatis, ſtudii, imitationis, aliarúmque ſacram ſcientiam anhelanti congenitarum virtutum, in aliis ſæpe diſperſarum conquirere poſſum, in unum *Joannem* conjicio. Nullum tempus otioſum: nulli labores difficiles: nullus lecturæ locus tam inacceſſus, quin non animô ſuperaret, & meditando in conſuetudinem traheret. Præter excellentem ad corrivalium æmulationem usque Theologiæ ſacrarúmque Canonum ſcientiam, etiam legum civilium notitiam ſub memoratis jurium Profeſſoribus adjeciſſe eò minùs in dubio eſt, quo ad penitiorem canonum cognitionem hujuscemodi exercitatio præmitti ſoleat. Florenti nihilominus *Joannis* ingenio, & optimis artibus ad gloriam, famámque erecto nihil ex erudito illo gloriæ pulvere adhæſit aliud, quàm virtutis, & præcipuè humilitatis ſtudium. Modum tenere in omnibus: rationem ſequi: nihil agere ad voluptatem, aut cupiditatem: aliorum conſilia libenter audire: neminem contemptu irritare: honore omnes prævenire; Joannis proprium erat, & familiare. Nihil in verbis procax, in actu inverecundum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ipſa namque corporis ſpecies ſimulacrum fuit mentis, figura probitatis. Creſcit enim virtus à teneris, & ipſis etiam maturioribus perficitur

ficitur annis: Doctrina ità virtuti conjuncta, & altera alterius veſtigia premens, brevì in decretis, & Theologia Magiſtrum efformavit. Trium facultatum gradibus in *Philoſophia Magiſterio*, in *ſacrâ paginâ* & *decretis doctoratu* inſignitum, vetus habet inſcriptio (bb). Verúmtamen ſentire quodammodo tacitam lectoris admirationem hoc loco videor - , quare non ex ipſis potiùs Archivi *Carolinæ Univerſitatis* regeſtis Academicorum honorum teſtimonia deſumpta producam? At fatendum caſsô labore deſuper inſudatum fuiſſe, quibusdam ævi incuriam, aliis ſubſequentium hæreſum nefandam rabiem incuſantibus. In varia adeò adminicula actus ſollicitè circumſpexi - quis in tenebris manum porrigeret? Et ecce ſubitò

(bb) Wenc. Macar. in vit. S. Joan. fol. 7.

- - - *Alto ſe gurgite tollunt*
Solis equi, lucémque elatis naribus efflant.

Incidi fortuitò in librum primum Erectionum, ut quæ ex uſu forent, annotarem, & deprehendi *Arneſti primi Archi - Epiſcopi Pragenſis* litteras. (cc)

(cc) Lib. 1. Erect. fol. 11. lit. marg. c. 2.

9. *FORMA LICENTIATUS IN DIVERSIS FACULTATIBUS.* „ Arneſtus DEI „& S. Apoſtolicæ ſedis gratiâ S. „Pragenſis Eccleſiæ Archi - Epiſco- „pus, ac venerabilis Univerſitatis „ſtudentium, ſtudii Pragenſis Can- „cellarius. Decet & expedit, ut „illi, qui per acquiſitionem ſcien- „tiarum, multis laboribus utiliter in- „ſudârunt, ſpecialibus honoribus „præferantur. Hinc eſt, quòd „cùm Honorabilis Vir Henricus „Joannes dictus Strubonius de Li- „bicz Olomucenſis Diœceſis per „cæteros SS. Theologiæ Profeſſo- „res, & Magiſtros in artium libera- „lium facultate peritos, per nos „ſpecialiter deputatos ſit debito, „& rigoroſô examine prævió reper- „tus ſufficiens, decore Magiſterii „ſeptem artium liberalium honeſta- „ri. Idcircò nos ipſius ſufficien- „tiam & virtutum merita complu- „rima attendentes, ipſum in aula „noſtra Archi - Epiſcopali Pragen- „ſi ſolemniter, Magiſterii hujus- „modi honore, per conſueta inſi- „gnia cum debitis ſolemnitatibus in „talibus obſervari conſuetis, primo „loco duximus decorandum, dan- „tes & concedentes, eidem autori- „tate Cancellariatûs noſtri plenam „ac liberam facultatem in Cathe- „dra Magiſtrali liberalium artium „ex ſtudio Pragenſi, & aliàs ubique „locorum legendi & quoslibet „actus faciendi & exercendi Magi- „ſtrales. Sub majori Sigillo. „Datum Pragæ Annô Domini 1359. „die 12. Junii.

Ex quibus literis colligo - ſequentia 1. *Arneſtum Archi-Epiſcopum primum Univerſitatis Pragenſis Cancellarium* ad majorem ejusdem erectæ gloriam animandámque ad literarum progreſſus tam exteram quàm domeſticam juventutem, academicorum graduum honores, præmiſsô Profeſſorum examine ſuper candidatorum idoneitate in reſidentia ſua Archi - Epiſcopali (quæ è regione *domûs Saxonicæ* propè turrim pontis *micro - Pragæ* ſita erat) per ſemetipſum & nullâ factâ delegatione ſolemniter contuliſſe.

2. Pariformiter *Joannem Nepomucenum* eodem tempore ſtudia juris Canonici & Theologiæ abſolventem, ab *Arneſto* Archi - Epiſcopo ad earundem facultatum gradus in memorata reſidentia Archi - Epiſcopali circà annum Domini 1356. aut ſequentem, ritu conſuetô promotum fuiſſe. Quod verò *Arneſtus* non ſolùm in *Philoſophia* ſed *Medicina*, *Jure* & *Theologia* gradus taliter primis illis Univerſitatis annis contulerit. Ex rubrica literarum intelligitur, quæ generaliter ſonat: *forma Licenciatûs in diverſis facultatibus.*

3. Mirum

3. Mirum non eſſe in Univerſitatis memoriis nihil de *Joannis Nepomuceni* promotionibus reperiri, dum hi actus ab ipſo Archi-Epiſcopo facti, in Regeſtis potiùs Archi-Epiſcopalis Curiæ, & Protocollis Cancellariatûs, quàm Univerſitatis libris annotati videntur. Hoc ità usque ad Annum 1366. (à quo anno codex membraneus facultatis Philoſophicæ (dd) graduatos continens, & aliarum faculatum conſignationes initium ſuum ſumere dicuntur) perduravit. Proinde ante hoc tempus in Actis Carolini promotorum nulla memoria habetur, ſed ſequenti demum tempore, quo Archi - Epiſcopus *Joannes* de *Wlaſſim ſecundus Cancellarius Univerſitatis* munus ſuum delegare ſolebat Magiſtrorum, & Baccalaureorum nomina in libros Univerſitatis ingraſſata inveniuntur. Nec tamen eorum etiam ampliùs, quos *Arneſtus* Archi-Epiſcopus graduaverat, præter quorundam *lib.* 1. *Erect.* Inſertorum annotatio ſupereſt, Archi-Epiſcopali Archivô, & tota illa curiâ Annô 1419. buſtuariis *Ziſcæ* flammis in cinerem actis. Si prætexueris, quare non etiam *Joanneæ* promotionis literæ, ut præcedentes in Erectionum libris oſtendantur?

(dd) Glor. Univerſ. Carolo. Ferd. Prag. Encom. 26.

℞. 1. *Libros Erectionum* Annô 1358. à die 24. *Menſis Jul.* & adeò poſt *Joannis* graduationem, quæ annô unô, aut alterô ante jam contigerat ex Mandato *Arnèſti* Archi-Epiſcopi & conſenſu *Caroli IV.* Imperatoris ad ſimilitudinem tabularum Regni in ſpiritualibus cauſis primùm inchoatos fuiſſe.

2. Non omnes promotionum ab *Arneſto* factarum eſſe literas ingroſſatas ſed unius & alterius ſolùm ut per modum formularis eſſent, & memoria poſteris remaneret, qualiter in ſimili ſtylus Curiæ Archi-Epiſcopalis fuerit obſervatus. Et ità caliginoſam antiquitatis nebulam tollimus lucémque vitæ geſtis injicimus.

NO-

NOTÆ IN CAPUT IV.

UT *ab eo tempore literarii ludi.* An ante *Cyrilli* & *Methudii* adventum homines *Boemiæ* literis uſi fuerint? quidam dubitant. Ego negantibus facilius accedo - . *Bojemi* enim idololatræ, armis innutriti, prædis deditι, literarum ſtudia nullatenus curabant: *non erat* (ait *Coſmas* in *Chron. Boem.*) *illo in tempore, qui ſtylo eorum* (videlicet Principum gentilium *Bojemiæ*) „ acta commendaret „memoriæ, quia ventri & ſomno „dediti, inculti, & indocti aſſimi„lati ſunt pecori, quibus profecto „ (adjungit ex *Saluſtio de bell. Catil.*) *contra naturam corpus voluptati, anima fuit oneri.* Pari modô *Pulkava Hiſt. Boj. fol.* 10. *Iſti* (ait) *omnes* (videlicet gentiles duces) *in pace rexerunt terram Boemiæ, nec inveniuntur in cronicis acta eorum quæcunque magnalia conſcripta.* His concordat *Jaroslaus* quondam *Canonicus Pragenſis fol. ult.* ſui chronici, ubi de origine *Slavorum* in *Boemia* tractat. Et demum primus, & adeò vetuſtiſſimus *Böemiæ* Scriptor *Chriſtannus* de *Skala* filius *Boleslai I Ord. S. Bened.* in vita *S. Ludmillæ* dedicata poſt annum Chriſti 979. *S. Adalberto Epiſcopo Pragenſi* MS. in membraneo *Cod. Biblioth. Capit. Prag. fol.* 1. narrat: „ At verò „hommes Boëmi ipſo ſub Arcturo „ poſiti, cultibus idololatriæ dedeti, „ velut equus infrenis ſine lege, ſine „ ullo principe, vel rectore, vel urbe, „ uti bruta animalia ſparſim vagan„tes, terram ſolam incolebant. Tan„dem peſtilentiæ cladibus attriti, „ quandam Pythoniſſam, ùt fama fer„tur, adeunt poſtulantes ſpecie Con„ſilii, reſponsúmque divinationis. „Quo accepto, Civitatem ſta„tuunt, noménque imponunt Pra„gam, poſt hinc inventô quodam „ſagaciſſimô, atque prudentiſſimô „viro, cui tantùm agriculturæ offi„cium erat, reſponſione Pythoniſ„ſæ, Principem ſeu Gubernatorem „ſibi ſtatuunt, vocitatum cogno„mine Przemysl junctâ ei in matri„monio ſupra memoratâ Pytho„niſsâ Virgine, ſicque à clade & „multiplici peſte tandem eruti, de„hinc â ſuprà memorato Principe, „ex Sobole ejus Rectores ſeu Du„ces impoſuêre ſibi ſervientes Dæ„moniorum ſimulacris, & profa„nis ſacrificiorum ritibus bacchan„tes, donec ad extremum domina„tus ejusdem Regni pervenit ad „unum, ex iiſdem Principibus or„tum vocitatum Borzivvoy. „ Hæc *Chriſtannus.* Quo nemo meliùs gentis ſuæ originem noſcere potuit, utpote ex regio ſanguine natus & vicinus eorum temporum. Quòd igitur *Cyrillus:* & *Methodius* literarum uſum primus *Slavos* docuerit: teſtatur itidem *Chriſtannus loc. cit.* „ Siqui„dem Quirillus quidam natione „græcus, tam latinis quàm ipſis „græcorum apicibus inſtructus, „poſtquam Bulgari crediderant, ag„greſſus eſt in Nomine SS. Trinita„tis, ac individuæ Unitatis, etiam „ſupra dictæ genti Moraviæ degen„ti, fidem Domini noſtri JESU „Chriſti prædicare & cooperante „gratiâ divinâ poſtquàm Chriſto „illos lucratus erat, etiam apices „& charactéres novos comperit, „& vetus novúmque teſtamentum, „pleráque alia de græco, ſeu latino „ſermone Slavonicam in linguam „tranſtulit. „ Et adſtipulatur antiquiſſima membrana *de converſione Bajoariorum, & Carenthanorum ad fidem Chriſtianam & de Juvavienſis ſive Salisburgenſis Eccleſiæ origine & diœceſi* ſcri-

pta circà Annum Domini 858. Edita à *Marquardo Frehero* inter *Rerum Boëmicarum* ſcriptores 1602. poſteaquam narraſſet qualiter *Primina Slavus* exulatus à *Maymaro* duce *Moravorum* Chriſtianus factus fuiſſet, atque is aliquam inferioris *Pannoniæ* in beneficium partem à Rege *Ludovico Bajariorum* circà fluvium qui dicitur *Sava* accepiſſet, ubi *Luitpramus Archi Epiſcopus Salaburgenſis* miniſterium Sacerdotale poteſtativè circa Annum Domini 850. exercuit. *Tunc*, inquit, „ dedit Prinnina „Presbyterum ſuum nomine Do„minicum in manus, & poteſtatem „Luitprami Archi-Epiſcopi, & „Luitpramus illi Presbytero licen„tiam conceſſit in ſua Diæceſi miſ„ſam canendi, commendans illi „Eccleſiam illam, & populum il„lum procurandum, ſicut ordo „Presbyteratûs expoſcit. Et infrà: „Poſt obitum Dominici Presbyteri, „Sunarnagel Presbyter, ac præcla„rus Doctor illuc miſſus eſt cum „Diacono & Clericis. Poſt illum „verò Alifridum Presbyterum & „Magiſtrum cujúsque artis Luitpra„mus direxit.

„Adalvinus Succeſſor Luitpra„mi Archi-Presbyterum ibi conſti„tuit commendans illi claves Eccle„ſiæ, curámque poſt illum totius „populi gerendam. Similiterque „eo defuncto Richpaldum conſti„tuit Archi-Presbyterum, qui mul„tùm tempus ibi demoratus exer„cens ſuum poteſtativè officium ſi„cut illi injunxit Archi-Epiſcopus „ſuus, usque dum quidam GRÆ„CUS METHODIUS NOMI„NE, NOVITER INVENTIS „SLAVINIS LITERIS, linguam „latinam doctrinámque Romanam, „atque literas auctorabiles latinas „Philoſophicè ſuperducens, vile„ſcere fecit cuncto populo ex par„te Miſſas & Evangelia, Eccleſia„ſticúmque officium illorum, qui „hoc latinè celebraverunt. Quod „ille ferre non valens ſedem repeti„vit Ivavenſem. „ Hæc ibi. Ex quibus clarè diſpicitur quòd ante *Cyrilli* & *Methodii* tempora, literarum uſus inter *Slavos* non extiterit, ſed quòd *Cyrillus*, & *Methodius* earum primi fint auctores licèt non item Chriſtianæ fidei. Dico - *non item fidei Chriſtianæ*; quia jam ante eorundem adventum illæ *Slavicæ* nationis gentes, quæ *Moraviam* & *Bojemiam* incoluerant Chriſtianæ fidei principia â *Ivvavenſibus* ſeu *Salzburgenſibus* Archi-Epiſcopis, & aliis vicinis perceperant. Ut ab antiquitate omni dilucidè deducit *Joannes Georgius Stredovvsky* Parochus *Pavvlovicenſis* in *ſacra Moravia Hiſtoria lib.* 1. *cap.* 9. *& ſequent.* *Atque vel hinc agnoſcere liceat* (rectè deprædicat *Thomas Peſſina in Phoſpho. Rad.* 3. *fol.* 118. „quid inclytæ nationi germanicæ „præſertim Francis, Bavarisque „debeamus, qui nobis ambulanti„bus in tenebris primam lucis æter„næ viam aperuerunt verique Dei „cultu commonſtrato, barbariem „generi noſtro deterſerunt li„teras apoſtolicas dedit. „ Has literas cùm de ſtudio *Pragenſi*, & *Cancellariatu Archi-Epiſcopi* plura notatu digna contineant & eas tam *Raynaldus* in *Annal. Eccleſ. Tom. XVI* quàm etiam *Balbinus* in *Arneſto cap.* 9. *pag.* 147. mutilè referant, ex antiquo membraneo copiario *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* huc inſero.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI AD PERPETUAM REI MEMORIAM. „In ſuprema digni„tatis Apoſtolicæ ſpecula, Quan„quam inſufficientibus meritis divi„næ diſpenſationis munere conſti„tuti, ad univerſas fidelium regio„nes, earúmque profectus & com„moda, tanquam univerſalis domi„nici gregis paſtor, commiſſæ no„bis ſpeculationis aciem quantum „nobis ex alto permittitur, exten„dentes, fidelibus ipſis ad quæren„da literarum ſtudia, per quæ divi-

„ni Numinis ſanctæque Catholicæ „fidei cultus protenditur, juſtitia „colitur, tam publica, quàm pri- „vata res utiliter geritur, omníſque „proſperitas humanæ conditionis „augetur, gratioſos libenter favo- „res impendimus, & opportunæ „commoditatis auxilia impertimur. „Nuper ſiquidem pro parte chariſ- „ſimi in Chriſto filii noſtri Caroli „Regis Romanorum illuſtris nobis „expoſito, quòd in ſuo regno Bo- „jemiæ, multíſque aliis eidem Re- „gno finitimis regionibus, atque „terris Generale ſtudium, quod in „illis partibus ſummè foret expe- „diens, non haberetur, quódque „metropolitica Pragenſis Civitas in „ipſius Regni medio loco, quam „ſaluberrimo ſita, & à diverſarum „partium gentibus frequentata, ac „in victualibus, aliíſque vitæ neceſ- „ſariis copioſo, ad hujuſmodi ge- „nerale regendum, dum particula- „re dudum in ea fuit ſtudium, ac- „commoda multùm exiſtat. Nos „conſiderantes eximiam devotio- „nis & fidei puritatem, quam tam „ipſe Carolus & Prædeceſſores ſui „Boemiæ Reges, quàm ejuſmodi „Regni incolæ, ad ſanctam Eccle- „ſiam Romanam geſſiſſe, ac ipſi „Carolus Rex & incolæ gerere di- „gnoſcuntur, ferventi deſiderio „ducimus, ut Regnum ipſum, „quod divina bonitas multitudine „populi rerúmque copia prædota- „vit, fiat literarum fertilitate fœ- „cundum, ac in eo quemadmo- „dum auri & argenti fore dignoſci- „tur, ſic ſcientiarum prævalen- „tium ſit abundantia, ut Viros pro- „ducat conſilii maturitate conſpi- „cuos, virtutum redimitos ornati- „bus, ac facultatum dogmatibus „eruditos, ſítque ibi fons irriguus, „de cujus plenitudine hauriant uni- „verſi literalibus cupientes imbui „dogmatibus. His igitur omni- „bus, & præſertim amœnitatibus „civitatis ad hujuſmodi univerſale, „non ſolùm præmiſſorum ejuſdem „regni & regionum circumjacenti- „um incolarum, ſed etiam aliorum, „qui de diverſis mundi partibus, ad „eandem confluent civitatem, com- „modum, & profectum, paternis „affectibus anhelantes, dicti Regis „ſupplicationibus inclinati de fra- „trum noſtrorum conſilio Apoſto- „licâ autoritate ſtatuimus, ut in di- „cta civitate Pragenſi perpetuis fu- „turis temporibus ſtudium genera- „le vigeat, in qualibet licita facul- „tate, & quòd legentes & ſtuden- „tes ibidem, omnibus privilegiis „libertatibus, & communitatibus „conceſſis Doctoribus, legentibus, „& ſtudentibus, commorantibus „in ſtudio generali gaudeant & „utantur: quódque illi qui ſucceſ- „ſu temporis ſcientiæ margaritam „fuerint in illa facultate, in qua ſta- „duerint, aſſecuti, ſibíque docen- „di licentiam ùt alios erudire va- „leant, ac magiſterii honorem ſeu „titulum petierint impertiri, per „magiſtros ſeu magiſtrum illius fa- „cultatis, in qua examinatio fuerit „facienda, Archi-Epiſcopo Pra- „genſi, qui eſt, pro tempore præ- „ſententur. Idem quoque Archi- „Epiſcopus Doctoribus & Magi- „ſtris in eadem facultate inibi actu „regentibus, convocatis, illos in „iis quæ promovendis ad doctora- „tus ſeu magiſterii honorem requi- „runtur per ſe vel alium, juxtà mo- „dum & conſuetudinem, quæ ſu- „per talibus in generalibus ſtudiis „obſervantur, examinare ſtudeat „diligenter, eíſque ſi ad hoc ſuffi- „cientes & idonei fuerint, hujus- „modi licentiam tribuat, ac hono- „rem, ſeu titulum conferant ma- „giſtralem. Illi verò qui in eodem „ſtudio dictæ civitatis examinati & „approbati fuerint, ac docendi li- „centiam, & honorem, ſeu titu- „lum magiſterii obtinuerint, ùt eſt „dictum, ex tunc abſque examine „& approbatione alia regendi, & „docendi tam in civitate prædicta, „quam alibi ubicunque, quibus- cunque

„cunque tam dictæ Civitatis, quàm „quorumlibet aliorum locorum, „ſeu generalium ſtudiorum, in qui- „bus voluerint regere, vel docere „ſtatutis, & conſuetudinibus con- „trariis Apoſtolicâ vel quacunque „firmitate vallatis, nequaquam „obſtantibus, plenam & liberam „habeant facultatem. Nulli ergò „hominum &c. Datum Avenione „7. Kal. Febr. Anno 5. „ Hacte- nus Bulla quæ data eſt Anno 1347. *die* 15. *Januarii.* *Carolus dein ſub Aureæ Bullæ typario.* Exemplar, cujus originale in Archivis *Univerſitatis Pragenæ*, ac *Capituli Metropolitani*, unde hæc deſcribo - , aſſervatur, ità ſonat.

CAROLUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS ET BOHEMIÆ REX AD PERPETUAM REI MEMORIAM. „Inter deſiderabilia cordis noſtri, „& quæ cogitationi Regali jugiter „occurrunt, animi præcipua reddimur anxietate ſollicitì, ſpecia- „liter convertentes aciem mentis „noſtræ, qualiter regnum noſtrum „Bohemiæ (quod præ cæteris hæ- „reditariis, aut omnis fortunæ ac- „quiſitionis honoribus & poſſeſſio- „nibus prærogativa mentis affe- „ctione conplectimur) cujus ex- „altationem omni qua poſſumus „diligentiâ procurantes ipſius ho- „nori intendimus totis conatibus „& ſaluti. Sicut rerum victua- „lium ad diſpenſationem Divini „Nominis naturâ profluente tripu- „diat, ſic ad noſtræ proviſionis „edictum prudentum virorum co- „piam noſtris artificialiter tempori- „bus decoretur. Ut fideles noſtri „Regnicolæ qui ſcientiarum fru- „ctus indeſinenter eſuriunt, per „aliena mendicare ſuffragia non „coacti, paratam ſibi in regno „menſam propinationis inveniant, „& quos ingeniorum naturæ ſubti- „litas ad conſilia reddit conſpicuos, „literarum ſcientia faciat eruditos, „nec ſolùm compellentur, aut ſu- „pervacuum reputent ad inveſti- „gandas gyrum terræ ſcientias cir- „cuire, nationes expetere peregri- „nas, aut ut ipſorum aviditatibus „ſatisfiat, in alienis regionibus „mendicare: ſed glorioſum æſti- „ment extraneos, alios ad ſuavita- „tem odoris, & gratitudinis hujus- „modi participium evocare. Sanè „ut tam ſalubris & laudabilis animi „conceptio pariat fructus dignos, „Regni ipſius faſtigia tripudialibus „novitatis volentes primitiis au- „gmentari, in noſtra metropolita- „na, & amœniſſimâ Civitate Pra- „genſi, quam terrenæ fertilitatis „fæcunditas, & plenitudine rerum „amœnitas localis reddunt utiliter „tanto negotio congruentem, in- „ſtituendum ordinandum, & de „novo creandum, conſueta utique „deliberatione prævia duximus ſtu- „dium generale. In quo ſiquidem „ſtudio Doctores, Magiſtri & „Scholares erunt in qualibet facul- „tate, quibus bona magnifica pro- „mittimus, & iis, quos dignos vi- „debimus regalia dona confere- „mus. Omnes & ſingulos Docto- „res, Magiſtros & Scholares in „profeſſione, & qualibet facultate, „ac undecunque venerint, venien- „do, morando, & redeundo, ſub „noſtræ Majeſtatis ſpeciali prote- „ctione, & ſalvaquardia retinentes, „firmam ſingulis fiduciam oblaturi, „quod privilegia, immunitates & „libertates omnes, quibus tam in „Pariſienſi quàm Bononienſi, ſtu- „diis Doctores & Scholares autho- „ritate regiâ uti, & gaudere ſunt „ſoliti, omnibus & ſingulis illuc ac- „cedere volentibus liberaliter im- „pertimur, & faciemus ab omni- „bus & ſingulis inviolabiliter obſer- „vari. In quorum omnium teſti- „monium, & ad certitudinem ple- „niorem præſentes fieri juſſimus & „Bullâ aureâ, typario noſtræ Ma-

jeſtatis

„ jeſtatis impreſsâ præcepimus com-„ muniri. Datum Pragæ Annô „ 1348. Indict. 1. Sept. Idus Aprilis „ Regnorum noſtrorum Annô ſe-„ ſecundô. „ Ad finem membranæ in ſericeo rubroflavi, & viridis coloris funiculo pendet *Bulla Aurea*, cujus una facies *Carolum* ſceptrô, pomô, & diademate exornatum cum circulari inſciptione: *Carolus Dei gratiâ Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Rex Bohemiæ.* Altera verò facies *portam Urbis* cum duabus turribus exhibet, intra quam legitur:

Aurea Roma.

In circumferentia.

Roma caput mundi regit orbis fræna rotundi.

Hìc refutantur: *Miechovius lib.* 4. *hiſtor. Polon. cap.* 21. *Bucholcerus Indic. Chonol. fol.* 575. & alii hos ſequentes, qui tempus conditæ *Univerſitatis Pragenæ* reponunt ad Annum Domini 1361. item 1370. Refutatur etiam *Adamus Huber* à *Riſenbach* ſectæ Huſſiticæ Artium & Medicinæ in Academia Pragenſi Doctor & Profeſſor, qui in programmate die 13. *Januarii* An. 1612. publicato (vide *Bohuslaum Mathiam Piczinsky* in programmatis *Academiæ Pragenſis* Anno 1616. *Pragæ* typis *Joannis Strzibnsky* editis) ait: „ Regnum „ hoc Bohemiæ feliciter fuit funda-„ tum Annô Chriſti 1086. Junii 15. „ die hora 19. cùm dimidiam perio-„ dum ſuam attigiſſet, quæ eſt an-„ norum 250. mirificè effloruit, & „ nominis celebritate inſignem ac-„ cepit ex liberali fundatione hujus „ Academiæ à Carolo IV. Impera-„ tore & Rege Bohemiæ ſuſcepta: „ quam Clemens Papa VI. Anno „ 1346. Januarii 25. hora 21. minu-„ to 42. confirmavit & univerſitas „ ipſa deliberatô animô & propitiô „ admodum cælô ſtudia inchoavit „ Anno Chriſti 1347. die 6. Aprilis „ hora 21. minuto 34. „ Conſtat ex ante relata bulla *Clementis VI.* confirmatæ *Univerſitatis Pragenæ* non Annum 1346. ſed ſequentem fuiſſe. Studia inchoata ſunt Annô 1348. Prædicti Auctores decepti videntur ab inſignibus incrementis, quæ univerſitas eo tempore accepit, dum plura Collegia à *Carolo IV.* fundata & ab aliis Benefactoribus præbendæ Magiſtrales inauctæ fuiſſent.

Nullibi penuria. De hac DEI benedictione plurima habemus exempla in hiſtoriis Regum veteris ac novi Teſtamenti. Ecquis inter Reges *Juda* felicior fuit in omni benedictione quàm *David*, *Salomon*, *Joſaphat*, *Ezechias* & *Joſias*? & omnes fuêre quàm religioſiſſimi, maximos in cultum DEI ſumptus expendentes. In novo pariter teſtamento feliciſſimi fuêre Imperatores *Conſtantinus magnus*, *Thedoſius major*, *Juſtinianus I. Carolus magnus*, *Ludovicus Pius*, *Otto I. Henricus I.* Qui omnes iterum ingentes fecêre impenſas, ad ampliandum, & exornandum cultum divinum, dante Domino deinde benedictionem iis longè abundatiorem, quàm Anteceſſoribus & Succeſſoribus eorum, qui circà cultum DEI aut negligentes, aut planè ſacrilegi extitêre. Non aliter *Carolo IV.* Imperatori & Regi *Boëmiæ* contigit, qui, quò plus in cultum divinum erogaverat, eò magìs DEI benignitate omni opum vi, fortunæque indulgentiâ & rerum proſperitate abundavit. Quis immenſas illas è fodinis *Cuthnæ*, & *Giloviæ* auri, & argenti opes enarrabit? quos ùt plurimùm in ſacras fundationes, ſacerdotia, & reliquiarum ornatum pius Imperator expendit. Denique jam olim Dominus *Malach.* 3. *v.* 10. ſinceris cultoribus ſuis adpromiſit: *Inferte*, ait, *omnem decimam in horreum*, & *ſit cibus in domo mea*, & *probate me ſuper hoc*, *dicit Dominus*, *ſi non aperuero vobis cataractas cæli*, & *effudero vobis benedictionem*, *usque ad abundantiam. Et increpabo pro vobis devo-*

K *rantem*

vantem & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. At æræ noſtræ ætatis Politici (vide inſtructiones ſcretiſſimas *Friderico V. Comiti Palatino*, & Pſeudo-Regi Boëmiæ à ſuo Præfecto 1620. datas) *Calvini Lutheríque* ſapientiâ turgidi ſaniora longè, ſalubrioráque Principibus ſuis ſuppeditant conſilia. Sacerdotes uxore, prolibúsque carentes pecuniis audacter eſſe emungendos, Eccleſiarum theſauros utpote in abdito ſinè reipublicæ emolumento delitefcentes ad ſubſidia ærarii Principalis ſinè reluctamine protrahendos, fundos denique immobiles à manibus mortuis viis, modíſque omnibus arcendos. Et quid poſt hæc? inter innumeras pecuniarum corraſiones, Principes perpetuò ſunt egentes, in rebus expediendis ſinè benedictione, in expeditis ſinè fructu. Sic vidimus in *Friderico* illo Palatino, cui data ſunt hæc conſilia. Et ſi antiquiora non faſtidimus Annô Domini 1187. *Fridericus* Dux *Boemiæ* aulico ſuo, nomine *Habrovvecz*, ſervitia antiqua alleganti, petentíque recompenſationem pagum *Svvrcovvicze* ad *Eccleſiam collegiatam Wiſſehradenſem* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* de jure ſpectantem in uſumfructum conceſſit. Et ecce - quadam nocte *S. Petrus* eidem duci apparuit, & dixit: *qua audacia pagum Eccleſiæ meæ, homini illi nauci conceſſiſti*? Dux, cùm non ſecùs, ac ante in alienatione perſiſteret, & monitionem velut ſomni phantaſma, aulicorum perſuaſione contemneret, alterâ vice *S. Petrus* ad lectum Ducis acceſſit, & eum è ſomno excitatum duriſſimè flagellavit, & plures vibices inflixit, rurſus adjiciendo, ut pagum Eccleſiæ reſtitueret. Poſt hæc demum illicò non modò pagum Dux Eccleſiæ cum pluribus aliis donis, & gratiis reſtituit, verùm & pro æterna hujus rei memoria *Capitulo Wiſſehradenſi* ſigillum minus, in quo ſua per *S. Petrum* in lecto flagellati effigies usque hodie cernitur, conſtituit. Literas quoque membraneas ducalî ſigillô roboratas expediri fecit, quibus præter donationem *Hlavva, Hnarod, Svvod*, & alia conceſſa *Eccleſiæ Wiſſehradenſi* privilegia in fine flagellationem ſuam clarè fatetur taliter concludendo:



Ego

EGo Fridericus gratias ago tibi Beatiſſime Petre, qui vigilantiùs ut intenderem, ad hujus me honorem Eccleſiæ per ſoporem viſitando, ſenſibiliter etiam commonere dignatus es. Annô Dominicæ incarnationis 1187. Indictione ſecunda. Epactâ 9. concurrente III. ſecundo die Menſis May. Facta ſunt autem hæc ſub his teſtibus: Henrico Venerabili Pragenſi Epiſcopo, Przemysl, & Wladislao fratribus meis, Floriano Præpoſito Wiſſehradenſi, Radoſta Præpoſito Litomericenſi: Alexandro Pragenſi Magiſtro & Cancellario. Capellanis Laurentio, Slava, Stankone, Ottone, Petro, Bohuslao, Rapatone, Odoleno, Letkone, Supanis, Blahone, Læthanio tunc Camerario, Joanne Judrce, Mathæo Dapifero, Sezyma pincerna, Henrico Agazone, Ratibore Caſtellano Wiſſehradenſi, Velis Caſtellano Pragenſi, Boguta Caſtellano de Bilina, Stephano & Georgio Caſtellanis de Netolicz. Slavibor, Prædota, Hermanno, Marquardo, Driczlao, cum fratre Rucz, Diviſs Subcamerario, Trojano, Budivvogio, Kluſna, Kojata, Cunone, Carolo, Reinero, Stephano, Romano. Datæ per manum Alexandri Magiſtri Pragenſis, & Cancellarii.

Hæc ex authentico (ùt juris practici loquuntur) *vidimus* Regis, *Wenceslai IV.* Boemorum, qui incipit: *Dilectis fidelibus. Annô Domini 1251. die 4. Junii* confecto, & ſigillô in cera viridi obfirmato, qui totum *Friderici* Ducis privilegium repetit, exſcripſi. Non minori Dei vindictâ percuſſus fuit *Joannes Rex Boemiæ* (ut autor coëtaneus *Beneſſius in Chron. Prag. lib.* 3. adnotat) dum maximis itinerum, bellorum haſtiludiorum impenſis obæratus, ad res Eccleſiæ convertiſſet animum. Nam poſtquam tentatâ foſſionibus tellure, in Eccleſia Metropolitana Pragenſi pecuniam ſed fruſtra quæſiviſſet, deinde verò duodecim ſtatuas Apoſtolorum Chriſti, ex puro argento ad magnitudinem humani corporis factas, & *Caroli* filii liberalitate nuper Eccleſiæ donatas rapi, & in pecunias diſflari juſſiſſet. Ex eo die *Joannes* Rex, cui ſæpius oculorum dolor antè moleſtus erat, admiſſis omnino tenebris excæcatus fuit, & nunquam poſteà lucem vidit. Ejus aulicus *Henricus de Altorff* ſcelerati conſilii autor, dum ſervum ſacrilegium exprobrantem verberat, enſe ab eodem confoſſus ante ſolis occaſum animam exhalavit. *Sigismundus* demum Imperator *Joannis* Regis nepos & *Caroli* filius, ultricem Domini manum peracerbè quoque ut priores ſenſit, quando Capitaneis, & eorum legionibus pro ſervandis Pragenis arcibus in ſtipendium dedit Clenodia *Eccleſiæ Pragenſis*, tumbámque

que S. Wenceslai, quæ ex puro auro confecta erat. At eô pariter tempore fluere omnia in deterius cum illo coepêre, & plurimis præliis à *Ziska* victus, & ex regno fugatus, decimô quintô annô elapsô ægrè in regni poſſeſſionem pervenit. *Joan. Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 5. fol.* 181. *&* 128. Pari DEI pœnâ ob expilatos Eccleſiarum theſauros *Henricum VIII.* Angliæ Regem punitum fuiſſe, notat ex Sandero *Euſebius Nierembergius S. J. Venen. & Antidot. ſtatûs Politici §. 3. fol. 29.* „Nam „(inquit) ùt habet Sanderus lib. „3. de Schiſmat. Anglic. cùm decima eorum portio, quæ Henricus „VIII. ex opulentiſſimis quibusvis „totius Regni Eccleſiis, eorúmque „bonis corraſſerat, ad avariſſimi cujusvis Euclionis ſatiandum animum ſuffeciſſet; hæc omnia tamen, tantum aberat, ut ad publici „boni emolumentum quidquam „conferrent; ut à regimine illic „Anglicano majora in dies tributa „imponi fuerit neceſſe. Ea tempeſtate Regum in Europa nullus, „neque Prœdeceſſorum aliquis „opulentior eſt repertus, tanta tamen poſt paulum egeſtate premebatur, ut plura tributa ac onera ſuis „imponere, quàm omnes alii Reges, quot quot 50. annorum ſpatio ſolium tenuerunt, unicus ille „ſit coactus. Nàm præter monetæ ingenti cum jactura adulterationem, illo ipſo anno, quò tantos „theſauros collegerat, inauditum „regno ſuo impoſuit tributum, dum „quivis fiſco Regio plus quam nonam bonorum ſuorum partem „perſolvere teneretur, idque ipſum „aliis annis fieri imperaret. Deinde ab omnibus mutui ad inſtar magnam pecuniæ vim popoſcit, annóque inſequenti, ad ingens donativum coëgit; nec hoc contentus argenti, & auri pretium adauxit, quod majori eidem, quàm „omnia ſupra dicta emolumento „fuit; huic adjunxit cuſam ex „adulterato auro argentóque monetam, unde ingentem pecuniæ cumulum congeſſit, atque ità legitimam monetam attrahendo, cudendo verò adulterinam, ingens „ſibi lucrum comparavit, omnes „hæ divitiæ in majorem Regni illius „pœnam in auras abierunt; unde „injunxit, ut quivis decimam, vel „duodecimam cenſuum ſuorum „partem, & ex bonis mobilibus decimam duplicatam perſolveret: „Demum eò delapſus eſt, ut omnes „hoſpitalium, Collegiorum, & „fundationum, pro defunctis reditus ſibi ſubjiceret, & de iis pro arbitrio ſuo diſponeret, ingentes „tamen hæ divitiæ regno illo ſublevando non ſufficiebant, quod „peccatis ſuiſmet apprimeretur. „Tantam ergò pecuniæ ſummam „communibus induotriis collectam, ad publici tamen boni emolumentum nihil conferre, non eſt, „quod malæ rerum adminiſtrationi, „aut miniſtorum incuriæ tribuamus. „Ut exhauſtus ærariis fine tamen „noſtro non potiamur, peccatis „hæc pœna debetur. *Hæc Nierembergius.* „ De *Alphonſo Ferdinandi* Regis *Hiſpaniarum* filio, *Arragoniorum* Regni apud *Neapolitanos* Conditore, narrat *Anton. Gratianus de caſib. Viror. Illuſt. fol.* 30. *Quin & ei (Alphonſo) ab domeſticorum uno narratum ajunt, adſtitiſſe ſibi Ferdinandi Patris umbram, præcepiſſéque minacibus verbis, nuntiaret filio, dimitteret defendendi Regni ſpem obſtare fata, deique decretum eſſe ut ejus ſtirps variis agitata caſibus funditus interiret: id cum ob alia injuſta facta, tum maximè ob illud quod Alphonſo impulſore Puteolis rediens in Leonardi fano perpetrâſſet. Id quale fuerit, nec ille edidit, nec Alphonſus prodere neceſſe habuit.* Denique non prætereundum & id, quod *Frider. Nauſea in Præcept. VII. Decalogi*, refert. Cùm *Fridericus I.* Imperator bellum gerens adverſus *Alexandrum III.* ſummumPontificem, pecuniâ careret, ſuaſu ſiniſtro *Petri de Vineis* Secretarii ſeu

Con-

Conſiliarii ſui, *Piſis*, ubi tunc Imperator erat, templorum ornamenta aurea, & argentea in uſum ſuum convertit; ſed mox ab ipſomet *Petro de Vineis* hanc amaram audiit exprobrationem. Injuriam abs te mihi illatam, dum ex invidia *Germanorum* me oculô privâſti, jam ultus ſum; tu tibi hominum odia comparâſti, ego tibi Deum ex ſacrilegio reddidi inimicum, omnia tibi deinceps evenient Siniſtra. Idque poſtea Anno 1124. reipſa factum eſt, non Imperator â Papa victus, miſerâ tandem morte interiit. Agmen claudat *D. Burgardus Hund* Electoris *Saxoniæ Joannis* Conſiliarius Aulicus, qui dicere ſolebat: *Nos de nobilitate bona Eccleſiaſtica inter bona noſtræ familiæ rapuimus, nunc autem bona Eccleſiaſtica devorârunt, & abſumpſerunt bona noſtræ familiæ, ut neque bona Eccleſiaſtica, neque bona familiæ amplius habeamus. Diſcurſ. Sympoſ. Luth.*

Hoſtium caſtra evertit.

Diſputationis hujus longè glorioſiſſimæ â *Canonicis Pragenſibus contra Rokiczanam* inſtitutæ (quam in Archivo *Capituli Metropolitani* manu propria *Hilarii* Decani ad librum in quarto conſcriptam legi - cum titulo: *Diſputatio Capituli S. Eccleſiæ Pragenſis cum Rokiczana de Huſſiticis controverſiis, habita per dies quinque Anno 1465. coram Gyrzikoneſeu Georgio Rege Boemiæ*) ex ore ipſorum Huſſitarum inſigniſſima prorſus fit mentio: nam in programmate publico (apud *Mathiam Giczinsky in Program. Academ. Prag.*) Anno 1611. *M. Joannes Campanus Vodnianus* Huſſita & Collegii omnium Sanctorum in *Academia Pragenſi* Præpoſitus adfert ſequentia: *Fatendum*, ait, *ſanè, gravem fuiſſe patriis Muſis bellonam, bellô Taboritarum. Totum enim decennium nulli fuerunt actus academici, nullæ promotiones, Annô præſertim 1427. quo academia privilegiis ſuis uti non potuit, & vix umbram ſui habuit, Rectore M. Chriſtanno Brachaticeno, & Petro de Mladionovicz Moravo Decano in carcerem compactis. Erat tamen tutus iisdem Hradecii Reginæ receptus, quo tanquam in portum ſe ſe recepêre. Fuit gravis illa quoque ſub Georgio Rege tempeſtas, cum Hilario Litomericeno, & Wenceslao Krzizianovio Moravo Theologiæ Doctoribus, & adverſarum copiarum ductoribus incentoribúsque belli, animorum, armorúmque diſſenſio in religionis, reíque literariæ incommoda redundavit. Nam tum quoque examina per motus ab apoſtatis excitatos fuêre impedimenta, &c.* tandem concludit, quod per hæc inteſtina prælia & vulnera â Patriotis inflicta, pars eorum videlicet hæretica, non ità ac ab externis armorum congreſſibus formidinem ſenſerit. Quidquid tandem ſit certè ipſe ſat clarè fatetur quòd poſt prædictam diſputationem non pauci *Huſſitæ* ad gremium *MatrisEccleſiæ* converſi fuerint, & propoſitam, intrepidéque propugnatam ab *Hilario* Decano, & *Wenceslao Krzizianovio*, in conſpectu Regis, & Procerum Catholicæ fidei veritatem, agnoſcentes, *Huſſo* vale fecerint.

Collegium è domò Lazari in Rottlevvi translatum.

In gratiam antiquitatis & decorem *Univerſitatis Carolinæ Pragenſis* translationis hujus literas, cùm plura ſcitu digna contineant, ex autenticis S. *Metropolitanæ Eccleſiæ* Erectionum libris, *lib.* 2. *lit. Margin. O. IV. fol.* 101. & 102. manu propriâ exſcriptas, hic ſubnecto - , quarum tenor eſt, ùt ſequitur: *URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI ARCHI-EPISCOPO PRAGENSI SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.*

„ Humilibus & honeſtis ſupplicantium votis libenter annuimus, & ea quæ ad utilitatem & profectum vacare cupientium ſtudio literarum, & præſertim Theo-

„logicæ Facultatis providè facta „ſunt, ut illibata perſiſtant, Apo„ſtolici libenter addimus munimi„nis firmitatem. Sanè petitio pro „parte chariſſimi in Chriſto Filii no„ſtri Wenceslai Romanorum, & „Bohemiæ Regis Illuſtris, nobis „nuper exhibita continebat, quòd „olim claræ memoriæ Carolus Ro„man. Imperator, & Bohemiæ „Rex ejusdem Wenceslai genitor, „tanquam Bohemiæ Rex duntaxat, „in Civitate Pragenſi, quæ princi„paliter Civitatis in Regno ſuo hoc „nomine exiſtebat, prout exiſtit, „& in qua ex Privilegio ſedis Apo„ſtolicæ ſpeciali vigebat, prout vi„get, ſtudium generale in qualibet „licita facultate de novo fundavit, „& ſufficienter fundavit quoddam „Collegium XII. Magiſtrorum, & „Scholarium in civitate, ac ſtudio „prædictis ſtudere debentium, Col„legium Caroli nuncupatum, & eis „habitationes idoneas aſſignavit, „& ut perſonæ ejusdem Collegii eò „magis vacare ſtudio delectaren„tur, quo ex hoc majora commoda „ſe ſperarent adipiſci, idem Caro„lus Imperator, & Rex inter cæte„ra ſtatuit, & ordinavit: quòd ad „Canonicatus & Præbendas Eccle„ſiæ omnium Sanctorum Capellæ „Regalis nuncupatæ, ſitæ in Caſtro „Pragenſi ad præſentationem Regis „Bohemiæ, qui eſt pro tempore „pertinentes, quotiescunque - ali„quem ex eis vacare contigerit nul„lus ad illos per Regem Bohemiæ, „qui eſt pro tempore præſentare„tur, nisì Magiſtrorum ſecundum „ſuæ receptionis ordinem de nu„mero Collegii ſupra dicti, & non„nulla alia ſtatuta, & ordinationes „circà hæc fecit.

„ Et ut ipſi Magiſtri & Schola„res ad hujusmodi Canonicatus & „Præbendas ſucceſſivè pro tempo„re admittendi divino cultui, ac „ſtudio commodiùs vacare poſſent, „quandam domum in dictaPragenſi „Civitate ſitam, & de Domino & „proprietate Regis Bohemiæ, qui „eſt pro tempore, & Regni prædi„cti exiſtentem, quæ quondam La„zari Judæi fuerat, eis donavit, „prout in patentibus literis prædicti „Caroli ſigillô munitis, ſuóque ſi„gno, ſeu charactere ſignatis ple„niùs dicitur contineri, quódque „poſtmodum felicis recordationis „Urbanus Papa V. Prædeceſſor no„ſter, ordinationes, & donationes „prædictas, quibusdam exceptis, „& excluſis ex certa ſcientia Autho„ritate Apoſtolica confirmavit ſup„plendo omnem defectum, ſi quis „interveniſſet in iisdem, proùt „etiam in ejusdem Prædeceſſoris li„teris inde confectis pleniùs dicitur „contineri.

„ Cum autem, ſicut eadem „petitio ſubjungebat idem Wen„ceslaus Rex attendens, quod di„cta Domus, quæ quondam Lazari „Judæi fuerat, præfatis Magiſtris „& Scholaribus non erat utilis nec „per omnia commoda, quandam „domum ſitam in Novo foro prædi„ctæ Civitatis Pragenſis, propè Ec„cleſiam Sancti Galli quam quon„dam Joannes Rottlev conſtruxit, „& DomusRottlevi vulgariter nun„cupatur, nomine meræ permuta„tionis, & Cambii rationabilis „cum omnibus ſuis finibus, & cir„cumſtantiis, prout ab aliis domi„bus ipſam contingentibus, eſt de„ſtinata, ac omnibus & ſingulis Ju„ribus, redditibus, oneribus, & „conſuetudinibus ad ipſam Domum „quondam Lazari Judæi habue„rant, inhabitaverant, & poſſe„derant, dictis Magiſtris & Schola„ribus donavit, & realiter aſſigna„vit, & dictum Collegium & di„ctos Magiſtros, ac Scholares, unà „cum omnibus juribus & redditi„bus, oneribus & conſuetudinibus „ad domum, quæ fuerat quondam „JoannisRottlevi realiter tranſtulit, „ac Privilegium per dictum Caro-

lum

„lum Genitorem ſuum conceſſum „in omnibus ſuis articulis, punctis „& clauſulis, animo deliberato, & „accedente ad id maturo conſilio „Principum, & Baronum dicti Re„gni approbavit, ratificavit, & in„novavit, ac ex certa ſua ſcientia, „& Authoritate Regia Boemiæ con„firmavit, proùt in diverſis paten„tibus literis inde confectis, & „ejusdem Wenceslai Regis Sigillô „munitis dicitur pleniùs contineri. „Quare pro parte ejusdem Regis „Nobis fuit humiliter ſupplicatum, „ut hujusmodi permutationem, do„nationem, aſſignationem, & „translationem, nec non approba„tionem, ratificationem, innova„tionem, & confirmationem per „ipſum Regem, ùt præfertur, fa„ctas, ratas, & gratas habere, il„lásque Authoritate Apoſtolica de „ſpeciali gratia ex certa ſcientia „confirmare dignaremur.

„Nos itáque de præmiſſis no„titiam non habentes, hujusmodi „ſupplicationibus inclinati, tuæ „Fraternitati, de qua in his, & aliis „ſpecialem in Domino fiduciam „obtinemus, per Apoſtolica ſcri„pta committimus, & mandamus, „quatenus ſi eſt ità, permutationem, „donationem, & aſſignationem „translationémque, nec non ap„probationem, ratificationem in„novationem & confirmationem „prædictas per eundem Regem, ùt „profertur factas, Authoritate „Apoſtolica ratifices & approbes & „confirmes.

„Datum ad Caſtrum Civita„tis Lutetiæ Chriſtianorum, quin„tô Idus Decembris, Pontificatus „noſtri. Annô VII.

Translatis tandem ex domo *Lazari* Magiſtratûs Academici inſigniis, præſtanti Bibliothecâ à *Carolo* donatâ, & cæteris Univerſitatis monumentis: Profeſſores, Baccalaurei, Magiſtri & Studentes innumeri ad domum *Rotlevvi* in novo foro antiquæ Civitatis Pragenſis ſe transtulerunt. Ubi hoc magnum Caroli auditorium in uſum Univerſitatis Pragenæ pro actibus videlicet diſputationum, & promotionum etiamnum perſiſtit. Ac hoc tempore è vetuſtatis ruinis peregregiè elevatur & reſtauratur.

Libros Erectionum &c. in ſimilitudinem tabularum Regni inchoatos fuiſſe. Cùm toties *librorum Erectionis* mentio recurrat operæ pretium eſt, quædam hìc de eorum inſtituto breviter commemorare. Et quoniam ad ſimilitudinem *tabularum Regni* inchoati ſunt, juvat & de his quæpiam digna ſubjungere. Sciendum igitur *Tabulas Regni*, nihil aliud eſſe, quàm Archivum publicum Regni *Boemiæ*, in quo ſub cura, & directione officialium Regni, monumenta publica actorum diætalium, reſcriptorum Regiorum, contractuum, & id genus ad libros ingroſſata aſſervantur. Ortum ſuum habuêre ſub *Joanne Lucemburgio* Rege *Boemiæ* Annô 1321. Quidam ponunt Annum 1319. ex ipſis tabularum fragminibus, quæ acta ſua non citiùs, ac Annô 1321. inchoant, veritas elucet. Sic enim in antiquo tabularum copiario, quod ab origine Annô 1321. usque ad Annum 1419. Dominos Barones judicio præſidentes enumerat, imprimis legimus.

PRIMO ZDISLAI
A. XXVII.

„In cauſa quæ vertitur inter „Wilhelmum de Strakonicz & „Hynkonem dictum Hlavvacz ar„bitrum &c. coram beneficiariis „Pragenſibus, & Baronibus, Al„berto de Lubieſſicz Camerario, „Ulrico de Ryczano Judice, Joan-

ne

„ ne Notario, Hynkone dicto Berga de Dubec, Henrico de Lichmberg, Ulrico dicto de Pluk Subcamerario, Hyncone de Pardubicz milite, Hynkone Hlavvacz, Sazema de Herſtein. Actum Annô Domini 1321. In Epiphania Domini.

„ Item ibidem in ſecunda cauſa inter Dominum Brzetislaum de Ryzemberg & Nechvvalum de Oſvvraczina &c. etiam arbitrum. Actum coram Domino Joanne Præpoſito Wiſſehradenſi Cancellario Regni Boemiæ Domino Henrico de Wilnovv, Alberto de Lubieſſicz Camerario, Ulrico de Ryczano Judice, Joanne Notario cæteriſque Pragenſibus Beneficiariis, & Baronibus, Hinkone dicto Berga de Duba, Henrico de Lichtmburg, Henrico dicto Pluk Subcamerario, Hinkone de Bardubicz milite. Hinkone Hlavvacz, Sazema de Herſtein. Annô Domini 1321. „ Tentârunt antea hujusmodi opus in regno erigere *Ottogarus*, & *Sobieslaus*, at ſolus perfecit *Joannes Lucemburgicus*. Depoſitæ fuêre primùm tabulæ propè cœnobium *S. Clementis* in *veteri comitio*, quæ domus ſita eſt è regione *Beatiſſimæ Virginis*, quam vocant *in Lacu*. At dein majoris ſecuritatis causâ à *Carolo IV.* translatæ fuerunt in domum, ſeu *aulam Regiam* ſitam poſt *Eccleſiam Teinenſem* propè *S. Benedictum*, ubi tamdiu aſſervabantur, quousque Huſſitarum bellis ardentibus in arcem Regiam munitiſſimam *Krzivoklad*, inde exortô ibidem Anno 1422. repentinô incendiô ambuſtæ, & mutilæ *Plſnam*, tandem rurſus in veterem ſedem *Aulæ Regiæ* translatæ fuiſſent. Rex *Wladislaus* (quem dein omnes Reges ſecuti ſunt) timore ſeditionum in Aula Regia veteris urbis habitare ceſſans; curiámque cum tribunalibus in arcem *S. Wenceslai* locans: etiam *tabulas Regni* An. videlicet 1512. die 4. *Decembris* ad *Caſtrum Pragenſe* majoris ſecuritatis gratiâ transferri mandavit. Annô demum 1541. in illo fatali *caſtri Pragenſis* incendio, plurimùm igne periêre, & vaſtatæ ſunt. Licèt quidem jacturam Rex *Ferdinandus I.* reconcinnare volens, novum Magiſtratum conſtituerit, qui in decennium ſequens annotarent omnia, quæcunque probari poſſent in tabulis prioribus inſcripta fuiſſe, ſed ut quisque videt, omnia reſtitui non potuerunt. Magna antiquarum tabularum Regni pars ad Arcem *Ambraſiam* penes *Ocniponttum* in *Tyrolim*, & *Bibliothecam Vindobonenſem* translata eſſe dicitur. Ab eo Anno 1541. usque ad modernum 1723. tabulas abſolutiſſimas habemus. Denique dum Gothicus mavors 1648. minorem *Pragam* noctu fraudulenter inſcendiſſet etiam tabulæ regni violentiæ hoſtili proximæ erant, & quaternionibus (ùt vocant) jam aliquot plauſtra in *Sueciam* avehenda, onerata fuêre. At Sancti Tutelares Regni miſerunt vindicem, dum in medium animosè proſiliit *Chriſtophorus Reinheld S. Metropolitan. Eccleſiæ Canonicus* & dein Decanus, perennî inde memoriâ digniſſimus, & aureâ ſuâ, quâ pollebat, eloquentiâ Præpoſitis militiæ perſuaſit, nè futilî prædâ vectores onerarent, & inutiles chartas patriæ ſuæ inferrent. His dictís moti à cæpto ceſſârunt, & ablata locis ſuis reſtituta, firmiùs clauſa fuêre. Hæc dum ita per occaſionem de *tabulis Regni* referre contenderem, inopinatè incidi in quoddam Manuſcriptum R. *P. Bohuslai Balbini S. J.* de rebus Bojemicis optimè meriti, quod nondum typis datum, titulum: *De Magiſtratibus, & officiis Regni Bojemiæ*, refert. Ibi de veteribus tabulis Regni notitiæ inſignes habentur, quas (nè incuriâ hominum intercidant) huc ſubjungere volui:

CA-

CAPUT V.

De Tabulis Regni Bojemiæ.

„TAbulæ Regni Bojemiæ, quaſi „faſtorum libri, theſaurus „Reipublicæ, fundamentum & pu„rum ſolum haberi debent, cui „omnes privatorum fortunæ inni„tuntur. Magnum prudentiâ vi„rum fuiſſe neceſſum eſt, quisquis ta„bulis conſignari omnia, & quandam „æternitatem rebus adjici primus „invenit, & in uſum deduxit. Jam „ſub Regibus Przemyſsloeis, non „tamen Gentilibus in corticibus ar„borum, ut quidam fabulantur, „ſed nominatim ſub Wenceslao ſe„cundo Rege ſcribebantur, ac Pri„mus Zdislai (ità codex appellatur) „ſub eo, & Joanne Rege ſcriptus „eſt. Joannes Rex in cœnobio „Prædicatorum ad S. Clementem „in vetere urbe tabulas Regni depo„ſuit, è regione Eccleſiæ B. Virgi„nis, quam dicimus in lacu, ubi „nunc S. Wenceslai contubernium „viſitur. Poſtea in curia, ſeu Au„la Regis poſt *TeinenſemBaſilicam* ſita, „quæ nunc in *Seminarium Archi-Epi„ſcopale Alumnorum Eccleſiaſticorum* „converſa eſt, diu ſervabantur. „Huſſiticis bellis ardentibus in Ar„cem Regiam, & munitiſſimam „Krzivvoklad avectæ. Exortô „ibidem An. 1422. repentinô in„cendiô ambuſtæ, & penè con„ſumptæ ſunt. Inde Plſnam vectæ, „non niſi bellis ſedatis loco ſuo, „& Regum curiæ in Antiqua Urbe „Pragenſi ſunt redditæ. Sub Wla„dislao Jagellonico Rege noſtro, „cùm frequentes ſeditiones & tu„multus Praga, multitudine popu„li laborans, moveret, & ſe & ta„bulas Regni Wladislaus An. 1512. „die 4. Decembris ad Arcem S. „Wenceslai tranſtulit, adeóque ob „plebis ſuæ petulantiam Regem, „Tabulas, Judicia, Tribunalia, „Comitia, Praga vetus amiſit, ut „meritò Hagekus & Welesladina „conqueruntur. Annis poſt hæc „non multis (videlicet An. 1541. „die 2. Junii) excitatô in quatuor „locis Pragæ & Parvæ Pragæ incen„diô ut de malitia hominum dubi„tare non poſſis, Tabulæ Regni „cum tota Arce Pragenſi & media „Urbe parva intra horæ non am„pliùs ſpatium conflagrârunt, ac „cæterarum quidem rerum jactura „(quarum pretium ad aliquot auri „myriades aſcendiſſe majores noſtri „tradiderunt) compenſari facilè „tempore potuit. Tabularum & „memoriarum omnium publica„rum, quas ignis conſumpſit, jactu„ra, nullâ unquam diligentiâ reſti„tui potuit. Quippe publicæ for„tunæ Dominorum, Equitum, „Civitatum, in iis notatæ ſerva„bantur, omnes Nobilitatis proba„tiones, omnes Magiſtratus conſi„gnati de nomine, unô verbô: „quidquid memoriâ dignum Majo„res eſſe putârunt, conflagravit. „Mederi huic damno Rex Ferdi„nandus voluit, & datô diplomate „ſanxit, nominatis ad hoc opus ex „omni ordine Viris Tabularum pe„ritiſſimis, ut proximô decenniô „quidquid ejusmodi haberent inco„læ Regni, quod notari conveni„ret, & illorum intereſſet, in no„vas, quas confici mandaverat, „Tabulas, referretur. Sed quis„que videt hanc novam inſcriptio„nem valde mutilam, & imperfe„ctam neceſſariò fuiſſe, tum quia „poſſeſſores fiduciâ tabularum mul„ta authentica ſcripta, negligentiâ „deperdiderant, tum quia antiquæ „memoriæ, mortuis; qui eas ex„citare, & renovare poterant, „cum iisdem majoribus noſtris ſunt „ſepultæ. Mihi vias omnes quæ„renti, bona felicitate magna tabu„larum antiquarum pars venit in „manum, quæ ex tabulario Regni „olim exſcriptæ, primum in Am„braſianam Arcem ad Oenipon„tem in Tirolenſi provincia ſitam, „poſteà Viennam in Bibliothecam

Weles-lavin. 4. Decemb.

MS. Kutt-nenſe.

Lupac. Kalendar. 4. Decemb.

„ſunt translatæ. Fateor deſtituun-„tur ea autoritate, quam Tabula-„rium Regni habuerat; at nihilomi-„nus memoriæ causâ digniſſimas „eſſe ſcitu, nemo antiquitatis æſti-„mator dubitabit. Sunt autem „Codices Ambraſiani Num. 309. „item 406. item num. 405. in Au-„guſta Bibliotheca Viennæ, quo-„rum Codicum copiam mihi fieri „juſſit Auguſtiſſimus Imperator „Leopoldus. Hi tres libri opta-„tiſſimi diligentiæ meæ acciderunt, „quia non modò veteres Regni Ta-„bulas, atque iis inſcriptas cauſas, „ſed etiam Procerum, & Judicum „Regni edicta & ſententias (quæ „Nalezovve Panßti dicebantur) „certis ſectionibus, ùt jam dicam, „diviſas, item Librum memoria-„rum, aliáque ad antiquitatis Boë-„micæ notitiam, ac præſertim no-„mina, domicilia, & officia Boe-„micae nobilitatis continent; ex-„cerpſi omnia, quaecunque lectiſ-„ſima viſa ſunt, ac ſini laboribus, „& lucubrationibus meis praefixe-„ram, congruere putavi, & quae „ſuis locis referam. Nunc autem „Tabularum, & ſcriptorum libro-„rum titulos adducam.

PRIMUS ZDISLAI codex ſub *Wenceslao II.* & *Joanne* Rege publicâ autoritate conſcriptus. Hoc codice, & his tabulis nihil antiquis *Boemia* in hoc genere (nam *Archivum Carlſteinenſe* ſemper excipio) habuiſſe videtur. Certè nullum Tabularum publicarum volumen vel in hac curioſitate mea vidi, quod *Wenceslai II.* & *Joannis* Regum tempora anteiret.

SECUNDUS ZDISLAI - - - ſub Rege *Joanne.*
TERTIUS ZDISLAI - - - - ſub *Carolo IV.* & per partem Regni *Wenceslai Caroli VI.* filii.

PRIMUS PROCOPII
PRIMUS NICOLAI
SECUNDUS NICOLAI
PRIMUS MAURITII
SECUNDUS MAURITII
PRIMUS STEPHANI
SECUNDUS WENCESLAI
TERTIUS WENCESLAI
QUARTUS WENCESLAI
— Hi codices continent edicta Judicum Regni. *Wenceslao Caroli IV.* filio regnante.

PRIMUS MATHIÆ
QUARTUS MATHIÆ
— Sub Rege *Sigismundo.*

SECUNDUS DAUPOWECZ — Sub Rege *Ladislao.*

SECUNDUS PLANÆ
QUARTUS JOANNIS PLANÆ
QUINTUS PLANÆ
— Sub Rege *Georgio.*

PRIMUS WENCESLAI ANDREÆ
SECUNDUS ANDREÆ
TERTIUS ANDREÆ
LIBER PRIMUS WENCESLAI GINDRACI
— ſub Rege *Wladislao.*

LIBRI

LIBRI MEMORIARUM ab An. 1485. usque ad An. 1494. ſub Rege *Wladislao*.

LIBRI ALBI CITATIONUM.

SENTENTIÆ JUDICIORUM ſub Domino *Genecz* Burgravio, & ſub Domino de *Pernſtein*. Hactenus ex Bibliotheca Caeſarea.

Quod his codicibus *Ambraſianis* (de quibus egimus) defuit, ſupplevit Vir Illuſtriſſimus & Amicus meus *Franciſcus Chinsky* Supremus Regni Cancellarius, codicem molle grandem ſuppetitando, ex quo itidem multa exſcripſi, & quae videbantur, annotavi.

PRIMUS PROCOPII PRIMUS NICOLAI SECUNDUS NICOLAI PRIMUS MAURITII SECUNDUS MAURITII PRIMUS WENCESLAI SECUNDUS WENCESLAI TERTIUS WENCESLAI QUARTUS WENCESLAI	Sub Rege ac Caeſare *Wencelao*.
PRIMUS MATHIÆ QUARTUS MATHIÆ	Sub Rege *Sigismundo*.
SECUNDUS DAUPOWECZ	Sub Rege *Ladislao*.
PRIMUS JOANNIS PLANÆ SECUNDUS PLANÆ TERTIUS PLANÆ QUARTUS PLANÆ	Sub Rege *Georgio*.
WENCESLAI ANDREÆ	Sub Rege *Wladislao*.

Knihß Bilß Puhoneß/ id eſt, Memoriæ in Albis citationum.

MEMORIÆ IN FLAVIS.

Sta'zi Nalezowé/ id eſt, Rex in antiquitate pridem judicatæ. Hactenus *P. Balbinus*.

In authentico quaternione veterum tabularum, qui ſummarium earundem continet, apud me aſſervato; præter ſuper recenſitos libros etiam reperio ſequentes:

PRIMUS DACZICZ SECUNDUS DACZICZ PRIMUS ULRICI SECUNDUS ULRICI	Sub *Carolo IV.* An. 1366. & ſeq.

Libri denique Erectionum ſunt grandia quatuordecim volumina, mundiſſimè ſcripta antiquis literis, partim in firmiſſima papyro, partim in membrana, in quibus autore *Arneſto I. Archi-Epiſcopo Pragenſi*, omnes erectiones Sacerdotiorum, fundationes Altarium, dotationes Eccleſiarum, translationes capitulorum, & monaſteriorum, & quidquid demum rem ſacram, & Eccleſiaſticam attingere fundando & erigendo poteſt, ordine alphabetico, ut in Regni tabulis, conſcripta reperiuntur. Ortum ſuum habuêre An. Domini 1358. à die 24. *Menſis Julii*, non pertingunt autem ultrà ætatem *Conradi Weſtphali* ſed terminantur Anno 1419 die 27. *Auguſti*, ubi hæreſis & bella Huſſitica ſenſim jugulare cæperunt omnia. Primitus vocabantur *Acta*, tandem *libri Erectionum*. De his in M.S. *codice fund. & Altar. Eccl. Prag. fol. 87.* legimus:

Tabulæ terræ Boemiæ cæperunt conſcribi tempore Joannis cæci Regis Bohemiæ. Acta cæperunt Anno Domini 1358. tempore Arneſti Archi-Epiſcopi, triginta octo annis priùs fuerunt tabulæ, quàm acta. Hæc ibi.

Quantùm hoc opere in *Boemia* meritus ſit *Arneſtus*, difficile dici poteſt. Quot fundatoribus, qui in occulto inglorii jacuiſſent, ſcriptione iſtâ vitam dedit, & æternitati tranſcripſit? Ejus proinde ſanctiſſimam memoriam:

- - - - *Nec ventura ſilebunt*
Luſtra, nec ignota rapiet ſub nube
vetuſtas.

Compendiavit hos libros *P. Balbinus*; & typis dedit, qui eſt *decadis I. miſcellaneorum liber quintus*, ſed quædam non levis momenti tranſiliiſſe videtur. Aſſervantur in Archivo *Capituli Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis*, & nuper à *D. Godefrido Herbſt S. Metrop. Eccleſiæ* Decano novâ compacturâ & foliorum numeratione exornati ſunt. Certè ex his libris luce meridianâ clariùs patet, quanta olim fuerit Procetum Regni & aliorum dominorum ſæcularium devotio, quis ſacrificiorum honor, quæ Eccleſiarum cura: divini cultûs promovendi ſollicitudo, nulla ferè familia in Regno reperitur; quæ Deum perpetuô fundatô Miſſæ Sacrificio non honorârit; atque adeò æterni nominis famam ad poſteros non tranſmiſerit.

CA-

CAPUT QUINTUM.

Joannis vocatio ad ſtatum Eccleſiaſticum. Suſceptum Sacerdotium, & cura Animarum. Nec non munus Concionatoris in Eccleſia ante lætam Curiam, & alibi zelosè peractum.

JAm maturus ætate, moribus, ſcientiâ, & pietate *Joannes*, de vitæ ſtatu ſeligendo deliberare, & inditos divinæ gratiæ ſtimulos, ſignatúmque ſuprà ſe lumen vultûs Domini ardentiùs conſiderare cœpit. Et quoniam non viſa eſt major ſalutis ſecuritas, quàm in humili divinæ vocationis obedientia, illam ut maturè agnoſceret, agnitam apprehenderet, apprehenſam ſanctitate, & conſtantia exequeretur, piis animi ſingultibus à divina clementia ſibi benignè concedi indeſinenter poſtulabat. Nec ii, qui pietatem à teneris coluêre, difficiles in DEI voce ſequenda remoras agunt, ſed expeditis divinæ charitatis progreſſibus, mundanarum difficultatum montes tranſiliunt, & ſic fortiter, & ſuaviter perveniunt ad dilectum. *Joannes*, qui omnem ætatem in optimis artibus egit, charitatem DEI, & proximi jam penè in naturam vertit. Non erat incognita Religioſæ vitæ ſecuritas, qui ad monaſterium educatus Religioſos habuit pueritiæ inſtructores. Verùm non tantùm ſpectare videbatur, ubi ſalvari, ſed ubi magis DEI gloriam promovere, ſuúmque erga DEUM, & proximum amorem teſtari poſſet. In illud igitur vitæ inſtitutum quod præter propriam, etiam proximi ſalutem curat, paſſis brachiis rapitur, & *Sanctorum Apoſtolorum Petri*, & *Pauli* veſtigia ſubmiſsè adorando, totum ſeſe ei dedere medullitùs anhelat. Nec deſunt, quæ imitari poſſint exempla, doctiſſimi, & pientiſſimi Profeſſores, Ordinis Eccleſiaſtici, doctrinâ vitæ, morúmque probitate celeberrimi. Curam proinde, animarum totus quanrus ſitiens militiæ clericali adſcribi humiliter poſtulat. Ergò ſacris meditationibus per totum menſem præparatô animô, & abſtinentiâ corpore caſtigatô, in multa humilitate, & devotione ad *minores*, ac etiam ſacros majores *Subdiaconatûs*, *Diaconatûs*, ac *Presbyteratûs* ordines ab *Arneſto primo Archi-Epiſcopo* promovetur. De anno ſi quæſtio moveatur, attentè circumſpectîs omnibûs, ante Annum 1360. inſignitum fuiſſe Sacerdotiô certô certiùs exiſtimo. Ideò eos erroris facilè convincere non poſſum, qui ordinationem *Joannis* ad Annum 1357. aut ſequentem conjiciunt. Puto verò hunc ordinationis actum in Capella Archi-Epiſcopali domeſtica *Beatæ Mariæ Virginis*, quam non pridem Arneſtus 1350. ex fundamento cum ipſa reſidentia ſua ad pedem pontis *Micro-Pragæ* ſplendidè excitaverat, celebratum fuiſſe. Nam legitur ad *Angarias* Anni 1361. & ſequentis, ac aliàs ordinariè in Regiſtro Cleri Archi-Diæceſani (a) *Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Arneſtus S. Pragenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus tenuit ordinationem in æde ſua feriâ &c.* ut parilî modô prioribus Annis ità practicatum fuiſſe, non dubitandum ſit.

(a) M. S. Cod. in Archiv. Metrop. Capit. Prag.

2. Peractis primi ſacrificii gratiis, vitam ſuam ità inſtituit, ut tota in ſalutem proximi propenderet. Non fuit in eo frequentius deſiderium, quàm Zelum Apoſtolicorum viro-

virorum imitando, ſibi in animarum obſequium familiarem, propriúmque reddere. Inde crebra ad DEUM ſuſpiria pro Spiritûs Sancti aſſiſtentia, pro charitatis perſeverantia, pro injuncti officii vigilantia, pro curſûs feliciter conſumandi conſtantia. Quis in vita munditiam, in moribus ſanctitatem, in oratione fervorem, in converſatione modeſtiam, in ſacrificando devotionem dicendo aſſequetur? Cura ſalutis proximi unicum ejus fuit pondus ad parochialia munia fervidè, & attentè obeunda. Nam & Cooperatorem & Parochum extra Urbem *Pragenſem* alicubi in provincia *Boemiæ* fuiſſe, priusquam ad Eccleſiam illam *Beatæ Mariæ Virginis* ante *lætam curiam* vulgò in *Tein* promoveretur, nullatenus dubitare poſſum, dum ab ordinatione ejus usque ad Annum 1372. (quo *Joannes Militius*, cui in officio prædicationis ſucceſſerat, munus ibi ſuum depoſuerat) duodecim, & ultra annornm intercapedinem conſidero. Virtutum interea ab eo exercitarum, pietatis exempla, animarum lucra, verbi Dei præconia, non aliter ac *Pauli* illius primi *Eremitæ* ſolitariæ vitæ exercitia in abdito latent, ac nobis incognita ſunt. Quis tamen tanti Viri, quem DEUS ad martyrii coronam deſtinaverat, vitæ excellentiam non ſuſpiciet? roborare debiles, conſolari mæſtos, ſublevare infirmos, corrigere pravos, reducere errantes, docere ignorantes, parvulis ac magnis fidei panem frangere, atque commoda, & utilitates commiſſi ſibi populi curare, atque verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendere *Joannis* proprium ignorat nemo, qui poſteriores vitæ ſanctiſſimos fructus, non ex agris ſterilibus prognaſci ſolitos quasì *proram*, & *puppim* ùt ajunt conſideratiùs attendit. Manſuetudo interea & miſeratio à teneris cum eo creſcens actâ ætate copioſiores quoque produxit fructus, non in incerto divitiarum, ſed in prece pauperis ſpem reponens. Quæ deliciæ, quæ ſuavitas major mentem afflare poterat, quàm inter confertas egentium catervas perſonam induere ejus, qui dicit: *ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum?*

3. Annus certè 1362. aperuit *Joanni* campum charitaris exercendæ longè pulcherrimum, ubi frumentorum caritas, famelicorum, & languentium greges in *Boemia* fecit innumeros. Exemplô ſuô prælucere conatus fuit Archi-Epiſcopus *Arneſtus*, de quo vitæ ejus ſcriptor (b) *Anno Domini 1362. dum in regno Bohemiæ cariſtia magna ſæviret, in tantum, ut propter defectum victualium, multos fames exhorreſcenda captivaret, multas fecit Arneſtus eleemoſynas in pane pariter, ac frumentis.* De ſubſtantia ſua pauperibus tribuit *Joannes*, quantum inſita proximi charitas affectus ſubminiſtrabat. Nunc libenter impenſas infirmis, & perſonis miſerabilibus, operas in adminiſtratione Sactamentorum promptitudinem, in conſolandis afflictis amabilitatem commemorare luberet; ſed aliò nos rurſus abripiunt laudum themata, dum ſpecialem in DEI verbo dicendo vim, & energeticum in inſectandis vitiis robur conſideramus, quo auditorium ſuum à mundi vanitatibus ad ſolius DEI amorem velut vinculis abduxit. Atque hæc agens, hisque immorans, celebrem vitæ, virtutúmque famam in omnem latè viciniam fidelium ſtudiô diffudit: quæ *Pragenam* quoque *Tripolim* ampliùs latere non potuit, quin eundem velut inſignem pietate Virum, & Zeloſum verbi DEI præconem in primaria Majoris *Urbis* Eccleſia ad *Beatam Virginem* ante *lætam curiam* vulgò in *Tein*, ſuggeſtui præponeret. Succeſſit celebribus ejus ævi prædicatoribus *Cunrado ab Auſtria*, & *Joanni Militio*. Nam poſteaquam 1369. die

(b) Wilhelm. Decan. Wiſſehrad. in vit. Arneſt. Cod. Membr. Capit. Prag.

die 9. *Martii*, qui fuit dies ſacer *SS. Cyrillo & Methudio* Apoſtolis *Boemiæ*, placidè obdormiviſſet in Domino *Venerabilis Presbyter Conradus* de *Stiekna* natione *Auſtrius* Canonicus Regularis, & plebanus in æde *Beatæ Virginis* ante *lætam Curiam*, inſignis concionator, & perpetuus vitiorum inſectator, eidem in concionum munere ſucceſſit *Joannes Militius Moravus Cremſirienſis*, qui reſignata Archi-Diaconatûs dignitate in *Eccleſia Pragenſi* ſe totum pietatis operibus & ſtudio prædicandi verbi DEI dedit, ſic námque de eo ait vitæ ſcriptor Anonymus (c), *Cùm poſt hoc aliquanto tempore evoluto iterum limina S. Petri* (videlicet Militius) *viſitâſſet, ſed ibidem non longum manendi tempus protraxit. Inde verò veniens poſt obitum bonæ memoriæ Domini Cunradi plebani Beatæ Virginis glorioſæ in læta curia eximii, & egregii prædicatoris, qui in civitate Pragenſi primus errores deſtruxit, evulſit: & virtutes plantavit. Cæpit ergò de quotidiana prædicatione ſtudiosè cogitare, ut ſicut corpus quotidiano alimento, nè pereat, nutritur, ita verò & anima ex quotidianis viridiſſimis verbi DEI paſcuis pingueſceret. Adveniente verò tempore, quod dicitur adventus Domini, cæpit in Eccleſia Beatæ Virginis in læta curia in Tevtonico quotidie prædicare, alius verò in Boemico ad S. Ægidium eadem prædicabat. Talis verò quotidiana prædicatio plùs, quàm tribus annis in Eccleſia Beatæ Virginis, & ad S. Ægidium plus quàm duobus vigebat, ex qua quidem prædicatione per DEI gratiam ſpirituales, & ſæculares emendabantur, & frequens confeſſio peccatorum & ſæpiſſimè communio SS. Euchariſtiæ cæpit invaleſcere.* Hìc liquet, quòd, cùm *Militius* poſt obitum *Conradi* primò in adventu (qui eo Annô 1369. à 2. *Decembris* initium habuit) officium prædicationis ultrà tres annos continuatum aſſumpſerit, poſt eum *Joannes* expoſitionem verbi DEI linquâ itidem Tevtonicâ, ùt *Militius* cæpit, continuando in memorata Eccleſia *Teinenſi* auſpicatus fuerit Annô 1373. menſe fortè *Aprili* aut *Majo*. Succeſſit *Joannes Militio* viventi quidem, ſed in alia Eccleſia utì ad *Sanctum Ægidium* verbo DEI occupato, ac dein usque ad finem vitæ in *Romana curia* defenſionis causâ contra calumnias adverſantium abſenti. Obiit tandem *Militius* die 29. *Junii* Annô Domini 1374. utrùm porrò *Joannes* munus duntaxat Concionatoris ùt *Militius*, an unà Plebani ſicut *Conradus* ab *Auſtria* tenuerit, nullô hactenus antiquitatis teſtimoniô eruere licuit.

(c) Vit. Joan. Militii conſcripta ab ejus diſcipulo in chartaceo Cod. Biblioth. Eccleſ. Metrop. Prag.

4. Erant verò tunc mores *Pragenæ* triurbis perquam corrupti. Furta, adulteria, perverſa judicia in plebe & Magiſtratibus propè impunita regnabant, quò quisque nequior eò Generoſior habebatur. Superbia in veſtitu tanta, ut ars nulla libidini ſufficeret. Ganea, ludiones, comædi, joculatores & omne genus voluptatum, plebem æque, ac primores detinebant. Clerus item non in paucis claudicabat. (d) Et ideò non immodicè hæ morum putredines vigilantiam *Joannis Archi-Epiſcopi* & ſollicitudinem Imperatoris *Caroli* fatigaverant. Quid ex hac peſſima mutatione viris probis prognoſticari dabatur aliud, quàm fædum aliquando hæreſeos ulcus. Miſit tamen DEus, ſicut omni tempore ſolet, Viros probatos, qui Virgâ oris ſui delicta caſtigarent. Inde in luxum veſtium invehente *Conrado* mulieres *Pragenſes* pepla variegata, phrygióque labore intertexta diſcrimina, & gemmis, auro, argentóque ornata veſtimenta depoſuêre (e). *Militius* quoque mulierculas ſuper trecentas à meretricio quæſtu abſtraxit, & in pœnitentiæ domo ex lupanari extructa, aluit (f) His ſuccedens *Joannes*, nec minori zelo, charitate ac eloquentiâ perditos *Pragenſium* mores, nimiámque vivendi licentiam redarguit, Mæchos,

(d) Præcit. MS. Vit. Militii. Et vet. Cod. Biblioth. Metrop. Prag.

(e) Lupac. & Weleslav. Kalend. 9. Mart.

(f) MS. vit. Militii præcit.

chos, *Uſ*urarios, raptores, oppreſſores pauperum, ac illicitum quæſtum exercentes dicendi vi, ac vitæ exemplo ad pœnitentiam reduxit. Sed nec corruptis Cleri moribus pepercit, dum ab his plebis quoque ruina dependeret. In vectivas tamen exaggeratiores (quæ antea *Conrado* & *Militio* implacabilia Religioſorum odia, in curia Romana accuſationes, & nedum exitium attulêre) mitiori dicendi genere evitabat. Et ſic veritas comitate, & modeſtiâ eloquii circumveſtita, à præcoci fulgore attemperata

- - *circum caput omne micantes*

Depoſuit radios, qui offendere potuiſſent, ſuavioríque, & fortiori vi allapſa fuit animis, ad amplectenda ea, quæ ut remedia ægritudinum, atque ad pellendam vitiorum vehementiam prædicando proponebantur. Stetiſſe *Joannem* in hoc labore prædicationis è ſuggeſtu *Teinenſi* aliquot annis, & ùt invictum vitiorum Athletam, palmam retuliſſe nemini dubium eſt. *Ul*trà tamen triennium ſe illud munus non extendit. Qualiter igitur 1375. ob ſpeciales animi dotes, & ſanctæ vitæ merita in *Canonicum Pragenſem* electus ſit, Capite ſequenti oſtendetur.

NO-

NOTÆ IN CAPUT V.

V*Enerabilis Presbyter Conradus de Stikna.*

Hìc Vir multùm exemplaris, & religioſus, Ordinis Canonicorum regularium *S. Auguſtini*, ſingulare decus, & gloria; primus Cleri, plebiſque corruptionem *Pragæ* ſentiens, primus quoque prædicationis Zeloſæ andito to morbo occurrere ſatagebat. Detonabat potiſſimùm (ùt refert *Beneſſius de Weitmil Conradi* Synchronus *lib. 4. Chronic MS*) contra uſurarios & injuſtos poſſeſſores, item contra luxum veſtium, & Simoniacam pravitatem. De eo *Hagekus Chron. Boem. fol.* 342. *Annô Domini 1369. die ſancti Cyrilli obiit Venerabilis Sacerdos Conradus, Canonicus Regularis, & Plebanus Capellæ Beatæ Mariæ Virginis in Tein, fuit tam ſolemnis Concionator, ut nullus ei hominum memoriâ ſimilis reputaretur, & præter eloquentiam etiam eximiè doctus. Sepultus in porticu hujus Eccleſiæ.* Ab hoc non abludit *Procopius Lupacius* in Ephemeride *Rer. Boem. ad 8ept. Id. Mart.* quæ eſt *9. Martii Annô Domini 1369.* (inquit) *qui fuit dies ſacer Cyrillo & Methudio Apoſtolis Boemiæ, placidè obdormivit in Domino Venerabilis Presbyter Conradus, natione Auſtriacus, ùt habent MS. Canonicus Regularis celebris in Urbe majori Pragenſi Concionator. Sepultus in porticu ædis Teinenſis Pragæ. Vir eruditus, & diſertus, acerrimus vitiorum inſectator.* Inde denique propter conciones ſuas zelo DEI pleniſſimas acerbiſſima odia ab iis, quorum malos mores caſtigabat, ſuſtinuit. Quidam æſtu vindictæ agitati *Conradum* non aliter, ac peſſimum hæreſiarcham undequaque divulgârunt. Verùm ab omnibus excuſant eum relicta opera nullò hæreſeos nævô notata. Extant in Bibliotheca *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis*, in quibus videre eſt, quòd ſolùm in reſtaurandis moribus, non verò purganda (ùt quidam perperam ajunt) doctrina Chriſtiana laboraverit.

Militius Moravus Cremſirienſis. Amborum defenſionem aſſumpſit ante me *P. Balbinus Epit. rer. Boemi. lib. 4. Cap. 1. in Not.* Cui lubenter manus do. Uterque, *Conradus*, ac *Militius* graves à malevolis calumnias paſſi ſunt, juxta vetuſtiſſimam mundi in maligno poſiti regulam: *perſequi eos, qui ſcelera reprehendunt.* Indè rectè *S. Chryſoſt. de laud. D. Pauli hom 6. Qui prædicationis* (inquit) *ſuſcipit officium, non oportet mollem quidem eſſe atque reſolutum, ſed fortem, & per cuncta robuſtum. Nec enim ſaltem attingere quiſquam debet præclari hujus muneris functionem, niſi paratus ſit millies animam ſuam in mortem tradere.* Effervente perſecutorum in *Militium* paſſione ad ſedem Apoſtolicam velut Hæreticum, aut de falſis dogmatibus ſuſpectum deferre non erubuerunt. At quoniam ille, quemadmodum antea *Conradus*, nunquam doctrinam Chriſtianam, ſed *malos* duntaxat Cleri, populíque *mores* redarguerat, ab omni ſemper adverſantium impetu fuit abſolutus. Quapropter rectè ſuccenſuit *Joanni Huſſo*, *M. Andreas de Broda* Theologiæ Profeſſor in Academia Pragenſi, dum Epiſtola quadam ab *Huſſo* tentatus, ut vel in partes ejus tranſiret, aut ſolùm non obſiſteret. Sic eum increpat: *Circa finem* (inquit) „ Tractatus veſter, quem ſcripſiſtis de Eccleſia, „ videtur 45. articulis ipſius Wikleffi in generali concilio Romano „ & Pariſiis, & Pragæ condemnatis, „ eſſe nimiùm favoroſus, O Ma„giſter! ſed non in Iſrael, non ve-

 remini

„ remini dicere, quod ſolùm pro-„pter impugnationem criminum, „ quæ Clerus ſequitur, excommu-„nicationem, & perſecutionem pa-„ timini. Quis, rogo, aliis perſecu-„ tionem procurat? quis ſpoliat? „ quis in faciem cædit? quis mona-„ ſteria, vel Eccleſias deprædatur? „ nonne vos,& diſcipuli veſtri? di-„ citis de criminibus clericorum, „ ſed de moribus, & libris Wiklef-„ fi, quos protegitis, nullam men-„ tionem facitis? Ego pauper ho-„ muncio dico, ſi non eſſet cauſa „ alia, præterquam hæc, quòd „ prædicatis contra Clericos, nul-„ lus vos (ùt æſtimo) excommu-„ nicaret. Nam ex antiquis tem-„ poribus MILITIUS, CON-„ RADUS STYKNA, & alii „ quàm plurimi contra Clericos „ prædicaverunt, nullus tamen pro-„ pter hoc excommunicationis fuit „ ſententiæ ſubditus. Deponite „ nubem, ut homines videant nu-„ dam rem, propter quam excom-„ municamini &c. „ *Cochl. hiſt. Huſſit. lib.* 1. *fol.* 42. Verùm æthiopem lavit *Andreas de Broda*; corruptos mores habuit *Huſſus* pro prætextu, *Wikleffi* hæreſim pro principali fine. Sic & *Lutherus* bonô primum Zelô, moveri viſus, quando irrepentes in prædicationem indulgentiarum abuſus laceſſiverat: Verùm, dum vana gloria blandiente nimiùm ſuo judicio fidiſſet, temonem tandem à moribus in doctrinam & fidei dogmata conſiliô peſſimô vertit: & ità ſe totámque *Germaniam* in inextricabilem innumerarum hæreſum abyſſum usque adhuc præcipitavit, ut vicinæ quoque provinciæ lapſum minatæ ſint, non aliter ac dum magna arbore cadente, aliæ etiam in ſylva læſionem ſentiunt longè ſecùs *Conradus* & *Militius*: non illi fidem, ſed mores culpârunt. Ac *Militius* quidem innocentiam ſuam in ipſa curia Romana (quò nec *Huſſus* nec *Lutherus* utpote malè conſcii, rebúsque ſuis diffidentes unquam ſe conferre auſi ſunt) perſonaliter aliquoties defendit, & univerſaliter ringentibus adverſariis abſolutus fuit. Innocentiæ etiam vitæ *Militii* *Carolus IV.* Imperator teſtimonium perhibet, dùm in literis, quibus *Ordini Ciſtercienſi* domum *S. Bernardi* in Antiqua *Urbe Pragenſi* vulgariter *Hieruſalem* nuncupatam, cum capella & juribus ſuis donat, eundem *ſuum devotum dilectum* nominat. In verbis: *Qemadmodum bonæ memoriæ Honorabilis Militius, quondam devotus noſter dilectus ex piis fidelium eleemoſynarum largitionibus dictam domum tenuiſſe, & conſtruxiſſe dignoſcitur. Venerabili Ciſtercienſi Ordini purè, ſimpliciter, & irrevocabiliter in perpetuum Chriſti nomine invocato offerimus, damus. XVI. Kal. Januar.* Has literas *Joaones Archi-Epiſc. Prag.* confirmat, die 30. Junii An. 1375. Lib. 1. Erect. T. 7. Nihil obſtat, quod *Spontanus Annal. Eccleſ. ad Annum* 1374. & *Daynaldus* poſt *Baronium* ſcriptor, *Militium hæreſiarcham* vocent, allegantes *Gregorii Papæ XI.* literas *Avenione 4. Idus Januarii* ad *Archi-Epiſcopum Pragenſem*, *Cracovienſem*, *Wratislavienſem*, *Litomyslaenſem*, & *Olomucenſem Epiſcopos*, nec non ad *Carolum IV.* Imperatorem datas, quibus *Militius* de hæreſi poſtulatur. At benè animadvertendum, quod licèt aliàs de jure Canonico clauſula *ſi preces veritate nitantur* in reſcriptis exprimenda non ſit, cum ipſo jure ſubintelligatur. *C.* 2. *X. de reſcriptis.* eam tamen Pontifex ſemper expreſsè adponi juſſerit, *ſi vera ſunt, quæ narrantur.* Deprehenſis igitur adverſariorum dolis, quibus ad concutiendum *Militium* ejusmodi bullas *ſub-& obreptitiè* impetraverant, agnita fuit accuſati innocentia, ísque in curia ab omni impetu abſolutus,& honoribus reſtitutus fuit. Præcenſiti ideò Autores ſolam Pontificis bullam, non verò ſubſequentem exculpationem aſpicientes, facilè errare potuerunt. Nec officit, quòd ipſi hæretici *Militium* è ſua parte

col-

colliocent velut *Lupac. 9. Mart. Paulus Stanſky* Picardita *Reipubl. Boom. c. 6. fol. 273.* & *Flaccius Illiricus* inter *hæreticæ pravitatis*, quam ille *veritatis* ait, *teſtes* ponat, nam & id è præfata Pontificia bulla occaſionem habere videtur, & perpetuus hæreticorum mos eſt undique errorum ſuorum teſtimonia corradere, ſive vera ſive commentitia ſint, ut rebus ſuis aliâs deploratis, autoritatem tribuant & quasì juſtiores reddant. Profectò *Sleidanus* juratus ille *Lutheri* Encomiaſtes, non fuit veritus *Commentariorum lib. X.* in fine *Eminent. Cardinalem Reginaldum Polum* occulto Luteraniſmi favore aſpergere dum ait: *Qui familiariter hominem nôrunt, Evangelii doctrinam ei probè cognitam eſſe dicunt. Quòd autem in Henricum Regem ità, ſcripſerit, cauſam eſſe putant ut ſuſpicionem evitaret Lutheraniſmi.* Hæc refutare hìc non vacat, ſed ſufficiat quod eruditiſſimus *Bartholomæus Latomus* Senator Trevirenſis, *Sleidano* in ſuis commentariis 11000. *mendacia & falſa* expoſuerit *Lexic. Erudit. Lipſ.* Et alius Autor hæreticus in *Hierologia Anglica* Clariſſ. Vir. qui floruit ab Annô 1500. usque 1620. *fol. 26.* palam aſſerat: *At de noſtro Cardinali* (Polo) *ſat multa, ſi non nimis, multa dixi, propterea quòd fuerit multis nominibus veræ religioni* (Anglicanæ) *inimicus. Nihilominus pluribus aliis de cauſis arbitror mihi fas eſſe, absque tantilla offenſione Polum boni Cardinalis appellatione inſignire.* Et idem alibi. *Miſſus Polus in Angliam, ibique ut primum venerat, & regnum Papæ reconciliârat, Angliæ reſtaurator dictus eſt.* Parem calumniam *Militius* patitur *ab Illyrico*, qui utique confunditur ab ipſo vitæ ſcriptore coævo in *M. ſ. Chart. Codice, Bibliothecæ Metropolit.* ubi: „ Sed cùm „ malignus ſpiritus nimia detrimen„ta per virum Deo dilectum ſibi im„minere cerneret, Prælatos, Pleba„nos, Religioſos ad furorem in „ eum ſuſcitavit, ita ut prædicatio„nem ſibi ſæpiùs inhiberent, & „ Hæreticum eum appellârent: Sed „ planè eum boni omnes, & miran„tur, & diligunt, nam qui hæreti„cum eum appellant, inſaniunt. Et „ infrà. Talem verò virtutem & „ gratiam DEUS contulerat ei, quod „ & inimici videntes ejus perſonam „ ſibi pacificè loquebantur, in nullo „ eum accuſabant. Et iſtud mani„feſtè apparet in adventu ejus in „ Curiam Romanam; licèt priùs ni„mium criminosè accuſatus fuiſſet „ poſtmodum eo veniente omnes „ ſibi benefavebant, & ejus major „ Adverſarius, Magiſter videlicet „ Klonkoth, cujus mentio ſuperiùs „ facta eſt, cùm fuiſſet per Domi„num Cardinalem Albanenſem „ vocatus, & quid de Militio ſenti„ret, interrogatus, dicebat: Ego „ nihil mali invenio in homine iſto, „ ſed ſolùm id eſt, cùm fuiſſem lite„ratoriè per quendam plebanum „ Pragenſem monitus, & rogatus „ de articulis talibus eosdem Domi„no Apoſtolico porrexi. „ Hæc vita *MS.* Ex quibus clarè liquet, procul ab omni hæreſi *Militium* fuiſſe. Cæterùm *Militius* non fuit de illuſtri proſapia, ùt fabulatur *Procopius Lupacius* in *Ephemer.* ad *diem 9. Martii*, & *Adamus Weleslavina* in *Calend. ad 2. Februar. virum nobilem ac generoſum, quondam ex Proceribus inclyti Regni Boemiæ* comminiſcentes. Et *Cruger in ſacris memor.* ad *diem 2. Februarii* planè familia *Talmbergicâ*, *Miliczæaque* gente natum effingit. Manu ſcripta enim vita ſæpiùs citata nihil ſimile habet. *Militius* (ait) *Presbyter Olomucenſis diæceſis de Cremſyr, non ſublimium parentum exiſtens, ſed innocens manibus, & mundus corde, donisque cæleſtis gratiæ refertus.* Non minùs *P. Balbinus* erravit, dum *Joannem Haſenberg* cognomine *Horak*, illuſtri *Hazmburgicorum* familiæ inſerere *Auctar. I. Montis ſacri cap. 6. §. 7.* circa finem non dubitavit. Geſſit quidem *Joannes* cognomen *Haſenberg*, non tamen ſanguinem *Hazmburgicum.* Fuit enim Civis *Litomericenſis*

filius, qui ob dotes ingenii, & inſignem eruditionem ad Aulam ſe inſinuans *Ferdinandi I.* Imperatoris, filiorum Archi-Ducum inſtructor, & educator extitit. Ex quo deinde Canonicus *Wratiſlavienſis*, Præpoſitus *Litomericenſis*, & coadjutor Epiſcopatûs *Olomucenſis* electus fuit. Eiquet id clarè, ex præfatione *Joannis Cochlæi*, qua *Joanni Haſenberg* librum *M. Joannis de Przibram* de profeſſione fidei Catholicæ An. 1528. dedicat

Revirendo in Chriſto Patri ac Domino Domino Joanni Haſenbergio Horak Coadjutori Olomucenſi, Præpoſito Litomericenſi, & Canonico Wratislavienſi, Sereniſſimorum Archi-Ducum Auſtriæ in Literis & Linguis Præceptori fideliſſimo Joannes Cochlæus, S. P. D.

„NOvit me familiariter jam ultra „20. annos Reverenda Do„minatio tua, id quod utriusque „ſcriptis jàm olim in lucem editis, „ſatis notum, & atteſtatum eſſe ar„bitror, præſertim ex eo libro, „quem ego ante 20. annos in ſe„pticipitem edidi Lutherum, quem „R. D. T. & doctâ epiſtolâ, & in„genioſis carminibus decorare, „lectoríque commendare dignata „eſt, dum Lipſiæ adhuc ageret in „Philoſophiæ ſtudiis, & non rara „fuit mihi cum eadem R. D. T. con„verſatio, ac mutua hoſpitalitas, „non ſolùm Dresdæ, & Lipſiæ in „Miſnia, verùm etiam Pragæ ac Li„tomericii in Bohemia, ubi & Pa„rentem tuum & Cognatos tuos „vidi, tuáque interpretatione uſus, „familiaria cum eis colloquia mi„ſcui, linguæ alioquin Bohemicæ „prorſus imperitus; quam tu velut „Patriam atque nativam, & perfe„ctè calles, & diſſertiſſimè loque„ris, non ſolùm privatim, ſed „etiam in publicis tactatibus ac ſa„cris ad populum concionibus, „eámque præterea Regios liberos „(quod equidem magnifacio & in„clyto Bohemiæ Regno eam felici„tatem ex animo gratulor) aptiſſi„mè docuiſti, adeò ſanè feliciter, „ut Bohemis deinceps, ſi quando „Patri ſucceſſerint in Regno, filii „ſui, non opus fuerit, Regem „ſuum per interpretem alloqui, ſed „in propria lingua omnes neceſſi„tates, & petitiones ſuas ei propo„nere, ac declarare queant, gra„táque & gratioſa ex ore ejus re„ſponſa intelligere ac reportare. Hæc *Cochlæus.* Nunc in viam. Ulteriorem Joannis Militii vitæ conditionem, quod attinet, fuit ille ſacrorum Canonum ac Theologiæ Magiſterio inſignitus, collegio canonicorum Pragenſium *ad S. Vitum* inſertus, & tandem *Archidiaconus.* Imperatorem *Carolum* plurimùm ſibi devinxit, poſt *Nicolaum de Cremſyr Canonicum Pragenſem* à recognitionibus literarum curiæ exiſtens. Rectè *Jacobus Wenker* in notis *ad Bem. Mallenkrot* teſtatur in recognitionibus literarum *Caroli IV.* quos ad civitatem Argentinenſem Anno 1360. perſcripſit, ſubnotatum inveniri: *per Dominum Magiſtrum Wernherum. Militius de Cremſyr.* Zelus deníque animarum longè in *Militio* fuit clarior, quàm omnia ejus dignitatum munia. Paulò poſt mundi honoribus valefaciens, & humilem abjectámque, prædicatione autem verbi DEI ſuavem vitam vixit. Reſignavit *Archi-Diaconatum Eccleſiæ Pragenſis* Anno 1362. poſtquàm priùs Synodo Archi-Diæceſanæ, quam *Arneſtus Archi-Epiſcopus* die *S. Lucæ Evangeliſtæ*, quæ erat 30. Octobris celebraverat, interfuiſſet, & ſermones ſuper vita & honeſtate Clericorum magna audientium commotione

ne dixiſſet. *Archi-Diaconatus* verò Pragenſis tunc non in ſola dignitate, & præcedentia, ſed & in exercitio Jurisdictionis propriæ juxta *Cap. 1. & 7. de offic. Archi-Diaconi* conſiſtens, habuit ſub ſe alios Decanatus, ſeu Vicariatus ſequentes:

Pragenſem qui numerabat Plebanos & Altariſtas	100
Beneſſovienſem cum plebanis	20
Ryczanenſem cum plebanis	32
Orzechovienſem cum pleb.	34
Podbrodenſem cum pleb.	26
Rakovvnicenſem cum pleb.	48
Stanenſem cum pleb.	54
Rzipenſem cum pleb.	34
Clumicenſem cum pleb.	33
Brunduſienſem cum pleb.	33
Summa plebanorum	390

Non attento tamen ſplendore ac utilitate hujus muneris: id *Militius* gratuitò reſignavit, nè verò ab Eccleſia Metropolitana avelleretur penitùs, ſuſcepit, ecce ingentem Viri humilitatem! officium *Sacriſtæ*, tandem totum ſe vitæ privatæ & prædicationibus verbi DEI dedit. Sic in *Regiſtro diviſionum Biblioth. Capit. Prag. fol.* 1. legimus: „ Annô Do„mini 1363. Sabbatho proximo an„te nativitatem Domini noſtri JESU „Chriſti, quæ fuit vigilia Vigiliæ „ejusdem feſti vacante Sacriſtia „Pragenſi per liberam reſignatio„nem Domini Militii Sacriſtæ Pra„genſis. Honorabiles Viri & Domi„ni Wrativvogius Decanus, Nico„laus Scholaſticus, Joannes Præ„poſitus S. Ægydii, Hynko dictus „Malovvar, Jenczo, Welco (De„canus Capituli S. Apollinaris) Bus„ko, Stephanus Notarius terræ Boe„miæ, Kunſlo, Henricus Theſauri, „Joannes Cuſtos Wiſſehradenſis, „Joannes medicus, Albertus de „Luyticz, Gadko, Przibico, Ni„colaus Jaxo, Joannes dictus Ka„mik, Franciſcus Decanus OO. „SSm. Sczema, Beneſſius, Dyt„marus, Fridericus, Nicolaus de „Kremſyr, Dietlebus Cancella„rius Archi-Epiſcopi cæteríque „Domini tunc Capitulum facientes, „& ad hoc ſpecialiter citati, pro„viderunt mihi Buskoni miniſtro „S. Crucis, & Plebano S. Valen„tini, de prædicto officio Sacriſtæ, „ad quod prædictus Dominus Wra„tivvogius me inveſtivit. „ Hæc ibi. Ulteriores vitæ virtutes, caſtitas, abſtinentia, eleemoſynæ, vitiorum odium, admirabilis in adverſis, quibus undique mactabatur, patientia ex ejus vita MS. abundantiùs cognoſcuntur. Ex qua pro viri ſanctiſſimi innocentia adhuc hæc pauca, quæ in Curia Romana cum eo acta ſunt, ſubnecto. „ Intereà incidit „in mentem ejus, ut ad Urbem „tranſiret Romanam, plùs quam „per unum Menſem à prædicatio„ne abſtinuit, volens per oratio„nem devotam, & abſtinentiam „magnam meliùs in animo pro„gredi. Et tunc cæpit jejunare „jejunium Danielis, panem deſi„derabilem non comedendo, in „oratione inſtanter ſacrificium

 „Chriſto

„Chriſto frequenter offerre, & „pœnitentiam agere in cinere, & „cilicio. Er cùm jam deſperâſſet „de Adventu D. Urbani V. Papæ in „Urbem Romanam, tunc præpa„ravit ſe volens iter arripere versùs „Avenionem. Et in tantum venit „ſibi talis cogitatio in mentem: „Vade intima publicè per char„tam, quam affiges oſtiis Eccleſiæ „S. Petri, ſicut ſolitus fuiſti inti„mare in Praga, quando eras præ„dicaturus, quòd videlicèt præ„dicares. Exhortaberis Clerum, „& populum, ut orent pro Domi„no noſtro Papa, & pro Domino „noſtro Imperatore, ut ità ordi„nent Eccleſiam ſanctam in ſpiri„tualibus, & in temporalibus, ut „ſecuri fideles deſerviant Creato„ri. Et quàm citò annexa fuerat „illa litera oſtiis S. Petri, ſtatim „quærebant, ubi eſſet? Ipſe ve„rò non aufugit, qui paratus erat „pro veritate, & mori; ſed devo„tè in eadem Eccleſia orabat, & „quàm citò fuit inventus, ſtatim „fuit per inquiſitorem de Ordine „Prædicatorum arreſtatus. Val„de enim ordines mendicantium „ſibi inimicabantur ex prædica„tione, quam contra Simonia„cam ſuſceptionem ordinis, & pro„prietatem ſpiritualium virorum, „& fœminarum faciebat, & unà „cum Domino Theodorico Ere„mita Presbytero bonæ memo„riæ, cum quo illuc pervenerat, „vinculis gravibus mancipatus. „Et cùm jam ad captivitatem du„cebantur, D. Theodoricus ex „fragilitate humana, conſiderans „injuriam, aliquantulùm ſecum „murmurabat, quod conſiderans „Dominus Militius benigniſſimè „ipſum hortabatur dicens. Fra„ter dilecte memor ſis paſſionis Do„mini noſtri JEſu Chriſti, qui quaſi „ovis ad occiſionem ducebatut „non aperiens os ſuum; Cùm eum „crudeliſſimè tractaverant, non ni„ſi benignè & dulciter, quæ neceſ„ſaria erant, reſpondebat. Sic „quod omnes ſpirituales viri, & „gallici, mirarentur ejus patien„tiam. Ipſe veró fuit carceribus „mancipatus per fratres Minores in „eorum Monaſterio in Laterano, „ubi dicitur ad aram cœli, Domi„nus verò Theodoricus per fratres „Prædicatores in Roma. Ipſe ve„rò Dominus Militius magnas ab„ſtinentias ſibi faciebat in cibo, & „potu, à quibus in toto etiam abſti„nuit à quinta feria, quæ erat ante „Feſtum S. Spiritûs, usque diem „Spiritûs S. & primò finitis veſperis „cibum recepit. Poſt talem verò „corporis macerationem in carce„re, & in genibus orando, eo ne„que totaliter dormiente, neque „vigilante, immenſa claritate S. „Angelus apparuit, & ipſum con„ſalatus eſt, & ſtatim à vinculis, „quibus durè & acriter tenebatur, „ſcilicet cippo, compedibus fuit „ſolutus, & calamare cum incau„ſto, & papyrus, quæ longè ab eo „erant in carcere poſita, ſibi ſunt „allata. Quædam verò vidua de„vota nomine Anka Behemit ſibi „fercula, & D. Theodorico ejus „ſocio parabat: quam ſtudiosè per „ſuum ſcholarem rogabat, ut D. „Theodorico non viliora ſed ſimi„lia fercula daret; quæ dum ſuæ „debilitati compatiens quodam die „jejuno D. Militio uvas paſſas, ſive „uvam vini decoctam miſit, & D. „Theodorico pultes conditas eo„dem die, & non uvam vini ad car„cerem miſit. Cùm verò ſuus „Clericus cum cibariis prædictis ad „euum veniſſet, nec ſibi aliquid de „ferculis D. Theodorici dixiſſet, „ſtatim cæpit dolere, quòd D. „Theodoricus vilioribus ferculis „uteretur, & ſuo Clerico dicebat, „ut rogaret eandem Mulierem, nè „talia ulteriùs faceret. Fratres ve„rò, qui ſub teſtimonio eum in cu„ſtodia habebant, portabant ſibi „ad carcerem panem, vinum & „alia cibaria, & accerſito ejus ſco-

lari,

,, lari, ponebant coram eo dicen-
,, tes: Vides tu, frater, ſi iſte ho-
,, mo morietur propter nimias abſti-
,, nentias, quas corpori ſuo infert,
,, immunes volumus coram Deo,
,, & hominibus apparere: & cum
,, fuiſſet interrogatus, quid prædi-
,, care voluiſſet, reſpondit eis, di-
,, cens: eja ſi ſcire vultis, tunc pa-
,, pyrum detis mihi cum aliis atti-
,, nentiis, quæ ad ſcribendum ſpe-
,, ctant, unà cum biblia mea, quam
,, recepiſtis me carceribus tradendo.
,, Cum verò hæc ſibi oblata fuiſſent,
,, tunc cæpit ſermonem colligere,
,, vinculis exiſtens mancipatus.
,, Cùm verò tempore deputato Præ-
,, lati Eccleſiæ S. Petri, fuiſſent inſi-
,, mul congregati, & alii multi Viri
,, ſcientifici, tunc idem Militius, &
,, D. Theodoricus de carceribus in
,, medium eorum ducti fuerunt, &
,, ibidem Militius ſermonem lati-
,, num coram eis prædicavit, omni-
,, bûs admirantibûs ſuper tali ſermo-
,, ne. Finito verò illo ſermone, à
,, converſo ducti fuerunt, ſed non
,, tam rigidè, & ſtrictè ampliùs tene-
,, bantur. Superveniente verò Ro-
,, mam bonæ memoriæ Beato Urba-
,, no Papa, ſtatim per venerab.
,, Patrem Dominum Cardinalem
,, Albanenſem ambo de manibus
,, inimicorum fuerunt erepti, & per
,, eundem Venerabilem Patrem in
,, domo ſua gratioſè retenti, & in
,, omni neceſſitate eorum compe-
,, tenter procurati. Adverſarii ve-
,, rò eorum ſtatim fuerunt benefi-
,, ciis privati, & venientes ad eos,
,, & veniam petentes, culpam ſuam
,, cognoſcebant, dicentes: meritò
,, hoc patimur, quia peccavimus in
,, Dominum & contrà vos. Cùm
,, verò Pragam veniſſent, quaſi nova
,, lux omnibus Chriſti fidelibus orta
,, fuiſſet, ità gaudebant, quia per
,, Viros religioſos mendicantes
,, ſæpè in eorum prædicationibus
,, audiebant, ubi dicebatur: Cha-
,, riſſimi ecce jam Militius cremabi-
,, tur. Sed quia Dominus miſericors
,, ſemper eruit ſuſtinentes ſe.,, Ha-
ctenus vita MSta. in *Biblioth. Capit. Pragenſis.*

CA-

CAPUT SEXTUM.

Eccleſiæ S. Viti, Epiſcopatûs Pragenſis, & Collegii Canonicorum erectio: in Archi-Epiſcopalem elevatio. Epiſcoporum, & Archi-Epiſcoſcoporum, nec non Præpoſitorum, & Decanorum ſuccincta, & accurata ſeries. Capituli DEO, & Eccleſiæ, Legitimis Principibus, & Summis Pontificibus exhibita fidelitas. Virtutum pietatis, & Doctrinæ merita. Joannis Nepomuceni in Canonicum Pragenſem electio. Munus Concionatoris zelosè obitum. Donum Prophetiæ. Officium Confeſſarii Regii. Wenceslai Regis laudabile regiminis initium.

PRiusquam ad electionem *Joannis*, & reliqua, quæ ùt *Canonicus* geſſit, munia pertingamus, operæ pretium eſt, quasdam *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* & *Capituli* memorias pro meliori ſubſequentium intelligentia breviter præmittere. Capitulum igitur ad Eccleſiam Divi Viti M. in *caſtro Pragenſi*, præclarum hactenus fuit ſacerdotum Synedrium. In decorem autem hujꝰ Eccleſiæ primo-primum meritò cedit, quod à ſancto *Boemiæ* Principe & *glorioſo Martyre Wenceslao erecta ſit, atque fundata.* Hic enim, cum abſolutô ſolemni Principum conventu *Erfurdiæ* à Cæſare *Henrico, cui felix idem* (ait *Chriſtannus*,)(a) *amicus jungebatur aſſiduè*; ad provinciam, regiámque ſuam *Mersburgenſem*, cum quibusdam aliis Principibus honoris gratiâ invitatus fuiſſet, atque ibidem in penitiori conclavi, in quo cæſar theſaurum SS. reliquiarum, quarum æſtimator erat, & amator eximius, præcipuè verò *lanceam Domini*, quam à *Rudolpho* Rege *Burgundiorum* acceperat, *manum S. Dionyſii Areopagitæ*, & *brachium S. Viti*, aliáque ſacra Cimelia, quæ ſucceſſu temporis magìs aucta, reliquiæ imperiales dici meruerunt, habebat recondita, poteſtatem accepiſſet, ex his accipere, quod vellet, *lanceâ* tantùm *Domini* exceptâ, *Wenceslaus* cum *brachio S. Viti* thecæ argenteæ incluſo, die 24. Auguſti (b) Annô Domini 935. lætus *Pragæ* advenit. Nec ultrà cunctatus, ſtatim Architecto, qui ædem *Divo Martyri Vito* in arce minori propè templum *S. Georgii* conſtrueret, imperavit. Sunt hic nonnulli, qui memorent, *S. Vitum* præcedenti nocte *Wenceslao* apparuiſſe, eúmque præmonuiſſe, ut, ſiquid à Cæſare petendum foret, reliquias ſuas peteret (c), ut ut ſit, petendi hæc ſacra lipſana piiſſimus Princeps cauſam habuit vel iſtam, ut popularibus ſuis pleniùs excuteret ſuperſtitioſum præcipui quondam apud illos Numinis, quod *Vitislaum* ſive *Suanto-Vitum* nominabant, cultum, (d) id quod nominis affinitate, haud difficulter ſe effecturum ſperabat. Sub hæc *Wenceslaus*, nè ſinè debita legalitate ſtructuram Eccleſiæ inchoaret: *legatos ablegat Ratisbonenſem ad Pontificem* (verba ſunt *Chriſtanni*) *in cujus tunc temporis diœceſi conſtabat Boëmia ſecundùm ſtatuta Canonum, ùt licentiam illi Pontifex tribueret ædificandi Baſilicam, Pater inquiens, meus, templum in honore olim ſtatuit B. Georgii, egomet verò licentia cum veſtra eodem geſtio condere more in honore B. Chriſti Martyris Viti.* His auditis *Epiſcopus Ratisbonenſis*, nomine *Tuto* (e) Vir vitæ ſanctimoniâ conſpicuus, magnâ

men-

(a) Chriſtan. in vit. S. Wencesl.

(b) M. S. Membran. Martyrolog. Prag. Eccleſ. ad diem 24. Aug.

(c) MS. Anonym. in vit. S. Wences. ex Bibl. Colleg. Clement. S. J. Prag. Cod. IV. N. 496.

(d) P. Stranſky Reipubl. Bojem. c. 6. §. 2.

(e) Avent. lib. 4. Annal. Boje. & Chriſtan. in vit. S. Wencesl.

mentis hilaritate legatis piiſſimi Ducis reſpondit: *Filio meo feliciſſimo Wenceslao hæc redeuntes mandata referte: Eccleſia tua jam venuſtiſſimè ante Dominum conſtructa extat.* Quo nuntio exhilaratus Princeps inſtans operi, ædificium Eccleſiæ perfecit, non tamen conſecratum, *martyriô An. 939. præventus* reliquit (f). *Boleslaus* verò fratricida, licèt cæterùm nihil præcone dignum egiſſet, miſerabili ſuæ Matris interitu perculſus, ac miraculis etiam ad tumbam *S. Wenceslai* patratis permotus, exornandum *Divi Viti M.* templum animô feriô ſibi aſſumpſit. Quod ut reipſa oſtenderet, ad *Michaelem Epiſcopum Ratisbonenſem* (qui *Tutonem* intermedio *Iſingrini*, *Cunradi*, & *Guntheri* brevi regimine Præſulatu ſecutus erat) nuntios miſit, ac magna ſui humiliatione, & oblatis etiam muneribus inſtanter ſupplicavit; quatenus Epiſcopus ædificatam à fratre ſuo Baſilicam conſecrare dignaretur. Tandem ubi Dux voti compos factus eſt, plebs univerſa, & proceres, atque clerici Epiſcopo obviàm effuſi, eundem magno cum honore, & animi lætitia in *caſtrum Pragenſe* traduxêre. Atque *An. 940 decimo Calendas Octobris Eccleſia Divi Viti conſecrata eſt.* (g) Quoniam vero non in ſolo ædificio *D. Wenceslai* liberalitas ſubſiſtebat, verùm & Patris ſui *Wratislai* exemplo (qui An. 913. ad ædem *Divo Georgio* ſacram petitâ è *Wiſſehrado*, quod tunc teſte *Peſſina* (h) præ omnibus maximô Sacerdotum numerô fulgebat, coloniâ, collegium novem clericorum, è duobus nempe *Subdiaconis*, duobus *Diaconis*, & quinque *Presbyteris*, è quorum numero unus gradu *Archi-Presbyterii* eminebat, inſtituerat (i)) identidem ad *Divi Viti* Eccleſiam certum Clericorum & Sacerdotum numerum, qui inibi divina operarentur, è *Wiſſehrado* introduxit. Quibus dein numerum octavum complentibus *Præſul Tuto* Eccleſiaſtica agendi ordinem, vitæque normam ponens, è Clero Bavariæ (ex quo tunc, *Boemis*, nondum ſubjecta emittentibus, *coetus Sacerdotum Wiſſehradenſium* potiſſimum conſiſtebat.) in *Archi-Presbyterum* præfecit, doctum, & valde exemplarem virum nomine *Gerardum*. Illi ergò Sacerdotes magnô Zelô, & ſanctæ vitæ exemplîs novam *Divi Viti* Eccleſiam exornantes, ſingulari pietate, & devoti animi ſtudiô ſacris intenderunt, ac indefeſsô concionum, catecheſiúmque labore multam è gentilibus *Chriſto* meſſem aggregârunt. (k) Ad hæc novum rurſus, ac ingens Eccleſiæ decus acceſſit, dum ad preces, *Boleslai II.* cognomine *Pii*, & ſororis ejus *Miladæ* (quæ primum regulare cœnobium, idque pro ſacris Virginibus Ordinis *S. Benedicti* ad *S. Georgium* in *caſtro Pragenſi* excitaverat) *Joannes XIII.* Romanus Pontifex An. 971. Epiſcopalem Cathedram, ac tandem Annô 1344. *Caroli IV.* Imperatoris operâ *Clemens VI.* Rom. Pontif. ſedem Metropolitanam *Boemiæ* conceſſit. Perchàrum hìc arbitror, fore Lectori ſi brevem *Epiſcoporum*, & *Archi-Epiſcoporum Pragenſium* ſeriem, quam è vetuſta membrana Bibliothecæ *Eccleſiæ Pragenſis*, manu ſæculo decimo quarto exarata deſcripſi, ſubnectam. Ubi tamen notandum, quòd in annis ordinationis *Dithmari*, & *Adalberti* cronologiam *Coſmæ* ſequatur; ſuper qua conſulendæ notæ in *Cap. 1.*

(f) Chriſtan. in vit. S. Wencesl.

(g) Coſmas Cron. lib. 1. fol. 12.

(h) Peſſin. in Phoſph. Rad. 3. fol. 129.

(i) MS. Vetuſt. Codex Membran. Monaſt. S. Georg Hammerſchmid in Hiſtor. Monaſt. S. Georg. §. 1. fol. 4.

(k) MS. Joan. Epiſc. Litomyſs, in vit. S. Wencesl.

SERIES EPISCOPORUM PRAGENSIUM è VETUSTA MEMBRANA ECCLESIÆ PRAGENSIS.

2. DIETHMARUS *Epiſc. Prag. primus* cœpit Annô Domini DCCCCLXVII. obiit autem Annô Domini DCCCC LXIX. IV. Non. Janu.

S. ADALBERTUS *M. Epiſc. Prag. II.* obiit Anno Domini DCCCC XCVII. VIII. Cal. May.

TEDAGUS *Epiſc. Prag. III.* obiit Annô Domini MXVII. III. Non. Junii.

HELICARDUS *Epiſc. Prag. IV.* obiit Annô Domini MXXIII. VI. Idus Auguſti.

ICZO *Epiſc. Prag. V.* obiit Annô Domini MXXX. III. Cal. Februarii.

SEVERUS *Epiſc. Prag. VI.* obiit Annô Domini MLXVII. Idus Decembris.

Hic tranſtulit corpora *SS. Adalberti*, quinque fratrum, & *B. Gaudentii*, ſui germani, de Eccleſia *Geznenſi* ad Eccleſiam *Pragenſem* cum Duce *Brzetislao* filio *Odolrici IX.*

GEBHARDUS *Epiſc. Prag. VII.* obiit Anno Domini MLXXXIX.

COSMAS *Epiſc. Prag. VIII.* obiit Annô Domini MXCVIII. IV. Idus Decembris.

HERMANNUS *Epiſc. Pragenſ. IX.* obiit Annô Domini MCXXII. XV. Calend. Octobris.

MEGNARDUS *Epiſc. Prag. X.* obiit Annô Domini MCXXXIV. Hic creavit quinque Præbendas Canonicales in *Eccleſ. Pragenſi.*

JOANNES I. *Epiſc. Prag. XI.* obiit Annô Domini MCXXXIX. VI. Idus Auguſti.

OTTO *Epiſc. Prag. XII.* obiit Annô Domini MCXLVIII.

DANIEL *Epiſc. Prag. XIII.* obiit Annô Domini MCLXVII.

FRIDERICUS *Epiſc. Prag. XIV.* obiit Annô Domini MCLXVIII.

VALENTINUS *Epiſc. Prag. XV.* obiit AnnoDom. MCLXXXII.

BRETISLAUS qui & *Henricus Epiſc. Prag. XVI.* obiit Annô Domini MCLXXXXVIII. hic etiam ſimul fuit *Dux Boemiæ.*

DANIEL *Epiſc. Prag. XVII.* obiit Annô Domini MCCXIV.

ANDREAS *Epiſc. Prag. XVIII.* moritur in exilio Annô Domini MCCXXIV.

PERE-

PEREGRINUS *Epiſc. Prag. XIX.* Eodem Anno per Papam deſtituitur, hic ſepultus ad *S. Clementem.* Fratrum Prædicatorum quidem monaſterium dilatavit.

BYDYLOW *Epiſcop. Prag. XX.* obiit Anno Domini MCCXXVII.

JOANNES II. *Epiſc. Prag. XXI.* obiit Anno Domini MCCXXXVI. Cal. Septembr.

BERNARDUS *Ep. Prag. XXII.* obiit Annô Domini MCCXXXIX.

NICOLAUS *Epiſ. Prag. XXIII.* obiit Annô Domini MCCLXXVI. VIII. Cal. Februarii.

JOANNES III. *Ep Prag. XXIV.* obiit Annô Domini MCCLXXVII.

TOBIAS *Epiſc. Prag. XXV.* obiit Annô Domini MCCXC. VI. Cal. Martii. Dominus in *Bechin.* Hic incaſtellavit Eccleſias Parochiales in *Rudnicz.* in *utroque Tyn*, in *Rokiczano*, in *Rezicz*, in *Stiepanovv*, in *Krzyvvoſudovv*, in *VVyskytna*, in *Heralecz.*

GREGORIUS *Epiſc. Prag. XXVI.* obiit Anno MCCCI. hic prædicavit ad vulgum in Eccleſia Pragenſi usque ad mortem.

JOANNES IV. *Epiſc. Prag. XXVII.* obiit An. Dom. MCCCXLIII. In octava Innocentium. Hic fundavit, & dotavit monaſterium in *Rudnicz*, & pontem lapideum ſumptuosè conſtruxit. De novo caſtra duo ſolemnia, *Herſtein* videlicet, & *Hyrsberg*, aliàs *Supyhora* propriis, emit ſumptibus, & *Eccleſiæ Pragenſi* pro Epiſcopatu intabulari obtinuit. Item *tres præbendas Canonicales* in *Eccleſia Pragenſi*, ac Altaria duo *SS. Laurentii* & *Sylveſtri*, & *S. Marthæ* creavit & dotavit. Epiſcopus ultimus jacet in *Rudnicz.* Hactenus membrana. Ejus marmor ſepulchrale, corpore pridem ad Eccleſiam Metropolitanam translato, oſtenſum mihi nuper fuit, in Eccleſia *Raudnicenſi*, quæ nunc ſplendidè reſtauratur, ante aſcenſum ad chorum in fine Presbyterii, & ibi in pariete ad partem Sacriſtiæ ſcripturam marmori inciſam legi ſequentem:

„ Annô Domini MCCCXXXIII. Feriâ tertiâ in Feſto Pentecoſtes „Venerabilis in Chriſto P. Dominus Joannes IV. filius Georgii à *Dra-„czicz* Pragenſis Epiſcopus XXVII. Annô ordinationes ſuæ XXXII. hoc „monaſterium ad honorem S. Mariæ Virginis fundavit, & erexit, ac „ſufficienter dotavit, Canonicos Regulares inſtituens in eodem. Idem „etiam Epiſcopus eodem anno in Feſto S. Bartholomæi pontem in „Raudnicz per flumen conſtruxit, per ſeptem annos in eo laborando, „ſuis ſumptibus fecit ipſum pontem, & chorum dicti monaſterii, cui „DEus interceſſione in præſenti vitam bonam, in futuro cum electis „ſuis manſionem tribuat.„ Hactenus inſcriptio.

In vetuſto *Regiſtro* fundatorum Altarium *Eccleſ. Prag. Fol.* 22. de eodem legitur: „ Joannis Epiſcopus Pragenſis XXVI. dedit in villa Geſ-„ſenicz XVII. Marcas graves An. 1307. pro tribus miſſis ad altare S. „Sylveſtri in Capella S. Laurentii: cujus collatio ad Archi-Epiſcopum „pertinet: Et Fol. 26. Idem Joannes fundavit altare S. Marthæ poſt S. „Sigismundum quatuor miſſarum, cujus collatio ad Capitulum Pragen-„ſe pertinet, qui Joannes Epiſcopus Pragenſis jacet in Eccleſia Pragenſi „in Capella S. Laurentii. „ Hæc ibi.

Sequitur ſeries Archi-Epiſcoporum Pragenſium è codice manu *Hilarii* Decani, *Pragenſis* exarato *fol. 456.*

3. SERIES ARCHI-EPISCOPORUM PRAGENSIUM.

ARNESTUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis Eccleſiæ Primus* obiit Annô Dom. MCCCLXIV. die Dominico horâ quaſi veſperarum ultimâ die menſis *Junii.* Obiit autem in caſtro ſuo *Rudnicz* annô ordinationis ſuæ XXII. Hic propriis ſumptibus ad plenum ædificavit, & conſtruxit, & dotavit monaſteria, & libris & ornatibus - - - ad plenum finivit.

Primum monaſterium in *Glacz* in honorem *S. Mariæ*, in quo locavit Canonicos Regulares Ordinis *S. Auguſtini*, ubi etiam corpus ejus requieſcit in Eccleſia - - - Parochiali *S. Mariæ*, propter miraculum, quod viderat juvenis Clericus exiſtens, prout aliàs hoc deſcriptum eſt manu propria ipſius Domini *Arneſti*, & habetur in Monaſteriis ejus.

Secundum in *Jermer* (*Jaromiry*). *Tertium* in *Saczka.*

Quartum in *Rokiczano* ejusdem ordinis ùt ſuprà. Item Hoſpitale in *Broda Bohemicali* ſimiliter conſtruxit, & dotavit pro infirmis, & debilibus nutriendis. Item hoſpirale in *Libano* oppido patrimonii ſui conſtruxit & dotavit. Hic etiam Dominus *Arneſtus* mediam Baroniam *de Roſenthal* datis ad certas vitas bonis menſæ Epiſcopalis in *Poczjedielicz* Epiſcopatui *Pragenſi* tempore ſui regiminis incorporari, & uniri obtinuit. Caſtrum in *Przibrami* de novo conſtruxit, ædificia, & muros in caſtris Epiſcopatûs reformavit. Officium *Correctoris Cleri* ad reprimendam inſolentiam inſtituit Clericorum, in domo ſua eundem correctorem cum Notario & famulo tenuit providendo de neceſſariis opportunis. Hìc etiam fecit ſtatuta Eccleſiæ *Pragenſis* & Provincialia.

In cujus Anniverſario Præpoſitus & conventus de *Glacz* tenetur dare quinque marcas graves miniſtris *S. Antonii*, de quibus 32. Gr. pro officio & Candelis. In libro portionum quotidian. *Eccl. Prag.* inveni vetuſtam ſyngrapham, quæ ſic ſonabat. *Hìc ſunt quinque marcæ graves depoſitæ per Wenceslaum Fratrem Religioſum de Glacz pro Anniverſario Domini Arneſti Archi-Epiſcopi Prag. quæ dies cadit in octavam Joannis Baptiſtæ, ſive tertiam diem poſt Petri, & Pauli.*

In Bibliotheca Eccleſiæ *Pragenſis* obſervantur ſex grandes membranei Codices *Arneſtiani* dicti, quia ejus expenſis ſunt conſcripti, continentes divinum officium Eccleſiæ & Archi-Epiſcopatûs *Pragenſis*, velut *Antiphonas*, *Sequentias*, *Kyrie*, *&c.* cum notis, ultimus habet officium *S. Dorotheæ V. M.* In primo appicta ſunt inſignia *Arneſti*, medius equus albus in campo rubro, cum inſcriptione: *An. Domini MCCCLXIII. Dominus Arneſtus Pragenſis Eccleſiæ primus Archi-Epiſcopus fecit ſcribere hunc librum, ut Domini Canonici eo utantur in Eccleſia prædicta. Obiit autem prædictus Dominus Arneſtus An. Dom. MCCCLXIV. ultima die Menſis Junii. Cujus anima requieſcat in pace. Amen. Arneſti* effigis ſaxo inciſa ſpectatur in pergula ſuper Presbyterio Eccleſiæ Metrop. *Pragenſi*, adjecta ſequenti vetuſtate exeſa, & lacera inſcriptione:

Erneſtus I. Archi-Epiſcopus Prag. - - - - dotavit, ac Monaſterium S. Mariæ, Can. Regul in Glacz Item monaſteria ejusdem Ordinis in Saczka, &

& in Rokyczano, ac hoſpitale in Broda. Obiit MCCCLXIIII. die ultimo Menſis Junii - - - ſepultus in Glacz.

JOANNES *Archi-Epiſcopus Pragenſis II.* dictus *Ocellus de Wlaſſim*, Apoſtolicæ verò ſedis *Legatus primus.* Cæpit Anno Domini MCCCLXIV. in die *B. Galli*, in Eccleſiam *Pragenſem*. & in poſſeſſionem Archi-Epiſcopatûs inductus. Et præfuit feliciter Eccleſiæ prædictæ annis XIV. demum in fine anni quatuordecimi feriâ VI. quatuor temporum, quo cantatur: *Venite adoremus.* Qui fuit dies XVII. menſis *Septembris* per Dominum *Urbanum Papam VI.* in Cardinalem creatus, cui etiam capellum Cardinalatûs fuit per Dominum *Petrum* Cardinalem *Ravennatenſem* de An. Dom. MCCCLXXIX. menſe *Martio*, die VI. ejusdem Menſis, in Dominica *Reminiſcere* horâ quaſi Veſperarum per eundem Cardinalem traditum, extra Civitatem *Pragenſem* in ſtrata montis *Cuthnæ* circa cumulum lapidum, qui à vulgaribus dicitur *pauſa* ſive *Requies B. Wenceslai M.* in præſentia Sereniſſimæ Principiſſæ Dominæ *Eliſabeth* Imperatricis Romanæ, & copioſa multitudine Baronum, Nobilium, Regni Prælatorum, Magiſtrorum, Scholarium ſtudii Pragenſis, & multorum advenarum partium diverſarum. Hic Dominus *Joannes* Archi-Epiſcopus II. conſtruxit, & dotavit capellam in Eccleſia *Pragenſi* in honorem *S. Erhardi & S. Ottiliæ Virgi* in eadem elegit ſepulturam. Item in caſtro *Pragenſi* ad *OO. SS.* miſſam de *B. Virgine* inſtituit cantari per Miniſtros ſingulis diebus ante primam, quam ſufficienter dotavit & etiam Capellam *OO. SS.* quàm plurimùm de novo ſumptibus ſuis conſtruxit. Item hoſpitale ſub *Wiſſeprado* in honorem *S. Mariæ de humilitate* pro pauperibus, & in *Hradczano S. Antonii & S. Eliſabeth* pro Clericis infirmis civitatis, & diœceſis *Pragenſis*, quæ hoſpitalia dotavit optimè. Item in Eccleſia *Wratislavienſi* & in Collegio *Budiſſinenſi* procuravit teneri ſolemniter feſtum *S. Wenceslai* cum hiſtoria propria, & miſſæ officio, & die ipſo certos cenſus perpetuò pro Eccleſia prætacta, inter Canonicos, & Miniſtros ipſo die divino officio intereſſentes dividendos comparavit, & incorporavit, de conſenſu Domini Imperatoris prænotati. Vicarii ejus Generales *Jenczo* & *Buſco* de *Sezema* Canonici Pragenſes. Hic oppidum *Hoſtka*, caſtrum *Helffenburg* cum ſuis pertinentiis emit pro menſa Epiſcopali. Muros circulares dicti caſtri & alia ædificia de novo conſtruxit, & reformavit. Et ſimiliter turrim in *Rudnicz* perfecit, omnia commoda (legi debet commata) cum cæteris ſumptuosè erexit. Novam civitatem in loco vinearum ex oppoſito caſtri inſtituit à fundamento. Item fontem pulcherrimum pro uſu incolarum novæ civitatis prædictæ fieri mandavit. Poſt quæ, & alia virtutum opera, quæ hîc causâ brevitatis omittuntur, de Annô Dom. MCCCLXXX. perceptis Sacramentis, videlicet ſalutari viatico corporis Dominici, & extrema unctione, in fidei puritate, die 14. menſis *Januarii* horâ noctis undecimâ, & quasì plenus dierum bonorum migravit ad Dominum, videlicet Anno ætatis ſuæ LXXVII. velut ipſemet ſana mente ſuis Secretariis ſæpiùs expreſſit. Cui etiam tanquam Legato Dominus Imperator oppidum in *Bavaria* diœceſis *Ratisbonenſis* & Eccleſiam in *Bernavv* cum jure Patronatûs donavit.

In libro *Portion. quotidian. Eccl. Prag.* de anniverſario ejus lego. *Die XIX. Kalend. Febr.* (neſcio, quo fato *P. Crugerius* in Calendario ſuo hiſtorico mortem ejus *Calendis Januariis* adſcripſerit) *obiit Dominus Joannes Archi-Epiſcopus Pragenſ. & Cardinalis; in cujus anniverſario aliàs S. Erhardi & S. Ottiliæ tenetur dare IV. Sexag. pro portione & V. Gr. pro officio & candelis & V. Grl.*

V. Gr. *pro miſſis.* In vetuſto *Regiſtro Fundat. Altar.* ſuprà cit. *Fol. 26.* rurſum lego. *Joannes Archi-Epiſcopus Prag. dotavit. altare S. Erhardi & Ottiliæ in Capella ejusdem, dedit primò villam Dubrzan prope Sacz. XXII. ſexag. Anno 1367. ut celebrentur quatuor miſſæ 1. de B. Virgine. 2. de Patronis. 3. pro defunctis. 4. de die, id eſt, de tempore.*

Reconditus jacet in ſua *S. Erhardi & S. Ottiliæ* capella, quæ nunc *S. Joannis Nepomuceni* vocatur, ob conſecratum ibi in honorem ejus primum altare. Monumentum *Joannis* Archi-Epiſcopi, cui tanta ejus ex alabaſtrite effigies, quantam, dum viveret, magnitudine expreſſerat, ſuperincumbit, ſolum inter omnia Epiſcopalia ſepulchra illæſum, ac integrum poſt tot *Huſſiadum* turbas manſit, aut interceſſione ſuorum anteceſſorum, quorum ille hinc inde non ſatis honorè tumulata corpora, retro *S. Viti* bina ſerie, ſeptem in unaquaque lapideis, intra terram tumbis decenti pompâ collocârat, aut virtute *S. Joannis Nepomuceni*, cùm hujus Archi-Epiſcopi tempore fuerit Canonicus, & in virtute propugnanda ad Aulam *Wenceslai* pigri comilito, ſepulchrum quoque ſuum ante capellam *Joannis Wlaſſimi*, ac primam aram in ipſa Capella elegerit. Ad parietem pro epitaphio legitur vetus ſcriptura ex litteris cubitalibus quadratis.

„ An. Dom. MCCCLXIV. defunctô Arneſtô primô Archi-Epiſcopô Pragensî, Prælati, & Canonici capitulariter congregati, unanimi conſenſu Joannem Epiſcopum Olomucenſem Caroli IV. Imperatoris Secretarium, & Conſiliarium intimum in Archi-Epiſcopum Pragenſem elegerunt. Qui poſtea Presbyter Cardinalis Baſilicæ XII. Apoſtolorum. & Legagatus natus à S. D. N. Papa Urbano VI. creatus eſt. Bona mobilia nonnulla pro Archi-Epiſcopatu Pragenſi propriâ pecuniâ emit, hoſpitalia pro pauperibus erexit. An. MCCCLXXX. obiit in hac capella ab ipſo ædificata ſepultus jacet. „

Et infrà aureis literis.

„ An. Dom. MCCCLXXX. die XIV. menſis Januarii obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater Dominus Joannes Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis olim Archi Epiſcopus Pragenſis Apoſtolicæ ſedis Legatus primus. „ In ſuperiori Eccleſiæ Metropolitanæ pergula ſuper Presbyterio effigies ejus ſaxo inciſa quoque ſpectatur cum ſequenti vetuſtate lacera inſcriptione:

„ Joannes Archi-Epiſcopus Prag. Legatus Primus, dotavit Altare B. V. M. in capella omnium Sanctorum. - - - Item conſtruxit, & dotavit - - - Virginis Mariæ ſub Wiſſehrado. Item hoſpitale S. Antonii, & S. Eliſabeth - - - Clericis Pragenſibus - - - Hìc moritur An. Dom. MCCCLXXX. Die XIIII. menſis Januarii. „

JOANNES *de Genczſtein Archi-Epiſcopus Pragenſis III.* natus Domini *Pauli de Genczſtein* fratris Germani præfati Domini Cardinalis, de Eccleſia *Miſnenſi* ad Eccleſiam *Pragenſem* poſtulatione Capituli per Dominum *Urbanum* Papam VI. translatus, ac receptus concorditer per capitulum *Pragenſe*, clerum & populum, & miſſus in poſſeſſionem dicti ſui Archi-Epiſcopatûs *Pragenſis* de An. Dom. MCCCLXXXI. menſe *Martii.* Hic ædificavit caſtrum *Kryſsberg* cum muris & turribus. Et iſte *Joannes* olim Epiſcopus *Miſnenſis* poſtea Archi-Epiſcopus *Pragenſis* inſtituit celebrari feſtum *Viſitationis B. V. Mariæ*, & hiſtoriam de eo feſto devotam compoſuit, & procuravit,

quòd

quòd per totum mundum illud feſtum teneatur modò, & omnia beneficia ſua dicebat ſibi dari interceſſione *B. Mariæ Virginis Viſitationis.* Iſte mortuus eſt in curia *Romana*, & dicitur *Beatus.* Quia in domo ſua prope pontem *Pragenſem* (è regione domûs Saxonicæ) videns ſomnium vel viſionem terribilem, quomodo vulgus invadit clerum, & perſequitur, & rapit ei claves vi, intellexit futura mala in *Bohemia*, & advocans Doctorem Aſtronomiæ *Gallum Magnum*, ille idem dicebat, ideò propter hanc viſionem ceſſit An. Dom. MCCCLXXXXVI. in *Aprili*, Archi-Epiſcopatum in favorem ſui conſanguinei *Wolframi*, & mortuus eſt An. Dom. MCCCC. die XV. Calend. Julii *Romæ* in monaſterio *S. Praxedis.*

WOLFRAMUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis IV.* obiit An. Dom. MCCCCII. in die *S. Sigismundi* in curia ſua, & ſepultus in turri nova.

Idem codex Confirmat. Pleban.
„ Archi-dioec. Prag. fol. 1.
„ Annô Dom. MCCCC II.
„ die prima menſis May, vi-
„ delicet Feriâ ſecundâ, in die
„ SS. Philippi & Jacobi obiit
„ Reverendiſſimus in Chriſto
„ Pater Dominus Wolframus
„ Archi-Epiſcopus Pragenſis.
„ Orate pro eo.

NICOLAUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis V.* Vicarius antea in ſpiritibus eligitur per Capitulum in Archi-Epiſcopum, & confirmatur per *Bonifacium* Papam IX. ſed ante ſui conſecrationem moritur in *Podyebus* caſtro Domini de *Roſenberg* (nunc arx inter rudera in diſtrictu *Brachinenſi* prope oppidum *Netolicz* in ſylvis) & ſepelitur in caſtro *Pragenſi* An. Dom. MCCCCII.

Codex MS. Confirmat. Pleban.
„ fol. 1. die XIX. menſis Se-
„ ptembris Feriâ ſecundâ poſt
„ Feſtum S. Ludmillæ obiit
„ Dominus Nicolaus Puchnik
„ Electus, & proviſus Eccleſiæ
„ Pragenſis.

ZBINKO *Archi-Epiſcopus Pragenſis VI.* filius *Wilhelmi de Haznburg*, & *Annæ* de *Slavatin.* In die *S. Wenceslai M.* obiit Reverendiſſimus in Chriſto Pater & Nobilis Dominus Dominus *Zbinko* de *Hazenburg*, Archi-Epiſcopus *Pragenſis* in *Ungaria* in *Presburg*, ſepultus ſub turri nova in Eccleſia *Pragenſi.*

ALBICUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis VII.* ſedis Apoſtolicæ Legatus VI. cepit An. Dom. MCCCCXII. inter XI. & XXIX. May confirmatus. *Lib. 9. Erect. MS.* vocatur *Albertus. Albertus Dei gratiâ Electus, & proviſus Eccleſiæ Pragenſis. Die* 17. *May An.* 1412. Patria ejus fuit *Unczovia* Marchionatûs *Moraviæ.* Ibidem *M.* 11.

CONRADUS WESTPHALUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis VIII.* (dictus de *Vechta* patria ſua *Vechte* urbecula Epiſcopatûs *Monaſterienſis* ad lacum *Dammerenum.* In inſigni ſuo hircum gerens, qui omnino devoravit florentia olera horti Archi-Epiſcopalis) antea Epiſcopus *Olomucenſis*, donavit Præpoſituram *Wiſſehradenſem* pro Archi-Epiſcopatu. Iſte *Conradus* fuit excœcatus in fine vitæ. Item excommunicatus, & depoſitus in curia Romana, tanquam fautor hæreticorum; qui conſecravit *M. Joannem Rokyczanam* in *Rudnicz*, cœcus, & valetudinarius celebravit miſſam, & unxit in Epiſcopum.

Hactenus MS. Codex *Hilarii* Decani, qui vulgò dicitur *Regiſtrum Fundat. & Altarium Eccleſiæ Prag. Fol.* 456.

In-

Ingruente dein hæreſi Huſſitica *ſedes Archi-Epiſcopalis Pragenſis direptis omnibus bonis vacavit* per annos facilè centum & quadraginta, nempe ad annum usque 1561, quo *Ferdinandus I.* Imp. & *Boemiæ* Rex aſſignatis ſex millium imperialium pro ſubſiſtentia, & empta domo *Floriani* de *Krieshek* Aurati Equitis, Domini in *Kaczerovv* & *Plaſs* ad portam caſtri *Pragenſis* pro reſidentia, *Pragenſem* Archi-Epiſcopatum, imparem quidem veteri gloriæ, bonô tamen rei Catholicæ auſpició reſtauravit. Suprema interea ſacrorum adminiſtratio erat penes *Capitulum Metropolitanum Pragenſe*, quod toto illo hæreſeos *Huſſiticæ* tempore in fide Catholica conſtans, ac fidele permanſit.

SERIES ARCHI-EPISCOPORUM PRAGENSIUM POST RESTAURATAM SEDEM, è MANUSCRIPTIS ARCHIVI CAPITULARIS PRAG. ET BULLIS APOSTOLICIS CONFIRMATIONUM.

4. ANTONIUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis IX. Moravus Mohelnicenſis* Parentibus conditione tenuibus, virtute autem opulentis, die *XIII. Februarii An. 1526.* ortus. Matrem reperi in *Protocol. Martini Archi-Epiſc. fol. 7.* fuiſſe *Margaretham*, antea Epiſcopus Viennenſis, & Crucigerorum cum rubea ſtella Generalis Magiſter, nec non Canonicus *Pragenſis*, concionator bellicus *Ferdinandi I.* Imperatoris, qui poſt diuturnam vacantiam ſedem Archi-Epiſcopalem reſuſcitavit. Confirmatus à *Pio IV.* Rom. Pontifice.

Verba Bullæ, quæ ex ipſo Originali membraneo in Archivo Archi-Epiſcopali aſſervato exſcribo, ſunt ſequentia:

„ Sanè Eccleſia Pragenſis à „ centum annis citra ad hæc usque „ tempora certo modo Paſtoris ſo- „ latio deſtituta. Nos verum & ul- „ timum dictæ Eccleſiæ vacationis „ modum; etiamſi ex illo quævis „ qualis reſervatio, etiamſi in cor- „ pore juris clauſa reſultet, præſen- „ tibus pro expreſſo habentes, & „ ad proviſionem ejusdem Eccleſiæ „ celerem, & felicem, nè illa lon- „ gæ vacationis exponatur incom- „ modis, paternis, & ſollicitis ſtu- „ diis intendentes &c. Demum ad „ te &c. Et infrà. Et inſuper, „ poſtquam dictus Ferdinandus Rex „ reditus ſex millium Thalerorum „ hujusmodi eidem Eccleſiæ aſſi- „ gnaverit, & ſummam aliorum „ octo millium Thalerorum ſimi- „ lium in reparationem fabricæ Ec- „ cleſiæ Pragenſis, & ſuſtentatio- „ nem illius miniſtrorum prædicto- „ rum & alios uſus præfatos eroga- „ verit, ut præfertur, jus patrona- „ tûs, & præſentandi perſonam ido- „ neam ad dictam Eccleſiam Pragen- „ ſem, quoties illius vacatio ex tunc „ de cætero pro tempore occurrerit, „ Romano Pontifici pro tempore „ exiſtenti per eum in ejusdem Ec- „ cleſiæ Archi-Epiſcopum & Paſto- „ rem ad præſentationem hujusmo- „ di perficiendam dicto Ferdinando, „ & pro tempore exiſtenti Boëmiæ „ Catholico Regi, dicta authoritate „ tenore præſentium reſervamus, „ concedimus & aſſignamus. Da- „ tum Romæ apud S. Petum Annô „ Incarnat. Domini 1561. Nonis „ Septembris. Pontificatûs noſtri „ annô ſecundô. „ Pro ingreſſu ad ſedem Archi-Epiſcopalem, allocutionem habuit *Antonius* gratiarum actoriam ad Capitulum, in qua id ob-

ob ſervatam fidem Catholicam, defenſam, ac adminiſtratam juriſdictionem Archi-Epiſcopalem, ac maximè *ob prædicationis verbi Dei zelum*, obrizæ laudis encomiis ſæpè multùm exornat, velut: O! *felicem Epiſcopum, qui tam doctos habet Canonicos, ut ejus ſint in inſtitutione populari è Cathedra fideles coadjutores.* Dein poſt plura. „ Et in officium veſtrum prædicando verbum Dei intrare videmini, qui partes Epiſcopales agitis ſede plena conſiliis, ſede vacante adminiſtratione. Certè equidem, ſi nuperô hæreſum diſturbiô in Germania plus ſcientia, & doctrina, quam ſæcularis ſplendor in capitulis obtinuiſſet, tot Epiſcopatuum, & Eccleſiarum ruinas non ſenſiſſemus. „ Dein poſt plurimas laudes à fidelitate ante finem addit: „ Ut ergò ſcientia, & doctrina inter fratres hujus Collegii ab anteceſſoribus ad virtutem exculta, jugiter conſervetur, FIAT VOBIS PRÆDICATIONIS CATHEDRA, HUJUS CANONICATUS JANUA: MS. Diar. Scribon. Præpoſ. Archiv. Capit. „ Deſuper *An. 1562. die* 10. *Januarii* (verba recito ex *Cop. Authent. Archiv. Capit.*) „ in præſentia Reverendiſſimi Domini Zachariæ Epiſcopi Pharenſis, Nuntii Apoſtolici Pii IV. Rom. Pontificis, ad Ferdinandum I. Rom. Imperat. cum poteſtate Legati de Latere, præſtiterunt juramentum fidelitatis Reverendiſſimo Domino Antonio à Mughcz Pragenſi Archi-Epiſcopo, Venerabiles Viri Capitulares, Doctor Henricus Scribonius Præpoſitus, Petrus Linden Decanus, Sigiſmundus Crococius Archi-Diaconus, Joannes Periſticenus Scholaſticus, Petrus Telczanus Canonicus, & Gregorius Cuſtos Eccleſiæ Pragenſis, & promiſit viciſſim Antonius Archi-Epiſcopus, quòd eos uti, potiri, & gaudere omnibus, & quibuscunque juribus, privilegiis, gratiis, & indultis permittat, quæ à ſede Apoſtolica per eos, aut per eorum anteceſſores impetrata eſſe conſtiterint. „ Fuit autem *Antonius*, ſi ullus, ſancta *Pragenſi* ſede dignus, magni conſilii, prudentiæ, & doctrinæ, benignus, & omnibus ſincerè affabilis, ad oecumenicam *Tridentinam* Synodum, ad quam eodem *An.* 1562. poſt initium *Januarii*, Cæſareus Orator *Pragâ* abiverat, omnem ſeriem rerum cum laude expedivit. Redux Archi-diœceſim in perſona viſitavit, & SS. Tridentinæ Synodi decreta (aſſiſtente *Ferdinando I. Rom.* Imp. & *Boëmiæ* Rege) ad jugem ubique in toto regno obſervantiam induxit. *Beatus igitur* (inquit *Zbignæus* Archi-Epiſcopus *Prag.* in *præfat. ad Synod.*) „ fuit Antonius Archi-Epiſcopus, qui cùm primùm Tridentô rediit, quo Ferdinandi Imp. Orator ad S. Tridentinum Conſilium acceſſerat, confeſtim in eam curam incubuit, ut Clerum quàm optimis moribus imbueret, eùmque, quantùm humanis viribus conſequi poſſet, ad priſtinum illum pietatis, Religionis, & Sanctitatis nitorem traduceret. Illico enim univerſum Clerum per ſingulos Archi-Diaconatus viſitavit, deinde ad diœceſanam Synodum cogendam animum appulit. „ Officium coronandi Reges *Bohemiæ*, tanto tempore neglectum, ac interim per *Olomucenſem* obitum, per ſuam perſonam in *Maximiliano II.* Annô 1562. die 20. *Septembris*, in *Maria* ejus conjuge 21. *Septembris*, & in *Rudolpho II.* Annô 1575. 16. *Septembris* magnificè, & glorioſè obivit, & explevit. Vi præterea omni, & ſpiritu in Comitiis Regni reſtitit, nè *Lutheranis* fieret libera facultas ſacra ſua in *Bohemia* confitendi, quamvis hoc in Auguſtano Imperii conſeſſu illis permiſſum fuiſſet. Ornavit, & dotavit in Eccleſia

O Prag.

Prag. ſacellum *S. Antonii*, & in eo erexit Altare *S. Joannis Baptiſtæ*, & fecit fundationem pro tribus ſacris omnî hebdomadâ celebrandis, 1. Pro anima ſua. 2. De paſſione Domini. 3. De B. Virgine cum commemorat. *S. Joannis Baptiſtæ.* Altariſta accipit 60. Thaleros. Fundavit etiam Anniverſarium pro anima ſua, in quo 20. ſexagenæ impendnntur; & hoc ex cenſu Camerario ſupra bona Equitis *Joannis à Malticz* in *Hoiersvverda* hæredum, & ſucceſſorum ejus in villa *Seidenvvinkel* nuncupata, ſuperioris *Luſatiæ.* Die 28. *Auguſti* An. 1577. Præſentibus *Henrico Scribonio* I. V. Doctore Præpoſito, & Magiſtro *Felice à Linda* Can. Prag. Acta recentiora hujus fundationis *Antonianæ* continentur in Protocollo *Capit. Metrop.* ad An. 1671. *fol.* 50. Tandem rebûs feliciter adminiſtratîs die 28. *Auguſti* An. Dom. 1580. plenus meritis obdormivit in Domino. Vixit Annis 54. menſibus VI. diebus IX. Die 2. *Sept.* ſepultus in capella ſua *S. Antonii.* Eccleſiæ Prag. Scriptura in marmore indice:

Reverendiſſimo, & Illuſtriſſimo Principi, ac Domino Domino Antonio, primo à reſtauratione Archi-Epiſcopo Pragenſi Imp. Ferdinandi Concilii Tridentini Oratori An. 1580. die 28. Auguſti mortuo, Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus Dominus Dominus Martinus Succeſſor, gratæ memoriæ ergò F. F.

MARTINUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis X.* cognomine *Medek*, concivis *Antonii*, natus itidem *Mohelnicii* in *Moravia*, parentibûs catholicîs tenuibûs quidem, at virtuosîs & honeſtîs. Abſolutîs *Olomucii* altioribûs ſtudiîs ab *Antonio Archi-Epiſcopo* Anteceſſore ſuo in ſacellanum aſſumptus, exinde promotus ad parochiam *Friburgenſem*, Decanatum, & Canonicatum *Brunenſem*, dein Præpoſituram *Pelrenbergenſem*, tandem Generale ordinis ſui Crucigerorum cum rubea ſtella Magiſterium. A *Rudolpho II.* Rom. Imp. & *Bohemiæ* Rege in Archi-Epiſcopum nominatus, die 15. *Januarii* An. 1581. trigeſimò tertiò ætatis ſuæ annô. Deſtinaverat quidem *Pragenſem* infulam *Rudolphus* alteri, at, dum hæretici nullâ cæſarei beneplaciti reverentiâ eum venenô ſuſtulêre, inde vota Cæſaris, & Cleri in *Martinum* reſpexêre. „Quod ad ſtatum meum „(inquit Martinus in lit. ad Auguſtinum Prior. S. Thomæ Brunæ) „hoc inſinuare volui: Quòd Deus „omnipotens ex ſua immenſa miſericordia, & bonitate, & S. Cæſ. „Majeſtatis Rudolphi II. clementia „me nec unquam expectantem, aut „ambientem, aut tale quid cogitantem die 15. Januarii horâ „ferme ſecundâ pomeridianâ in „præſentia Sereniſſimi Archi-Ducis Auſtriæ Erneſti, Reverendiſſimorum Dominorum Canonicorum Eccleſiæ Metrop. Prag. & Illuſtrium, & Magnificorum Dominorum Conſiliariorum ad Archi-Epiſcopalem amplitudinem evexit. Quod onus graviſſimum licèt invitus ſuſceperim, tamen in „Dei ſingularem providentiam ſpero. Pragæ è Xenodochio menſe „Januar. *Anno* 1581. Protocol. „Original. Liter. Martini, apud me „fol. 1.„ Apoſtolicam confirmationem ſuper Archi-Epiſcopatum, & inſuper duo monaſteria *Oſſecenſe*, & *Svvieticenſe* à *Gregorio XIII.* Sum. Pontifice obtinuit, taxam etiam, quæ fuiſſet 2800. coronati, eidem Pontifex per Cardinalem *Madrutium* Protectorem *Germaniæ*, & *Horatium Maleſpina* Nuntium Apoſtolicum ad Aulam Cæſaream remiſit. Fuit verò monaſterium *Oſſecenſe* Ordini *Ciſtercienſi* dein reſtitutum, *Svvieticenſe* Canoniſſarum S. Sepulchri cum *duplici rubea cruce*, prout id indicat vetus ſcriptura in Eccleſia *Svvieticenſi* Parochiali, olim monialium regulari; „An. Dom. „MDLXIV.

„ M DLXIV. Feriâ quartâ Martini, „ obdormivit in Chriſto Generoſa, „ Reverenda, pia, atque devota „ Virgo ac Domina Domina Doro-„thea à Daupovv, Cruciferorum „ cum rubea duplici cruce Ordinis „ S. Sepulchri Hieroſolymitani Ma-„giſtra, & Prioriſſa Monaſterii Zde-„raſenſis & Svvieticenſis. Cujus „ anima requieſcat in ſancta pace. Menſe *Aprili* die 17. Archi-Præſul *Romæ* declaratur: die 2. *Junii* expeditis bullis confirmatur: die 3. *Julii* ei domus Archi-Epiſcopalis unà cum Bibliotheca, veſtibus, vaſiſque aureis, & argenteis, & tota ibi relicta ſuppellectile extraditur. die 11. *Julii* ejusdem in poſſeſſionem realem utriusque monaſterii *Oſſecenſis*, & *Svvieticenſis* per Cæſareos delegatos mittitur. Die 28. *Julii* Pallium Epiſcopale *Pragæ* appulit. Demum die 8. *Octobr.* coaſſiſtentibus *Joanne Mauskônig Teplenſi*, & *Andrea Aulæ Regiæ* Abbatibus ab Illuſtriſſimo Domino *Georgio Draskovvicio* electo Archi-Epiſcopo *Colocenſi*, & *Ungariæ* Cancellario in præſentia *Rudolphi II.* Rom. Imp. & *Boemiæ* Regis ſolemni Eccleſiæ ritu in Archi-Epiſcopum conſecratur. *Protocoll. fol. 20. & ſeq.* Quàm lamentabilis verò tunc rerum Catholicarum in Regno *Boemiæ* ſtatus fuerit, dum *Lutherana* hæreſis ſub conceſſi calicis prætextu in Regnum illapſa, novum cum *Huſſitica* fermentum concipere, & in unum contendentibûs *Wittenbergâ* emiſſariîs, at fruſtrà quidem, coite parabat, explicat *Martinus* ad Nuntium Apoſtolicum ſequentibus.

- - - *Proh! dolor.* (inquit) „ Huſſi ſeductoris Boëmiæ & Ziſcæ „ devaſtatoris, effrœni audaciâ, & „ Wenceslai Regis ſocordiâ, Sigis-„mundi conniventiâ in pejus omnia „ ruerunt! Barones & Nobiles præ-„ter Regni hujus compacta, ſua, „ neſcio, qua autoritate ſibi jus pa-„rochiarum vendicârunt, paro-„chiales fundos, hortos, agros, „ ſylvas ad ſe rapuerunt, parochias „ ipſas abalienârunt, & Huſſitis, „ vel quod pejus eſt, pejoribus hæ-„reticis Piccarditis curandas tradi-„derunt, paulatimque ea irre-„pſit inſolentia, ut ſinè Archi-„Epiſcopi vel Conſiſtorii conſenſu, „ quilibet Apoſtata, vel hæreſum „ profeſſor in parochias vi quadam „ fuerit intruſus - - - - - „ Unde tandem in diſtrictus pleros-„que Clerum viſitandi & reforman-„di causâ profectionem transactô „ Nativitatis dominicæ Feſtô inſti-„tui, è qua 20. Januarii Pragam re-„verſus. Rurſus peractîs divinîs „ officiîs die Purificationis B. V. „ Pragâ recedens ad tractus nonnul-„los, & ad quædam monaſteria vi-„ſitandi causâ ſum profectus, quam „ migrationem die 8. hujus, non ſi-„nè exiguo : (Laus Deo :) Eccleſiæ „ Catholicæ profectu complevi.

Et infrà. „ Non exiguum „ quoque adfert ſcandalum, imò „ totius Catholicæ Eccleſiæ con-„temptum maximum, Huſſi ſedu-„ctoris publicè condemnati feſtum, „ non ſecùs, ac ipſa Chriſti natalitia „ in octava SS. Petri & Pauli cele-„brari ſolitum, cujus nomen, & fe-„ſtum in ipſis Calendariis impreſſis „ ſtata die aſſignatur, & cantio-„nes quædam maledicæ eodem die „ contra Concilium Conſtantienſe, „ Pontificem, Cardinales, Epiſco-„pos, per plateas à mendicis & pue-„ris decantantur. Sacrilegas etiam „ manus ſeditioſa plebs excitato tu-„multu non ratò monaſteriis, ac „ Catholicorum parochiis inferre „ ſolet. Piccarditarum magna pars „ ſuccrevit in hoc regno ; ſed etiam „ Calviniſtæ, & Lutherani conven-„ticula ſua incipiunt, & quaſi nidi-„ficant in Civitatibus, & in Senatu „ locum habent. „ *Pragæ* die 22. *Martii* Anno 1582. *Protocoll. fol. 67.*

Quo circà paſtorali Zelo, & Apoſtolicâ fortitudine roboratus,

coram, ac literis Catholicum Clerum adverſus Principes tenebrarum, & hæreſum phalanges ubique obarmabat, & veræ Eccleſiæ populum aggregabat, atque hac ratione hæreſum fautores in tantam contra ſe rabiem concitabat, ut non modò necem pararent, verùm in publicis etiam regni comitiis duris, dirísque lacerantes ad infamiam usque infeſtarent, ille autem Spartanâ patientiâ omnia ſufferendo ad Apoſtolicum Nuntium ſub die 8 *Martii An.* 1582. ſcripſit: „ Diæta Boemica „ hìc Pragæ concluſa eſt, qua in me „ licet abſentem & in viſitando, re„ formandóque Clero meo inten„ tum, hæretici præcipui, injuſta „ quadam dicendi licentiâ contra „ me debachati. Verùm non mo„ veor, ſed conſolationem potiùs „ haurio, quia id meum a DEO „ & Apoſtolica ſede impoſitum mu„ nus eſt, illíque ſint homines hæ„ retici, qui Catholicæ Eccleſiæ de„ trahere jam in naturam verterunt. Sed nec poſt pium ejus ex hac vita obitum quievêre, quin ſpectris nocturnis, & tumultibus ad ejus ſepulchrum; quòd primus fuiſſet *monaſteriorum poſſeſſor, & uſurpator*, mendacitereffictis, plebi exoſum reddere tentarent. Has tamen fabellas publicè confixit in oratione funebri *Georg Bartholdus Pontanus Prag. Præpoſitus*: „ Obambulat (inquit ibi) „ Martinus usque nunc, non in ſpe„ ctris, ut malorum eſt fabula, ſed „ in memoriis hominum: dicat „ templum hoc Metrop. tam piè vi„ ſitatum, tam diligenter cuſtodi„ tum, & his, quos videtis ad ſa„ cella & aras, muris, tum Cancel„ lis ferreis & ligneis præmunitum, „ nec non ſplendidiſſimô ſacrarum „ veſtium apparatu dotatum. fatea„ tur Archi-Epiſcopatus. loquatur „ Ordo Crucigerorum, ùt pluri„ mùm illuſtratus. teſtetur præpo„ ſitura Hippolitana, templo, ædi„ ficiis, bonísque reſtaurata. prodeat „ ſua patria Muglicium, cujus tem„ plum novâ Campanâ, hoſpitale „ bonis, & cenſibus Reſpubl. mirificè „ fuit donata & adjuta. teſtetur S. „ Procopius Patronus Bohemiæ, „ cujus ſacrum corpus jam ampliùs „ neglectum, ex ruderibus, & quis„ quiliis deſerti monaſterii, ad Sa„ zavvam, in quo antiquitus à Chriſti „ fidelibus piè venerabatur, ereptum „ & ad Regiam Capellam omnium „ Sanctorum, in tumbam ab eodem „ magnificè præparatam, ſolemni „ cultu, & pompa, cui ipſi vos inter„ fuiſtis, translatum. „ Hæc *Pontanus*; Calendarium à *Gregorio XIII.* Rom. Pont. noviter correctum in Archidiœceſi acceptavit & publicavit die 28. *Novembris An.* 1582. Atque, ut etiam à ſtatibus in comitiis Regni reciperetur die 17. *Januarii An.* 1584. per *Rudolphum* Cæſarem effecit. Obiît Magnæ DEI *Matris* cultui addictiſſimus, die *Purificationis* id eſt 2. *Februarii An.* 1590. ſepultus in Capella *S. Antonii* ad ſuum Anteceſſorem ſcriptura indice: „ Annô Domini 1590. die 2. Februar. „ obiît in Domino Reverendiſſimus „ & Illuſtriſſimus Princeps, ac Domi„ nus Dominus Martinus Dei, & „ Apoſtolicæ ſedis gratia Archi-Epi„ ſcopus Pragenſis Legatus natus, „ Ord. Crucigerorum cum rubea „ ſtella Generalis Magiſter. Hìc „ ſepultus, orate pro eo.

SBINCO II. *Archi-Epiſcopus Pragenſis XI.* è Baronali *Berkarum* familia oriundus, nobilior virtute & eruditione, quam proſapiâ. Abſolutis *Olomucii* ſtudiis, *Cracoviæ* Theologiæ operam dedit, & SS. Theologiæ Licentiatum ibidem adeptus eſt, ſcientiis adeò inſigniter excultum, honores protinus Eccleſiaſtici exceperunt. Romani tres conſequentes Pontifices ſuum eſſe Camerarium voluerunt. Eccleſiæ Cathedrales ſex, una etiam Metropolitana, Canonicatus ſuos ei detulerunt. Præpoſitus *Wiſſehradi*, *Olomucii*, ac Oetingæ *Litomericii* audiit. Admini-

niſtrator denique *Ratisbonenſem* Epiſcopatum annis aliquot famâ maximâ, virtute integra gubernavit. Inde non mirum, cùm eundem ad Archi-Præſulatum tandem *Bohemiæ* in præſentia Capituli *Pragenſis Rudolphus II.* Rom. Imp. & *Bohem.* Rex ſuffecerit. Inſtituit ac confirmavit illum in Archi-Epiſcopali Cathedra *Clemans VIII.* Rom. Pontifex. Verba bullæ ſunt: „Sanè Eccleſia Pragenſis, ad quam, dum pro tempore „vacat, nominatio perſonæ idoneæ „per Romanum Pontificem pro „tempore exiſtentem eidem Eccleſiæ præficiendæ ad chariſſimum in „Chriſto filium noſtrum, Rudolphum Rom. Regem Illuſtrem in „Imperatorem electum ratione Regni Bohemiæ, cujus ipſe & Rex „exiſtit, ex Privilegio Apoſtolico dignoſcitur pertinere, & cui bonæ „memoriæ Martinus Archi-Epiſcopus Pragenſis, dum viveret, præſidebat, per obitúm dicti Martini „Archi Epiſcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturæ perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, „nos hujusmodi vacatione fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem, & „felicem, ne illa longæ vacationis „exponatur incommodis, paternis, „& ſollicitis ſtudiis intendentes &c. „Demum ad te Canonicum Salzburgenſem, Licentiatum in Theologia, in Presbyteratûs ordine, ac „quadrageſimo, vel circa, tuæ ætatis „anno conſtitutum &c. Te in Archi-Epiſcopum præficimus. Et „infrà. Et inſuper, ut ſtatum „tuum juxta Pontificalis dignitatis „exigentiam decentiùs tenere valeas, motu proprio, non ad tuam, „vel alterius pro te nobis ſuper hoc „oblatæ petitionis inſtantiam, Canonicatum, & præbendam Eccleſiæ „Salzburgenſis, quoad vixeris, etiam „unà cum dicta Eccleſia Pragenſi, „quàmdiu illi præfueris, retinere liberè & licitè valeas. Datum XI. „Calend. Junii Annô 1593.„

Dein die 10. *Octobris*, qui fuit Dominicus ejusdem Anni à *Cæſare Speciano* Epiſcopo *Cremonenſi* S. ſedis Apoſtolicæ cum poteſtate Legati de Latere Nuntio, aſſiſtentibus Dominis *Joanne Kutaſſi* Epiſcopo *Jaurienſi* Cancellario *Ungariæ*, & *Joanne Baptiſta Pibelmayer* Epiſcopo *Almirenſi* Suffraganeo *Ratisbonenſi* in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi* ſolemni ritu conſecratus. Vir in rebus gerendis magni usûs, & conſili, ideóque à *Rudolpho II.* legationibus honoratus, velut ad Archi-Epiſcopum *Salisburgenſem*, & ad Capitulum *Patavinum*, ad Regem *Poloniæ* ad conſolandum eum, funúsque Regium comitandum. Ut id Pauli ad Tit. *oportet Epiſcopum ſinè crimine eſſe, amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt*, in ſe exprimeret. Virorum Literatorum maximus fuit amicus, fautor, & Patronus. Bibliothecam Archi-Epiſcopalem optimîs codicibûs inauxit. Reſidentiam *Pragæ*, & illi veteri curiæ ad pontem perſimilem, ut Archi-Epiſcopi haberent, ſuis iisque verè Regiis impenſis; novô elegantíque ædificiô ad portam arcis extruxit. Titulum inſuper *Principis*, quo pridem Archi-Epiſcopi & Epiſcopi *Pragenſes* utebantur, in comitiis etiam Imperialibus ſeſſione idcircò honorati, ſed injuriâ temporum oblivioni datum Majeſtatibus novis Rudolphinis ſibi ſucceſſoribúsque ſuis gloriosè aſſecuravit. *Denique ex innumeris* (verba refero *Georg. Bartholdi Pontani* Præpoſiti Prag. „in Orat. Funeb.) actionibus ſuis, quas temporis brevitas „cum laude ſua debita recenſere „non patitur, unicum hoc uti rarum, ità admiratione dignum, „nempe Synodi neceſſariæ, & tam „diu intermiſſæ celebrationem ſolemnem ab oculos veſtros ponite. „Fuiſtis enim ſpectatores, & teſtes, „quo deſiderio, qua promptitudine, quibus expenſis, qua animi „hilaritate, & magnitudine, qua „circumſpectione & induſtria, ea

 omnia,

„omnia, quæ ad ſummi DEI glo„riam, Ecclesiæ S. Catholicæ de„fenſionem, & propagationem, to„tius Cleri reformationem, ſolius „denique Regni tam ſalutem, „quàm felicitatem, quoquo modo „ſpectare videbantur, inſtituit, „exequi demandavit, optimæque „voluntatis ſuæ in religionem Ca„tholicam, atque univerſam gentem „Boëmiæ, monumentum conſtituit „ſempiternum. „ Fuit autem hæc Synodus ſecunda poſt *Arneſtum I.* Archi-Epiſcopum (in qua ducenti ex tota Archidiœceſi infulis, aut ſcientiâ celebres Viri lecti, antiquis legibus luxatis, novum vigorem ad Tridentinæ nuper habitæ normam reſtituerent) in Capella Archi-Epiſcopali à *Zbigneo* erecta & adhuc extante celebrata An. Dom. MDCV. Inſcriptio ſuper porta:

„Anno Domini 1599. Sbinco „Berka de Duba, & Lippa Archi„Epiſcopns Pragenſis Legatus Na„tus hoc Sacellum â ſe noviter ex„tructum, ad honorem omnipoten„tis Dei, B. Mariæ ſemper Virginis, „nec non S. Joannis Baptiſtæ, S. „Udalrici, & omnium Sanctorum „Patronorum conſecravit in feſto „decollationis S. Joannis Baptiſtæ „& conceſſit, in anniverſario con„ſecrationis hujusmodi quadragin„ta dies de indulgentia in forma „Eccleſiæ conſueta.

In utroque Capellæ latere Principales Synodi Patres numerô viginti quatuor juxta ſeſſionis ordinem inſignia ſua appingi fecerunt, videlicet

In dextro.	In ſiniſtro.
Epiſcopus *Olomucenſis*	Epiſcopus *Litomiſslenſis*
Præpoſitus *Pragenſis*	Abbas *Brunovienſis*
Abbas *Carlovienſis*	Abbas *Aulæ Regenſis*
Præpoſitus *Litomericenſis*	Abbas *Strahovienſis*
Præpoſitus *Wiſſehrodenſis*	Abbas *Teplenſis*
Præpoſitus *Chotieshov enſis*	Abbas *Kladrubienſis*
Præpoſitus *Doxanenſis*	Abbas *Plaſſenſis*
Præpoſitus *Glacenſis*	Abbas *Sedleczenſis*
Præpoſitus *omnium Sanctorum*	Abbas *Altovadenſis*
Decanus *Cœlſteinenſis*	Abbas *Aureæ Coronæ*
Præpoſitus *vetero Boleslav.*	Abbas *S. Joannis ſub rupe*
Præpoſitus *Margarethæ*	Abbas *S. Procopii*

Oratio die prima Synodi *de dignitate Sacerdotali* habita fuit à *Georgio Bartholdo Pontano* Præpoſito Prag.

Secunda oratio, altera die Synodi *de caſtitate Sacerdotali* habita rurſum fuit à *Chriſtophoro Milledero* ſcholaſtico, & *Concionatore* Eccleſiæ *Pragenſis* utraque typis *Joannis Ottmar* vulgata *Pragæ.* Ipſa Decreta Synodi longè ſaluberrima typis demum *Nigrinianis* procuſa ſunt *Pragæ* eodem An. 1605. ad quorum finem ſub rubrica *de S. Concilii Tridentini acceptatione* ſequentia leguntur: *Præſenti decretô ſacroſanctum Tridentinum Concilium, omniáque & ſingula in eo definita, & ſancita recipimus, & approbamus, atque vobis omnibus & ſingulis recipienda & obſervanda præcipimus.* Obiit plenus virtutum, & meritorum zeloſiſſimus Archi-Præſul Religionis Catholicæ ardentiſſimus propugnator, & in pauperes mirificè liberalis, ad voluntatem DEI ex aſſe reſignatus die 6. *Martii An. 1606.* Annô ætatis 55. ſepultus in crypta familiæ Capellæ *SS. Trinitatis* poſt Altare *S. Viti*, ubi in marmore legitur:

Sepul-

Sepultura Dominorum Berkorum Catholicorum Baronum de Duba & Lippa. D. Ladislaus Berka Supremus Moraviæ Camerarius F. F. An. Dom. MDCVII.

CAROLUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis XII.* è Baronibus de *Lamberg* in *Styria* oriundus, à *Rudolpho II.* Rom. Imper. & *Bohemiæ* Rege die 14. *Octobris An.* 1606. in Archi-Epiſcopum nominatus, & à *Paulo V.* Rom. Pontifice confirmatus. Verba bullæ: „Sanè Eccleſia Pragenſis, ad „quam, dum pro tempore vacat, „jus præſentandi perſonam ido- „neam ad chariſſimum in Chriſto fi- „lium noſtrum Rudolphum Rom. „Regem, in Imperatorem electum „ratione Regni Bohemiæ, cujus ipſe „Rudolphus etiam Rex exiſtit, ex „privilegio Apoſtolico, cui non eſt „hactenus in aliquo derogatum „ſpectare dignoſcitur &c. Demum „ad te Presbyterum Salisburgenſis „diœceſis de nobili etiam Baronum „à Lamberg genere procreatum, „& in trigeſimo ſexto, vel circa tuæ „ætatis anno duntaxat conſtitutum, „& ad alios docendum idoneum, „quem præfatus Rudolphus Rex „nobis ad hoc per ſuas literas nomi- „navit &c. Te in Archi-Epiſco- „pum præficimus. Dat Romæ „Prid. Idus Maji An. Dom. 1607. „Pontificatûs noſtri Annô ſecun- „dô. „ Fuit dein die 7. *Octobris* eodem Anno in Eccleſia Metropolitanâ ante altare majus à *D. Antonio Cajetano* Archi-Epiſcopo *Cajetano* Nuncio Apoſtolico, aſſiſtentibus Coëpiſcopis *D. Joanne Stephano Tenerio*, Epiſcopo *Vercellenſi* priori Nuncio, & *Joanne Lohelio* Epiſcopo *Sebaſtienſi*, Suffraganeo Archi-Epiſcopi *Pragenſis*, Abbate *Strahovienſi*, & Viſitatore Ordinis *Præmonſtratenſium* ſolemni ritu & ſolitis ceremoniis in Archi-Epiſcopum conſecratus. Multa publicæ pietatis Catholicæ exercitia viva devotione ſub hoc Archi Epiſcopo redintegrata ſunt, ſolemnis maximè ſupplicatio An. 1609. Omnium Catholicorum Ordinum ad *B. V. Boleslavienſem* per totam Civitatem *Pragenſem* circumducta, & reducta, quæ hæreticorum oculos acerbiſſimè perſtrinxit, qui eodem Anno ab invito *Rudolpho literas Majeſtatis* in liberum hæreſeos exercitium extorſerant. Cætera hic Archi-Epiſcopus ægra ſemper valerudine partes omnes miniſterii ſui ſolo benè agendi deſiderio, & voluntate impleviſſe cenſendus eſt. Obiit in Cœnobio *Oſſecenſi*, tunc ad ad menſam ArchiEpiſcopalem pertinente, die 18. *Septembris* An. 1612. ſepultus in Eccleſia ejusdem Cœnobii.

JOANNES III. *cognomento* LOHELIUS *Archi-Epiſcopus Pragenſis XIII.* In civitate *Egra*, Patre auriga natus. Humiles natales prudentiâ, & vitæ ſanctitate ſublimavit. Quodam die ocreas empturas in via concentu angelico ad muſices harmoniam addiſcendam divinitùs provocatus, in vicinum *Teplenſe* Ordinis *Præmonſtratenſis* cœnobium declinavit. Ubi tandem poſitis religioſæ virtutis inſignibûs fundamentis *Præmonſtratenſem* Ordinem profeſſus eſt. Ut aliquando abſtinentiam Ordinis pro die *Mercurii* confratribus commendaret, lucium magni ponderis è piſcina, & alium piſcem è fluvio *Egra* ad litus traxit. Philoſophiâ ſub *B. Edmundo Campiano Soc. JEſu* Martyre *Anglicano* (cum quo in eodem cubiculo dormire ſolebat) & Theologiâ morali ſub *Franciſco Antonio Gordono*, & *P. Buſæo Soc. JEſu Viennæ Auſtriæ* Annô 1571. abſolutîs, ad prioratûs Teplenſis

plenſis officium promovetur. Tum oppidi *Teplenſis* animas, *Lutheri* deliriis dementatas, ad matris Eccleſiæ gremium reducit. De virtute in virtutem gradiens è Prioratibus *Teplenſi*, & *Strahovienſi* ad Abbatiam tandem *Strahovienſem* labore, & patientiâ An. 1586. eluctatur. Nec minuit virtutem dignitas, ſed zelum auxit. Nam abalienata monaſterii prædia, & potiſſimam *Pragenæ* urbis partem *Pohorzelicz* è manibus uſurpatorum recuperat. Novam Cœnobii Eccleſiam *B. Virginis in cœlos aſſumptæ* ædificat. Bibliothecam raris codicibûs locupletat, monaſterium pene totum reſtaurat, ut ſecundi fundatoris titulum jure optimo ſibi vendicare videatur. A Generali Ordinis per *Poloniam*, *Moraviam*, *Auſtriam*, & *Sileſiam* Viſitator, & Vicarius Generalis An. 1587. conſtitutus, nulli labori, periculis, odiis, ac innumeris difficultatibus pepercit, ſed monaſteria viſitavit, ac diſciplinâ reformavit. Eleemoſinarum Pater totum, quod è monaſterii reditibus ſupererat, diſtribuit in pauperes. Intempeſta nocte, ſœviente frigore, faſces lignorum habitaculis pauperum propriis humeris adportat. Selectiores è menſa cibos infirmis diſpertitur. Defectu pecuniæ pro quolibet paupere unum *Pater* & *Ave* orat; cui ab eo tempore ità benedixit Dominus noſter Salvator, ut paucos in arca nummos non tantùm per plures grandes ſaccos multiplicaret, ſed & ſe ipſum inter convivas pauperes (quorum quinque quavis hebdomada paſcebat) corpore trementem, & ſaucium, quinquies ab eo deoſculandum, præberet *Gulielmus Etzveiler Can. Wiſſchrad.* in *MS. ſerie Epiſc. & Archi-Epiſc. Prag.* Splendor igitur ſanctitatis, & innocentiæ vitæ, non ampliùs ſub modio religioſæ clauſuræ abſcondi valens LOHELIUM primò An. 1604. (eſto duobûs annis contra nitentem) ad Suffraganei, An. 1605. ad Archi-Epiſcopalis Coadjutoris, tandem Anno 1612. ad Archi Epiſcopi dignitatem, ità jubente Cæſare *Mathia*, ſuadentibus Apoſtolicæ ſedis Nunciis, & efflagitantibus regni Proceribus invitum rapuit. Succeſſit CAROLO à LAMBERG ægræ ſemper valetudinis Archi-Epiſcopo. Quare *Auguſt. Freſchot* in *Inſul. Prag. fol.* 97. non illepidè ludit: *nulla ſui parte æger fuit hic Antiſtes, quamvis Ægræ natus, nec ab ægro Prædeceſſore, licèt illi in omnibus Sacerdotis curis adjunctus, contraxit, quò ægrè ad pietatis & religionis officia ferretur.* Ad Archi Epiſcopale ſolium elevatus, priſtinæ humilitatis nunquam oblitus, lectô Imperatoris decretô, quo Archi-Epiſcopus denunciabatur, in lacrymas profuſus, vilitatem ſuam teſtabatur, palam aſſerens, ſe indignum, & ætate provecta tantæ dignitati ingeniô ac eruditione imparem eſſe. Eo exemplo magìs omnes dignitatem ejus, atque virtutum vim agnoſcere, & proclamare cœperunt. Ipſi etiam Hæretici, cùm ſacra in Eccleſiis operantem cernerent, *Angelum Domini* altaribus adſtare invicem muſſitabant. Humilitatis natalitiæ, & paternæ Conditionis aſſiduò memor, pro ſymbolo aſſumpſit: *Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.* Pro inſigni autem ſuo Archi-Epiſcopali adſcivit ſibi Inſtrumentum Patris ſui aurigæ *trochleam* nempe *currulem*, quâ aurigæ currus oneratos levare ſolent, innuere forrè etiam volens, quod in omni vita, magna cum difficultate ſe, ſuaque promoverit. Confirmatus in Archi-Epiſcopali munere fuit à *Paulo V.* Rom. Pontifice. Bulla ſonat: *Sanè cùm Venerabilis frater noſter Carolus Archi-Epiſcopus Pragenſis quodam mentis defectu ſeu deliquio laboret, ità ut illius compos non ſit, nec regimini, & adminiſtrationi Eccleſiæ Pragenſis, cui præeſt, de extero, ut convenit, intendere valeat. Nos cupientes indemnitati dictæ Eccleſiæ, quæ de jure Patronatûs*

tronatûs Chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Mathiæ Hungariæ Regis Illuſtris, ratione Regni Bohemiæ, cujus ipſe & Rex exiſtit, & privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, eſſe dignoſcitur; Nè illa propter ipſius Caroli Archi-Epiſcopi indiſpoſitionem hujusmodi aliqua in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta ſuſtineat; providere &c. Infrà. *Te præfato Carolo Archi-Epiſcopo, quoad vixerit, & eidem Eccleſiæ Pragenſi præfuerit, Coadjutorem perpetuum, & irrevocabilem in regimine, & adminiſtratione Eccleſiæ Pragenſis hujusmodi in eisdem ſpiritualibus, & temporalibus cum plena, libera, & omnimoda facultate, poteſtate, & authoritate conſtituimus, & deputamus. Et nihilominus dicto Carolo Archi-Epiſcopo cedente, vel decedente, aut ipſi Eccleſiæ Pragenſi quomodo libet praeeſſe deſinente, ex nunc prout ex tunc, & è contra, de perſona tua; præfatæ Eccleſiæ Pragenſi de ſimili Conſilio &c. dicta autoritate providemus. Teque illi in Archi-Epiſcopum præficimus. Datum Romæ apud S. Marcum Annô Incarnat. Dom. MDCXII. Pridie Idus May, Pontificatus Noſtri Annô ſeptimô.* Pallium Archi-Epiſcopale Eodem Annô *ſexto Idus Decembris* ab eodem ſummo Pontifice obtinuit, ſolitis Ceremoniis ei imponente, *Franciſco* S.R.E. Cardinale à *Dittrichſtein S. Mariæ* trans *Tyberim*, Epiſcopo *Olomucenſi.* In ſublimitate Archi-Epiſcopali collocatus, nulla ratione induci potuit, ut paulo honeſtiore habitu, quàm quo in conventu uſus fuerat, incederet. Coronam *Bohemiæ* impoſuit *Annæ Tyrolenſi, Mathiæ* Cæſaris conjugi die 10. *Februarii* An. 1616. & Annô ſequenti die SS. Apoſtol. *Petri & Pauli Ferdinando II.* Rom. Imperator. Capitulum Metropolitanum *Pragenſe* perenni meritô affecit, dum inhiatores Præpoſituræ, oſtenſis Eccleſiæ juribus æternùm repreſſit. *Ecce iterum calamitas* (verba ſunt *Caſp. Arſenii* Decani Metrop. in *Diar.* ſuo ad An. 1614.) *inhiator Præpoſituræ noſtræ, cujus liberam electionem à primâ fundatione nobis omni jure competentem tollere vult, at Dominus noſter Archi-Epiſcopus Joannes ei monſtravit contrarium. Et ecce iterum pax. Ciſtercienſem* Ordinem æternùm devinxit, dum ex Archiepiſcopis primus motor & promotor extitit, *reſtituendi Cœnobii Oſſecenſis: Timor & tremor venerunt ſuper me* (inquit *Epiſt.* ad *Paulum V.* ſum. Pontif. Anno 1614. *Archiv. Strahov.*) *quod monaſteriorum reditus in familiæ meæ neceſſitates translaturus jam ætate gravis voces, qui omne vitæ tempus his reſtituendis (nam DEO loquor) impendi, cùm interim præclariſſima monaſteriorum ædificia jam deſerta rimas agant, & DEI conſuetis laudibus non ſinè bonorum ſcandalo ſuppreſſis, non ſit, qui veniat ad ſolemnitates eorum.* Infrà, *ſanctitatem veſtram per Domini noſtri JEſu Chriſti pretioſum ſanguinem rogo, & per judicium illud ſtrictiſſimum, quo juſtitias judicabit, & admotis etiam lucernis errores noſtros disquiret &c. Religioni Ciſtercienſium monaſterium Oſſecenſe reddatur.* Apud ſtatum Eccleſiaſticum hujus Regni ſolemne meretur monumentum, dum eidem vetus *jusſeſſionis in Comitiis Regni*, quòd à *Georgio* hæretico Rege ducentis propè annis eidem ademptum erat, poſtliminio aſſeruit, & reſtituit. Archi-Epiſcopalem ſedem proventibus non parùm auxit, recuperatis quibusdam Archi-Epiſcopalibus ditionibus, velut *Rozmylhalio, Moldavo Tyna, Rubro Rzeczivio.* Inter reliqua demum vitæ religioſiſſimæ merita non poſtremo loco memorandus venit Zelus longè maximus orthodoxæ fidei, quo *Lutheranis* in oppido ſuo *Kloſtergrab* conſtructionem templi interdixit, ac ſe exinde exulceratis hæreticorum animis, diſceſſionémque conjuratam per apertam rebellionem excitantium, in triennale exilium conjecit. Abſens corpore, præſens mente Capitulares *Pragenſes* ad fortiter pro Deo & Eccleſia ſua tolerandas *Calviniſtici* incubi diras moleſtias è Monaſterio *S. Emerami Ratisbonâ*

bonâ die 8. *Sept.* Anno 1618. & dein *Viennâ Auſtriæ* die 30. *May* An. 1620. conſtanter admonuit. In quibus ultimis victricia Catholicorum arma adverſus hæreſum phalanges ſatis clarè prædixit. Partâ in *Albo monte* victoriâ ingenti gregis ſui jubilo ad Archi-Epiſcopalem cathedram reverſus eò majori animô, quò feliciore rerum exitu omnia relevare allaboravit, nèdum, quæ ruinâ ultimâ ceciderant, ſed quæ jacentia anceps Prædeceſſorum patientia tolerabat. Auctor proceſſionis anniverſariæ ad gratias agendum Deo pro obtenta victoria adverſus hæreticos in *Albo monte. An.* 1621. *Die* 8. *Novembris* (verba ſunt *Simon. Broſii* Præpoſ. *Prag.* in *Diario* ſuo *fol.* 1.) „ob memoriam glorioſæ victoriæ „de Bohemis rebellibus partæ An. „1620. die eadem inſtituta fuit „ab Illuſt. D. Joanne Lohelio Ar„chi-Epiſcopo Prag. ſolemnis pro„ceſſio ex Metropolitana in Stra„hov, ubi finitâ miſsâ, & concione „progreſſum fuit in campum ſpe„ctantem ad monaſterium Strahov. „ibi fuit ſtatio, in qua per me decan„tatum fuit Evangelium S. Joannis. „Inde perreximus ad aream Capuci„norum, ubi rurſum fuit ad cru„cem ſtatio. Finitâ collectâ ince„ptum fuit per Reverendiſſ. Archi„Epiſcopum, Te DEUM Lau„damus. Inde perreximus ad Me„tropolitanam cum exploſione „bombardarum, cum buccinis, & „tympanis, quod tota duravit pro„ceſſione. Fuit ſatis pro hoc tem„pore magna ſolemnitas, & po„puli frequentia ad decem millia. Hæc *Broſius.* Eccleſiam Metropolitanam, die 28. *Febr.* 1621. à Calviniſtarum ſordibus purgatam, reconciliavit, Altaria denuò conſecravit, è parochiis hæreticos Miniſtellos exturbavit. Ad eam vitæ perfectionem pervenit, ut jam ante obitum ſuum ab omnibus paſſim haberetur *ſanctus.* Magiſtratus *Egrenſis* iconem ejus venerationis causâ auditorio curiæ intulit. Quadam vice dum cum *Georgio Hirsberger* Archi-Diacono Eccleſiæ *Pragenſis* curru veheretur *Lohelius*, ait ad Archi-Diaconum: *Ecce nos duo ſenes jam pede ſepulchrum tangimus, ſi ſciremus, quale poſt noſtrum obitum primæ noctis diverſorum habituri ſimus?* Ad quod Archi-Diaconus: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem faciatis.* Subitò è curru deſcendit *Lohelius*, ac ad obvium hoſpitale digreſſus, habita ibi exegetica ad pauperes dictione, *de tolerandis vitæ miſeriis*, largiſſimam omnibus eleemoſynam diſtribuit. Tandem ultimò plenus meritis, in ſacco ſtramineo, ùt petiit, collocatus, ſanctiſſima JESU & *Mariæ* nomina ingeminando in Domino ſuaviſſimè obdormivit. Ipſô animarum die 2. *Nov.* Anno 1622. ætatis 73. cathedræ 10. ſepultus in Eccleſia *Strahuvienſi* ad latus Evangelii. Epitaphium è marmore ſonat:

D. O. M.

„MEmoriæ D. JOANNIS „LOHELII, quem Egra „Civem, Ordo Præmonſtrat. Te„plæ Profeſſorem, hoc cœnobium „Præſulem, & reſtauratorem, di„ſciplina aſſertorem, monaſteria „hujus Regni, Pannonici, Sarmati„ci titulo Vicarii Generalis Inſpi„cem, Sebaſte Armeniorum Epi„ſcopum, Praga denique è Suffra„ganeo, & Coadjutore habuit Ar„chi-Epiſcopum. Quem ob mo„res, & pietatem, etiam perduelles „hæretici admirari debuerunt, & „colere virum antiquæ fidei, meri „candoris, ardentis zeli, effuſæ „charitatis, ſanctæ modeſtiæ, cu„ræ pervigilis, laboris in vinea Do„mini inexhauſti: Qui graſſante „impia factione, triennio ob Chri„ſtum exul, ſed cum gloria reddi„tus ab Invict. Cæſ. Ferdinando, lu„porum ab ovili ſuo expulſionem, „Eccleſiarum omnium in manum

Archi-

„ Archi-Epiſcopi reſtitutionem impetravit, & effecit, ut bona, quæ „ dudum hæretico terebantur invaſore, Archiepiſcopum Dominum „ ſuum reſalutarent. Tandem dierum, operumque plenus, ſenſuum „ adhuc, ut animi integer Jeſum ingeminans, Jeſu meritis ipſa animarum die. Anno Chriſt. „ cIↃIↃcXXII. ſuô ſeptuageſimô „ tertiô, cathedræ decimô in paratam ſibi requiem translatus eſt, „ magnô ſui deſideriô, & eximiæ „ ſanctitatis opinione apud omnes „ relictâ. Hic ſepultus.

ERNESTUS II. *Archi-Epiſcopus Pragenſis XIV.* Comes ab *Harrach.* Natus *Viennæ Auſtriæ* die 4. *Novembris* in feſto *S. Caroli Borromæi* Anno 1598. Patre *Carolo* Comite ab *Harrach, Ferdinandi II.* Rom. Imp. Intimo conſiliario, & aulæ ſupremo Præfecto, Matre *Maria Eliſabetha*, Baroniſſa de *Schrattenbach.* Mitiora latinitatis ſtudia *Crumlovii* & *Novae domi* in *Bohemia* addidicit. Ad Sacramentum Confirmationis *Novae domi* acceſſurus, à D. Suffraganeo de nomine interrogatus, ſe velle *Adalbertum* vocari, reſpondit: Cui Suffraganeus: ut *S. Adalberto* in *Pragenſi* Archi-Epiſcopatu aliquando ſuccederet, precatus eſt: Et voto eventus reſpondit. *Romae* in Collegio *Germanico* abſque ulla moderatorum cenſura cum multa virtutis & profectûs laude Theologicæ facultati operam navavit, & Presbyter ordinatus eſt, ubi etiam *Symbolevticum* latinis verſibûs ſcriptum typis edidit, ut teſtatur *Olodimus* in *Athenae.* Rom. Apud *Gregorium XV.* Camerarium agens, ſpeciali gratiâ floruit. Coram *Urbano VIII.* & Collegio Cardinalium cum inſigni eloquentiæ laude aliquoties peroravit. Decor doctrinæ, & pietatis, quo Nobilem ſuam proſapiam exornaverat, movit *Ferdinandum II.* Rom. Imp. & *Bohemiae* Regem, eundem ad Archi-Præſulatum *Bohemiae* ſublimandi.

Fuit ergò ab eodem Imperatore Romano Pontifici præſentatus. Confirmationem obtinuit à *Gregorio XV.* bulla tamen ob intervenientem *Gregorii* obitum ab *Urbano VIII.* fuit expedita. Verba illius: „ Dudum ſiquidem Eccleſiæ Pragenſis, ad „ quam, dum pro tempore vacat, „ nominatio perſonæ idoneæ, per „ Rom. Pontificem pro tempore „ exiſtentem, eidem Eccleſiæ præficiendæ, ad Imperatorem pro tempore etiam exiſtentem, ratione regni Bohemiæ, cujus ipſe Imperator „ etiam Rex eſſe conſuevit, ex privilegio Apoſtolico dignoſcitur pertinere, & cui Bonæ Memoriæ Joannes Lohelius Archi - Epiſcopus „ Prag. dum viveret, præſidebat, „ per obitum ejusdem Joannis Archi-Epiſcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturæ perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, „ felicis Recordationis Gregorius „ Pontifex prædeceſſor noſter &c. „ Demum ad te Præpoſitum ſæcularis collegiatæ Eccleſiæ oppidi in „ Solicuſis Salisburgenſis Diœceſis „ in vigeſimo quinto tuæ ætatis anno „ conſtitutum &c. direxit oculos ſuæ „ mentis. Et infrà. Sperans „ quod tu, licèt Doctor, nec aliàs „ graduatus, neque in ætate legitima „ conſtitutus exiſtas, quia tamen „ prudentiâ, & ſufficienti doctrinâ „ præditus, & ad alios docendum „ juxta Concilii Trident. decreta „ aptus exiſtebas &c. Te in Archiepiſcopum præfici, & ut decentiùs ſtatum tuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam tenere „ valeres, &c. Præpoſituram prædictæ Collegiatæ Eccleſiæ, ac „ Olomucenſis, & Paſſavienſis Eccleſiarum Canonicatûs præbendas „ retinere, liberè ac licitè valeres &c. de ſpecialibus dono gratiæ diſpenſari conceſſit &c. Datum Romæ octavo Idus Auguſti „ An. Dom. 1623. Pontificatûs Noſtri Anno primo. „ Conſecratus ab ipſo Pontifice *Urbano VIII.* Annô ſe-

ſequenti 1624. die 2. *Aprilis* poſt Dominicam Palmarum ſolemni ritu in Archiepiſcopalem thronum locatus, oviculas concreditas paſtorali zelo regere incepit. Ingenii erat mitiſſimi, & ab omni cholera alienus. Suis oviculis verè bonus paſtor, ſuis ſubditis miſericors parens. Caſtimoniâ vitæ & ciborum abſtinentiâ inſigniter præditus. Diebûs Sabbathinis veſperi totô annô jejunavit. Nec in decrepita ætate Eccleſiæ jejunia neglexit. Totâ vitâ nunquam viſus crapulâ oneraratus. Quotidie breviarium quàm attentè oravit, SS. Miſſæ Sacrificium celebravit, aut negotiis præpeditus devotè audivit. Nunquam fuit otioſus, ſed aut legens, aut ſcribens, propterea inflammatione, & dolore oculorum preſſus. Negotia Archidiœceſeos ad ſe devoluta ſinè omni mora promptus expedivit. Liberalem omnibus etiam minimo de plebe audientiam concedens. Libellos ſupplices, & memorialia à quocunque oblata ſummâ patientiâ acceptavit, legit, expedivit, nec facilè ullum ſine conſolatione reliquit. Patrocinium ſuum implorantí nemini denegavit. Pro reis ad ultimum ſupplicium damnatis benignè interceſſit. Magnus Eleemoſynarius & Pauperum Patronus. Ante ejus reſidentiam, & per totam viam novam longa ſerie, quandóque ſeptingenteſimum numerum ſuperante explicabantur, eidem roſaria, icones, libellos ſupplices offerentes, quos ille de manu in manum à quovis ſuaviter acceptabat, & collectis, cuivis certam ſtipem erogabat. *Ipſe vidi.* ait *Auguſt. Phſalz.* Archidiaconus *Prag.* in *concione funebr.*) „quàm liberalis Eleemoſynarius „fuerit Erneſtus, neminem è paupe„ribus ſine Eleemoſyna à ſe abire „paſſus eſt, etſi quotidie 600. aut „700. ante ædes Archiepiſcopales „excubarent; quivis ſaltem crucife„rum unum reportavit. Ante Sue„dicum verò incurſum, quo erat „valde depauperatus, quivis pau„per accepit quotidie unum groſ„ſum, excepto eo, quod idem pri„vatis ſupplicantibus quotidie ero„gabat, potiſſimùm depauperatis è „nobilitate largè ſubvenit, & pro„pria manu, ùt ipſe vidi, quandoque „uni 6. & 10. aut etiam 20. Aureos „donavit. „ Ac propterea *P. Balbin. Exam. Meliſſ. lib. 2.* bene adluſit:

Pauper ubique jacet, ſed ad atria grandia Magni
Præſulis Erneſti Pauper ubique ſedet.

Pauperibus religioſis ſtipem longè etiam largiſſimam ſemper diſtribuit, & dum propterea *Pater Monachorum* neglectim appellaretur, mititer reſpondit: *quid ſum niſi Pater?* Ob tam præclaras virtutes ab *Urbano VIII. Romano* Pontifice Tertio *Idus Januar.* An. 1626. in Cardinalium Collegium ſub titulo *S. Mariæ in Thermis*, ſeu *Angelorum* cooptatus, tres Romanos Pontifices calculô etiam ſuô, velut *Innocentium X. Alexandrum VII.* & *Clementem IX.* ad Apoſtolicam Cathedram votando juvit; ſed & ipſe ab ornamenta virtutum, & inſignia in Eccleſiam Dei merita à quibusdam erat ad Papatum deſignatus. Regibus *Bohemiæ* tribus, *Ferdinando III.* An. 1627. *Ferdinando IV.* Annô 1646. & *Leopoldo I.* An. 1656. duabus itidem Reginis, velut *Eleonoræ Mantuanæ Ferdinandi III.* conjugi in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi* coronas impoſuit. Ad *Urbanum VIII.* Pontificem ab Imperatore *Ferdinando II.* Anno 1637. *Romam* Legatus miſſus, *Mariam Hiſpaniarum* Reginam Archiduciſſam *Auſtriæ* ad Confinia *Italiæ* Anno 1648. & *Margaritam* Infantem Hiſpaniæ, *Leopoldi I.* conjugem, An. 1666. ex *Italia Viennam* ſolemniter deduxit. Monaſterium

Oſſe-

Oſſecenſe, *Lohelii* Anteceſſoris ſui motivis victus, *Urbani VIII.* Rom. Pont. & *Ferdinandi II.* Rom. Imp. authoritate ſacro *Ciſtdrcienſi* Ordini An. 1626. de menſa ſua Archiepiſcopali ceſſit, ac ipſe in perſona *Oſſecæ* præſens reſtituit. Eo potiſſimùm inſtante *Ferdinandus II.* *contractum* dictum *ſalis* die 22. *Martii* 1630. cum *Bohemiæ* Clero erexit, vigore cujus eidem Clero in vicem bonorum *Huſſi* hæreſi abreptorum annuus perpetuus reditus *quindecim cruciferorum* ſuper quolibet *modio ſalis* dependitur. Cancellarii munus in univerſitate ſtudiorum nuper *Pragæ* reſtaurata, ſibi ùt primario *doctrinæ Judici* ſuperatis plurimis moleſtiis aſſeruit. In *montem album* inſigni catholici exercitûs, & *Maximiliani Bavariæ* Ducis victoriâ adverſus Hæterodoxos celebrem, ſolemnem proceſſionem duxit, ac pro novo in loco prælii Ordini *ſervorum B. V.* ædificando templo, & monaſterio primarium lapidem in præſentia ſuæ Cæſ. Majeſtatis, *Ferdinandi II.* benedixit, & poſuit, ac ſequenti inſcriptione ſignavit: „An. Dom. 1628. die 25. Aprilis „Ferdinandus II. Imperator ſemper Auguſtus, Catholicæ Fidei „defenſor acerrimus, pro gratiarum actione victoriæ contra rebelles, & Hæreticos An. Dom. „1620. die 8. Novembris in hoc albo monte obtentæ, hujus ſacri „templi S. Mariæ de victoria primum fundamentum poſuit. Urbano VIII. Rom. Pontifice. Eleonora Conzaga Imperatrice, Hungariæ, & Bohemiæ Rege Ferdinando III. Archi-Epiſcopo Pragenſi „Erneſto, Cardinali ab Harrach. „P. Henrico Generali Ordinis ſervorum B. V. M. præſentibûs. Ex MS. *Cœleſtin.* à *Blumberg Præpoſ. Prag.* Miſſilia etiam in memoriam rei actæ ejecta referebant in prima facie, *Ferdinandum II.* Rom. Imp. ante *B. Virginem*, quæ *Jeſulum* manu geſtabat, flectentem, & à *Jeſulo* coronam *Bohemicam*, jacente prope eum corona Imperiali, recipientem, cum inſcriptione: *Sub tuum præſidium* 1620. 25. *Aprilis.* In altera facie pugnam in albo monte pro Cæſare victorioſam cum inſcriptione ſuperna: *S. Maria de victoria.* Inferna: *Victoria à Ferd. II. parta Pragæ 8. Novemb.* 1620. Quæ deinde Eccleſia, & monaſterium etſi ob loci ſolitudinem, & aquæ penuriam ad perfectionem deduci, neglecta, & conſentientibus *Leopoldo I.* Imperatore, & *Matthæo Ferdinando Pragenſi* Archiepiſcopo centum aureis *D. Maximiliano* Comiti de *Martinicz* die 18. *Febr.* Annô 1673. vendita, & in popinam publicam converſa fuerit, compenſavit tamen poſtliminiò *Marianam devotionem* in *albo monte* ad intentionem *Ferdinandeam*, initiô hujus octavi ſæculi, ibi in via publica magnificè ex clientum Marianorum eleemoſynis ſub titulo *S. Mariae de victoria* excitata, murô, ac Capellis cincta, ac corpore *S. Hilarii M.* die 23. *Auguſt.* Annô 1712. ſplendidè decorata Eccleſia, quam *Michael Hach* murarius natione *Bavarus* (quaſi & *Marianam* victoriam, & *Marianam* quoque devotionem in hoc loco inclyta *Bavarica natio Mariano* cultui ſpecialiter dedita ſibi vendicare laboret) votô ad *Divam* in peregrinatione (ùt mihi narraverat) conceptô ex oſſario ibi à clade ſepultorum An. 1704. proprio manuum labore ædificare cœpit. Tempore irruptionis *Suecic* Anno 1648. *Erneſtus* Archiepiſcopus plurima mala, quæ ſpontanâ patientiâ decoxit, fuit perpeſſus. A *Suecico* Generali *Königsmarck* (qui *Erneſti* ante dicitur fuiſſe Ephebus) captivitate arctatus, pretioſâ ſuppellectile ſpoliatus, ad ſe redimendum magnô lytrô coactus. Ubi in expilatione reſidentiæ Archiepiſcopalis id per miram fortunam accidit, quòd *caſſa* ſeu *pecunia Eccleſiaſtica*, dicta *ſalis* à *Suecis* non fuerit inventa. Quidam enim Aulicorum ligneam ciſtam ſtannô onuſtam oſtio theſau-

 ri

ri advolverunt, Sueci, expilatô ſtannô, quid poſt ciſtam lateret, incurii, repertis duntaxat contenti abiêrunt. Inter præſtantia demum vitæ *Erneſtianae* opera id ſanè longè præſtantiſſimum, ac æterna etiam laude digniſſimum, quod Regnum Bohemiæ ab omni hœreſi *Huſſi*, *Lutheri* ac *Calvini* quoque expurgaverit, ac mundaverit, atque idem ad *ſanctae Matris Romano-Catholicae Eccleſiae* gremium vigili curâ reduxerit. Manet *Harrachianae* familiæ æternum in hoc regno decus, *Erneſtianus fidei Catholicae Zelus.* Paſtoralem *Erneſti* vigilantiam ùt plurimùm fatigaverat totuplex ſectaricorum Miniſtellorum ſub *praetextu calicis* in hoc Regnum (ùt nunc ſub *pallio Auguſtanae Confeſſionis* in *Romanum* Imperium) fraudulenta immigratio. Jugi vigilabat ſollicitudine, qua potiſſimùm via, eos, qui gratiâ Collatorum, ùt tunc vocabantur, fulti, Parochiales Eccleſias velut Lupi invaſerant, ac *Huſſiticam* plebem pro calixtina hæreſi, ducentis jam propè annis *Bohemiam* atterente, firmaverant, expedire, catholicósque veros Sacerdotes, & Paſtores in tanta penuria Cleri inſtituere poſſet. Communicatô ergò cùm *D. Caſparo Queſtenberg* Abbate *Strahovienſi* conſiliô, ac erectô cum *Praemonſtratenſis Benedictini*, ac *Ciſtercienſis* Ordinum Praelatis fœdere, in veteri *Bohemiae* Ducum, ac Regum ſede, vulgò *Aula Regia* nuncupata, *Philoſophiae*, *Theologiae*, ac *SS. Canonum* ſtudium, & Clericorum ſeminarium, in quo & ego clericatûs fundamenta poſui, perpetuis proventibus fundavit. Exinde ſubjecta praeclara in vineam Domini prodeuntia, quà praedicando, quà catechizando amplum plebi fructum, Eccleſiæ Catholicæ augmentum fecerunt, ac faciunt. Duos poſteà de ampla ſua Archidiœceſi diſtrictus *Litomericenſem* videlicet, *Regino & Hradecenſem*, utpote infectæ *Luthero Saxoniæ* contiguos, pro meliori animarum proviſione, hæreſúmque exterminio pleno jure ceſſit; & in ſedes Epiſcopales erigi curavit. Generalis Magiſter *Crucigerorum* cum *rubea ſtella* hoſpitale ad pedem pontis è fundamentis exſtruxit. Clericos Regulares *S. Cajetani* & *S. Pauli* vulgò *Barnabitas Pragam* induxit. Presbyteros 1000. ordinavit, Eccleſias 600. conſecravit. Tandem impleto glorioſi regiminis curſu, ab electione *Clementis IX. Româ* redux, die 25. *Octobris* Anno 1667. *Viennæ Auſtriæ* diem ſupremum ſubiît, Archiepiſcopatûs Anno 44. Menſe 6. die 12. Cardinalatûs 41. *Viennæ* in Eccleſia Aulica *S. Auguſtini* apud *PP. Auguſtinianos* diſcalceatos (quibus in vivis plurima beneficia præſtitit) in crypta familiæ ſuæ ſepultus.

JOANNES IV. Comes *Libſteinsky* de *Lolovvrat*, *Archi-Epiſcopus Pragenſis XV.* Cathedralis Eccleſiæ *Olomucenſis* ad *S. Wenceslaum M.* Scholaſticus, natus An. 1624. poſt exceſſum *Erneſti* Cardinalis ab *Harrach* An. 1667. menſe *Novembri* à *Leopoldo I.* glor. mem. nominatus Archiepiſcopus *Pragenſis*, confirmatus à *Clemente IX.* Rom Pontifice. Electus etiam Magiſter Generalis *Crucigerorum* cum *rubea ſtella.* Poſt nominationem ſuam ſtatim dedit literas paſtorali Zelô plenas ad Capitulum *Pragenſe*, quas claudit: *Dominationibus veſtris adminiſtrationem tam ſpiritualem, quàm temporalem Archi-Epiſcopatûs ſolidè commendamus, laborum & induſtriæ non immemores. Nos utrinque divinis benedictionibus committentes. Dat. Olomucii die 18. Nov. Anno 1677.* Alias iterum ad *Cœleſtinum* à *Blumberg* Præpoſitum *Pragenſem.* Et tandem ultimas ad Capitulum *Pragenſe*, quibus infirmitatem ſuam & corporis defectum indicat, atque piis ſe precibus commendat. Dat. *Brunæ* die 21. *May* Anno 1668. Obiit pientiſſimè Eccleſiæ Sacramentis proviſus, poſt quatuordecim epilepticos paroxiſmos præientiſſimus

mus ſibi in domo ſui Domini fratris *Brunæ* die 31. *May* inter horam 10. & 11. feſto *Corporis Chriſti* Anno 1668. Indicans chronographicô nominis ſui annum mortis

IOANNES GVILIELMVS DE KOLOVRAT.

Et ità lucerna iſta Eccleſiæ, priusquam ad candelabrum poſita fuiſſet, extincta eſt. Corpus ejus conditum fuit die 25. *Junii* eodem Anno in Eccleſia Cathedrali *Olomucenſi*. Viſcera in Eccleſia *S. Petri Brunæ*. Cor verò in capella *Lauretana Richnovii* ditione *Kolovrataea Bohemiae*.

MATTHÆUS FERDINANDUS à *Bilenberg*, antea cognominatus *Zaubek*, id eſt *Dentulus*, *Archiepiſcopus Pragenſis XVI. Reghradii* in *Moravia*, Annô 1618. tenuibus parentibus natus. Mitiora ſtudia *Braunovii*, altiora *Olomucii* edoctus, Ordinem *S. Benedicti* in monaſterio *Braunovienſi* An. 1638. profeſſus. Per omnes Ord. ſui gradus ad Abbatis *Skalenſis*, tum ad *S. Nicolai Vetero-Pragæ* Anno 1649. dignitates aſcendit. Inde An. 1659. Protoepiſcopus *Regino Hradenſis*, ac tandem mortuo *Guilielmo* à *Kolvrat* intra decem dies à *Leopoldo I.* glor. mem. An. 1668. initio *Junii* nominatus Archiepiſcopus *Prag.* confirmationem *Româ* à *Clemente IX.* Rom. Pontifice obtinuit Anno 1669. in *Februario*. Confirmatus à ſede Apoſtolica ante introductionem ſuam eodem Anno *Pragam* venit, conſilia frequentavit, & ſacros liquores confecit, ac denuò *Chraſtium* diſceſſit. Deinde Dominica II. poſt Paſcha, quæ erat 4. *May*, ſolemni ritu *Pragam* ad reſidentiam Archiepiſcopalem, ac die ſequenti ad Eccleſiam Metropolitanam introductus, ſepulchrum *S. Wenceslai* pretioſâ marmoreâ ſtructurâ, ſex magnis argenteis candelabris, duobus argenteis angelis, & ſtatuâ *S. Wenceslai* argenteâ exornavit. De quibus audiamus teſtem oculatum *Thomam Peſſina* Decan. *Prag.* MS. „ memorat. Capit. Prag. An. 1671. Initio „ Octobris advecta ſunt marmora alba, & rubra pro ſepulchro S. „ *Wenceslai* reſtaurando, & ornando „ à moderno Archiepiſcopo Matthæo. Die 7. Octobris apertum „ eſt ſepulchrum ejusdem S. Martyris, & Patroni noſtri, repertáque eſt in illo Ciſtula cum reliquiis „ Sancti ejusdem, quam in alteram „ majorem impoſuit, additis aliorum quoque Sanctorum reliquiis, „ ut ciſta plenior eſſet. Ex iis erant „ SS. pulveres, & oſſa S. Lazari de „ Bethania, allata per Carolum IV. „ Mantuæ Anno 1370. & in faſciculo ſerico colligata, & obſignata. De Capite S. Ananiæ, qui „ Saulum baptizavit. S. Clementis M. Pontificis, & S. Blaſii M. Epiſcopi inſignes partes. Die 12. „ Octobris eod. Anno laborari cœptum in Mauſolæo ſepulchri S. „ Wenceslai. Lapis aræ loco ſuo „ motus, ſub quo inventæ ſunt reliquiæ S. Wenceslai in ciſtula parva plumbea cum inſcriptione. „ An. Dom. MCCCLXVII. ultima die Novembris ſanctiſſimi „ in Chriſto Patris & D. D. Urbani „ Papæ V. Pontificatûs Annô VI. „ Sereniſſimo & invictiſſimo Principe & Domino Domino Carolo „ Rom. Imper. ſemper Auguſto, & „ Bohemiæ Rege Illuſtri regnante, & „ imperante feliciter, Venerandus „ in Chriſto Pater & D. D. Joannes „ S. Prag. Eccleſiæ Archi-Epiſcopus „ ſecundus Apoſtolicæ ſedis Legatus hoc Altare, & Capellam in honorem S. Wenceslai glor. Martyris cooperante Spiritûs Sancti „ gra-

„ gratiâ conſecravit, præſentibus „ Reverendis in Chriſto Patribus & „ D. D. Petro Garienſi, Lamperto „ Spirenſi, & Henrico Nuenbur- „ genſi Epiſcopis, & in præſenti ca- „ pſella S. Wenceslai reliquias con- „ didit. Titulus vero altaris S. Wen- „ ceslai M. annotatus. Hæc in fo- „ lio pergameno ſunt ſcripta, cui „ appenſum eſt grande ſigillum ejus- „ dem Archiepiſcopi in rubra cera. „ In medio ſedet perſona ejusdem „ Archiepiſcopi manu dextra dans „ benedictionem, ſiniſtrâ verò cru- „ cem Archiepiſcopalem, vel potiùs „ Legati nati tenens, & parte dex- „ tra viſitur inſigne Archiepiſcopale „ Pragenſe, quod idem eſt ac Ca- „ pitulare, in campo nigro aureus „ tractus, à ſiniſtra proprium ipſius „ Archiepiſcopi, ſeu familiæ Wlaſſi- „ mææ, *nempe* tria colla gallorum In- „ dicorum *Slavice* Sups:ſowe, & „ inſcriptio circa illud: JOANNES „ QUINTUS DEI GRATIA „ SANCTÆ PRAGENSIS EC- „ CLESIÆ ARCHIEPISCOPUS „ SECUNDUS. Dominicâ ultimâ „ poſt Pentecoſten, quæ erat 22. „ Novembris, conſecratum eſt altare „ novum S. Wenceslai à Mathæo „ Archiepiſcopo, qui habuit miſ- „ ſam pontificalem, appoſita in „ membrana ad altare hac inſcri- „ ptione An. Dom. 1671. Dominicâ „ ultimâ poſt pentecoſten, quæ „ tunc incidit in diem 22. Novem- „ bris, ſanctiſſimi Domini Domini „ noſtri Clementis Papæ X. Pontifi- „ cis Anno 11. ac invictiſſimo Prin- „ cipe & Domino Domino Leopol- „ do I. Rom. Imp. ſemper Auguſto „ & Bohemiæ, Hungariæ &c. Rege „ glorioſo imperante, & regnante „ feliciter Celſiſſimus, ac Reve- „ rendiſſimus S. R. I. Princeps ac „ D. D. Mathæus DEI, & Apoſt. ſedis „ gratiâ Archiepiſcopus Pragenſis „ Legatus natus, Regni Bohemiæ „ Primas, & S. Cæſ. Reg. Majeſta- „ tis Conſiliarius intimus &c. Hoc „ altare, quod inſtar Mauſolæi pro- „ priis, & magnîs ſuîs impensîs ex- „ trui curaverat, in honorem S. Wen- „ ceslai glor. Mart. ac Bohemiæ Du- „ cis, cooperante S. Spiritûs gratia „ conſecravit, præſentibus Lo- „ cum tenentibus Regiis & Venera- „ bilibus Dominis Capitularibus „ Wenceslao Cœleſtino à Blum- „ berg, Præpoſito. Thoma Joanne „ Peſſina à Czechorod, Decano, & „ Officiali. Michaële Cruſio Archi- „ Diacono, Chriſtiano Pfalz ab „ Oſtricz Scholaſtico Prælatis Infu- „ latis, & Davide Klär, Joanne „ Dlauhovvesky â Longavilla, & „ Joanne à Tallmberg, Canonicis „ quoque Infulatis, nec non Wen- „ ceslao Kozogedsky Sacriſtano & „ plebano. Reliquiæ porro ſa- „ cræ, quæ erant antea in veteri ara, „ ſunt denuò hic in tumba S. Wen- „ ceslai M. ad caeteras ejusdem S. „ Martyris reliquias repoſitae. Idem „ ſanctiſſimus noſter Clemens X. ad „ preces ſuprà nominati Matthaei „ Archiepiſcopi Feſtum S. Wences- „ laì M. pro die 28. Septembris in „ breviarum Romanum poni juſſit, „ atque officium ejusdem ſub ritu „ ſemiduplici per univerſalem Ec- „ cleſiam recitandum ad libitum „ ab iis, qui ad horas Canonicas ad- „ ſtricti ſunt, permiſit annô Pontifi- „ catûs ſui primô, nempe 1670. die „ 29. Novembr. Laus DEO, & B. „ Virgini, & omnibus Sanctis „ Amen. „ Deſuper Anno 1672. „ inſtituit *Matthaeus* Archiepiſcopus proceſſionem per octo dies, tam ex triurbe *Pragenſi*, quàm ex aliis Ci- vitatibus Provinciae ad ſepulchrum *S. Wenceslai* hactenus non viſam, in quibus per octiduum ingens popu- lus è toto *Bohemiae* Regno confluxit. Eodem An. die Octava *S. Wenceslai* at- tulerunt *Plſnenſes* imaginem *S. Wences- lai* pictam, quae ſuprà Capellae ejus portam affixa cernitur, & *Kuttenber- genſes* lampadem argenteam inaura- tam, quae usque hodie ad ſepul- chrum ardet. Caetera *Matthaeus* Archiepiſcopus *Rubro Rzeczicium*

Archiepiſcopale oppidum exuſtum, è fundamento reſtauravit. *Przibramii* nominatam arcem, olim ad primum Archiepiſcopum *Arneſtum* ſpectantem, à *Leopoldo I.* glor. mem. ſedi Archiepiſcopali donatam, re ædificavit, reſidentiam Archiepiſcopalem exornavit. Demum An. 1673. poſteriorem Eccleſiæ Metropolitanæ partem, quæ *Huſſiadum* turbîs intervenientibûs ædificio aſſurgere non potuit, è fundo eduxit, ſed mors abrupit coeptam, de quo rurſum audiamus ſuprà citatum *Thomam Peſſina MS. Cod. Memorab. Capit. Prag. Annô 1673. Feria II. poſt Dominicam reſurrectionis inchoata foſſio pro fundamentis novæ poſterioris partis templi S. Viti ſubturri. Ceremoniæ fuêre tales.* „Primò Archiepiſcopus Matthæus „habuit lectum ſacrum in Sacello S. „Adalberti, Muſicîs accinentibûs „Lytanias Lauretanas. Præſentibûs Dominîs Capitularibûs variîs „indutîs, Regiîs locum tenentibûs, „& aliîs quàm plurimîs. Quo finito Archiepiſcopus conſedit in „præparata ſibi ſede, ſub baldachino indutus ſacris veſtibus, & pluviali. Tum è regione ipſius prope tumbam, & altare S. Adalberti, ſtans Dominus Præpoſitus, „Cœleſtinus à Blumberg variò indutus, habuit orationem ad Archiepiſcopum, quo ei in hoc ſancto opere, benè precatus eſt, ut, „ſicuti incipit, ità feliciter quoque „opus hoc tam grande perficiat. „Reſpondit poſtea Archiepiſcopus, „& fatebatur, omnino grande opus „ſeſe inchoare, ſperare tamen, „quòd ope Dei poterit & conſummare, invocando S. Adalbertum, „ut Benedictinus Benedictino benedicat. Itum poſteà ad locum „foſſionis primò faciendum, ubi „Archiepiſcopus acceptô à me „(Decano *Peſſina*) ligone, terno „ictu humum fodit, poſt illum ego „Decanus in abſentia Præpoſiti, & „Capitulares, dein locum tenentes „terram fodimus. Eodem Annô „Dominica XV. poſt Pentecoſten „mediâ circiter decimâ venit Cæſar „Leopoldus in Eccleſiam, ad ponendum primum lapidem templi „novi, ſive poſterioris partis templi. Locus pro primo lapide ponendo erat deſignatus angulus ille, „ubi antea quieſcebant reliquiæ SS. „Padivini, & Przibislavæ; prope „quem ad parietem templi, ac penes januam templi erectum erat altare, ad quod poſui lapidem benedicendum; nam ex templo tum „exibamus; portabam in argentea „pelui dictum lapidem, & tunc inchoatæ ſunt cæremoniæ. Cæſar „habebat ſedem, & genuflexorium è regione dicti altaris in loco „non nihil elevatiore. Finitîs ceremoniîs Archi-Epiſcopus, & Cæſar poſuerunt lapidem in locum „ſuum, cum Camella argentea habente inſcriptionem: Annô Dom. „MDCLXXIII. die III. Septembr. „Gubernante Eccleſiam Catholicam Clemente X. Pontifice Romano, poſitus eſt lapis iſte pro Eccleſia hac, quæ conſtruitur in honorem S. Adalberti M. & Patroni „Regni, ab ipſomet Auguſtiſſimo „& invictiſſimo Imperatore, & Bohemiæ Rege Leopoldo, hujus nominis primo, unà cum Matthæo „Ferdinando Archiepiſcopo Pragenſi ex Ordine S. Benedicti. „Poſt hoc Cæſar Leopoldus poſuit „ſua manu aureum nummum cum „ſua effigie, & inſcriptione viginti „circiter aureorum in eundem locum.„ Hactenus *Peſſina.* Sed hæc Matthæiana ad normam Romanam inchoata ſtructura cum veteri *Gothica* neutiquam congruens, nullum hactenus continuatorem invenit. Obiit *Matthæus* Archi-Epiſcopus *Pragæ* morbô diſſoluti brachii ſacro igne correpti die 29. *Aprilis An.* 1675. circa horam decimam noctis. Corpus ejus ſepultum in Eccleſia *Braunovienſi*, viſcera in Eccleſia *S. Nicolai Vetero-Pragæ*, Cor verò ſpeciali indultu quà reſtauratoris

ris in ultimo gradu ante altare ſepulchri *S.* *Wenceslai* in Eccleſia Metropolitana, cum inſcriptione in ferro: *Hic jacet cor Matthæi quondam Archiepiſcopi Pragenſis. Orate pro peccatore.*

JOANNES V. *Comes de Waldſtein*, *Archiepiſcopus Pragenſis XVII.* Patre *Maximiliano Ferdinandi III.* Rom. Imp. intimo Conſiliario, ejusdem aulæ Supremo Camerario, & Matre *Maximiliana Friderici L. B. de Talmberg* Supremi in Regno *Bohemiae* Præfecti filia, circa Annum 1644. in *Auſtria* natus, ſtudiorum ſuorum, tam Theologiæ, quàm Juris, inter inſignes profectus coronidem ſuſtinuit *Romae*. *Alexandri VII.* Rom. Pontificis Prælatus domeſticus, & Camerarius honorarius, dein Cathedralis Eccleſiæ *Wratislavienſis* ad *S. Joannem* Decanus, ibidem Collegiatæ ad *S. Crucem*, Cantor & Prælatus. Cathedralis idem Eccleſiæ *Olomucenſis* ad *S. Wenceslaum* Canonicus. Crucigerorum cum *rubea ſtella* per *Bohemiam*, *Moraviam*, *Sileſiam* ac *Poloniam* Supremus, ac Generalis Magiſter ultimus ex Archiepiſcopis, ac etiam Anno 1673. quintô Calend. *Decembris* nominatus Epiſcopus ſecundus *Regino-Hradecenſis*, conſecratus à *Matthæo Ferdinando*, Archiepiſopo in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi* Dominicâ *Laetare*, quæ incidit in IV. *Martii* Anno 1674. tandem annô ſequenti 1675. Menſe *Majo* à *Leopoldo I.* Rom. Imper. & *Bohemiae* Rege glor. mem. ad Archiepiſcopatum *Pragenſem* præſentatus, & à *Clemente X.* Rom. Pontifice translatus, Tenor bullæ: „ Sanè Eccleſia Pragenſis, ad quam, dum pro tempore vacat, nominatio perſonæ idoneæ Romano Pontifici pro tempore exiſtenti facienda, ad chariſſimum in Chriſto filium Leopoldum Romanorum Regem in Imperatorem electum, uti Bohemiæ Regem ex fundatione, vel dotatione, ſeu privilegio Apoſtolico, cui non eſt hactenus in aliquo derogatum, ſpectare, & pertinere dignóſcitur &c. Et infrà. Volumus autem, ut antequam regimini, & adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Pragenſis te in aliquo immiſceas, in manibus Venerabilium fratrum noſtrorum, Viennenſis, & Neoſtadienſis Epiſcoporum, ſeu alterius eorum fidelitatis debitæ ſolitum præſtes juramentum. Dat. Romæ An. 1675. Quarto Nonas Decembris. Pontificatûs noſtri Annô ſextô. „ Accepta confirmatione Pontificia ſolemnî pompâ introductus *Pragam* in domum *Waldſteinianam* die Sabbati ante Dominicam *Laetare*, quæ erat 14. Martii, An. 1676. & die ſequenti in Eccleſiam Metropolitanam. Reſidentiam Archiepiſcopalem (ùt hodie dum viſitur) è fundamentis liberali ſumptu, & habitatione commodè ordinatam, excitavit. Baſilicas à ſe ſplendidè ædificatas *Duxovii*, & *Oberleutensdorffii* dotavit. In ſeminario Archiepiſcopali amplam domum, & Eccleſiam in honorem *S. Adalberti Ep. M. Moldavo-Tynae*, domum decanalem, *Launovicii*, Parochialem à fundo exſtruxit. Converſatione erga omnes ſuavis, & affabilis, veſtitu vulgaris. Erga ſubditos manſuetus, erga pauperes profuſus. ne ſubditis ſuis nova onera imponerentur, ſed eorum privilegia cuſtodirentur, teſtamentô Num. 12. cavit. Illis etiam, quoties annonæ caritate vexabantur, leviorî, quàm empta fuerunt, pretiô frumenta diſtribui juſſit. Vitam vixit ſobriam, auſteram, ſolitariam, totâ die oratione, ſcriptione, & lectione occupatam. Corpus inedia, pœnis, & nuditate atterens. Pluribus annîs vini hauſtu abſtinens, vilioribûs, & minùs nutritis cibîs in menſa utens. Sæpe in prandio repetens: *Si hos cibos pauperes haberent, quomodo DEO gratias agerent? Domine ſi per hos cibos te offendo, vertantur mihi in nauſeam.* Parcos ſomnos ſuper aſſeres, aut leve unius digiti ſtragulum,

lum, quod nec ſuprema infirmitate duplicari patiebatur, dormiens. Anguſta ſuppellectili domi, foríſque familiam ſibi ſervire paſſus, nè corpori delicias, animo voluptatem captandi occaſionem præberet, caſtimoniæ flore ſummopere inſignis, eundem etiam in aliis, & potiſſimùm Sacerdotibus plurimi æſtimans. Stabiliti in familia domeſtici ordinis obſervator exactiſſimus. Dum pro ratione officii transgreſſores ſeveriùs increpâſſet, ſtatim ad ſecretum cubiculum ſeceſſit, & in genua provolutus, Deum pro venia rogavit, quòd meliorem ſe malè tractaverit. Nunquam cubitum conceſſit, quin priùs per examen conſcientiam ventilâſſet, & pro exceſſibus ſibi pœnam impóſuiſſet. Confeſſiones ſuas ſacramentales, tanta contritione, & animi diſpoſitione peregit, ac ſi eô momentô mori debuiſſet. *MS. Bibliothec. Dukov.* Jura & libertates ſtatûs Eccleſiaſtici in juridicis non minùs, quàm Theologicis ſtudiis verſatiſſimus, non attenta carne, & ſanguine acerrimè defendit, ac plurimas tribulationes perpeſſus eſt. Inimicis ſuis, ac invidis oſoribus mira ſuavitate placabilis, ex ejus propria manu ſcriptis literis, non ſinè motu animi legi, velut: *Reverendiſſime Domine. Quia juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ Domini, iniquè apud Rererendiſſimum Dominum N. & alios delatus ſum. Cùm autem fecerim judicium, & juſtitiam, non tradet me Dominus calumniantibus, & hoc eò magis, cum poſuerint adversùm me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Unde non diffido, omnes facilè tempus patrem veritatis mihi reconciliaturum. Ego amore J E S U illis libenter ex corde ignoſco, remitto, & condono, quòd nullius contra eos iniquitatis mihi conſcius ſim, propriam meam conſcientiam innocentiæ, & inviolatæ amicitiæ teſtem habeo. Viennæ die* 31. *Martii An.* 1672. Tenerrima amoris *Mariani* indicia præbuit, dum ad miraculosè ſanguineam *Divæ Matris Virginis* iconem *Klattoviæ*, quatenus in ejus cultu populus alacrior ageret, Superiorem cum duobus ſacellanis opipara fundatione An. 1688. inſtituit. Heroicam in adverſis, quibus quandoque integer obruebatur, patientiam, colligere licet ad vivum è literis propria ejus manu ſcriptis, quæ habent: „ Reverendiſſime Domi- „ nè uti Frater. Ego DEO & juſti- „ tiæ ejus totum committo. Fa- „ ciam ipſo auxiliante, quousque „ ei placuerit, & vitam traxero, „ pro cujus honore & gloria nullos „ labores ſubterfugiam, & perſecu- „ tiones vereor, animam enim „ meam his pretioſiorem non ha- „ beo; unde hìc ure, hìc ſeca, „ dummodo ibi parcas: & nihil me ab ejus charitate, ut cum S. Paulo „ dicam, ſeparabit. Die 17. May „ Anno 1684. „ Spiritum roboris, quo inter mundi tribulationes conſtantiam ſuam, & patientiam, velut medicinâ cordiali obfirmare ſolebat, hauſit è ſcriptura ſacra, & potiſſimùm è pſalmis, quorum ſententioſa fragmina, per plures chartas ſtudiosè collecta, inter manuſcripta ejus, non ſinè magna animi mei conſolatione reperi, & juvat quædam in venerationem tam ſancti Archiepiſcopi pro parte exſcribere:

„ Multi dicunt animæ meæ: „ non eſt ſalus ipſi in DEO ejus. „ Omnes videntes me, deriſerunt „ me, locuti ſunt labiis, & move- „ runt caput.

„ Domine DEUS meus, ſi feci „ iſtud: ſi eſt iniquitas in manibus „ meis. Juſtum adjutorium meum „ à Domino, qui ſalvos facit rectos „ corde. Miſerere mei DEUS: vi- „ de humilitatem meam, de inimi- „ cis meis. Sperabit in Domino, „ eripiat eum: ſalvum facit eum, „ quoniam vult eum.

„ Dominus adjutor, & prote- „ ctor meus, in ipſo ſperavit cor „ meum, & adjutus ſum.

Sed & ea in ſanctam Archi-Præſulis memoriam præterire neutiquam debeo, quæ elatioribus literis manu ejus propriâ exaratis, quaſi determinata meditationis cujusdam peractæ propoſita notatu digniſſima, inter ejus analecta inveni, nempe: „ Tu ſcis, quid ad ſtatum „hunc promiſeris. Non vocavit „te Dominus JESUS ad requiem, „ut commedas, & bibas, & ludas, „& otioſâ converſatione cum amicis tuis, & nobilitate tempus teras, ſed ut paſcas oves ejus, & ut „id, quod Romæ de propaganda „fide antea conſuluiſti, hìc exequaris. Sis bonus Paſtor: agnoſcant te oves tuæ: & recordare, „quia Paſtor bonus etiam animam „ſuam pro ovibus ponit. Attende „tibi, nè honore prælationis deceptus in ſuperbiam incidas, & laqueum Diaboli: cogita, quod „honor, qui fit, non tibi, ſed Officio tuo fiat. Attende plebi; nè „occultè graſſante hæreſi præda fiat „Diaboli. Attende Clero; nè „puls ſuum commodum temporale, quàm ſpirituale populi curet: „Attende tuis conſiliariis, nè fame „pecuniæ injuſtam ferant ſententiam. Omnia de manu tua requiret Dominus JESUS.

Hactenus ex ungue Leonem. Libet hìc etiam aliquam paſtoralem zelô DEI plenam epiſtolam, quam propria manu Præpoſito *Vetero-Boleslavienſi* occaſione miraculoſi ibi Crucifixi inſcripſit, pro parte adjungere: „ Reverendiſſime Domine. Itatum Dominum peccatis „noſtris, tanquam potentem crapulatum de ſomno evigilâſſe; ſigna enim dantur infidelibus, non fidelibus, cum mœſtitia cordis ex „literis Reverendiſſimæ Dom. de 6. „currentis, & adjuncto authentico „examine rectè intellexi. Utinam „ſaperemus, & intelligeremus ad „pœnitentiam, & emendationem, „qualiter peccata noſtra primùm „paucis abhinc annis, eodem menſe, & quaſi die Glatoviæ Matri „Miſericordiæ ſanguineum expreſſerint ſudorem: nunc infinita de „cruce pendens Bonitas monſtrat, „quòd ultrà peccata noſtra aſpicere, „& ferre nequeat &c. Dat. die „9. Julii Annô 1689. „ *Alexander VII.* Rom. Pontifex vocavit *Joannem Fridericum* jam ad primordia clericatûs: *Sapiente Todeſco*; quid poſt adultas, & conſummatas has in eo virtutes ſuperſtes dixiſſet? Denique obtenebreſcente ultimæ ægritudinis acceſſu, & Serotino vitæ ſuæ crepuſculo, virtutum omnium ſplendor inclaruit magìs, ac id præcipuè in fervidiſſimis amoris DEI, & proximi flammis. Seceſſit levandi animi causâ reſidentiâ ſuâ Archiepiſcopali ad Dominium ſuum Patrimoniale *Duxovium*, & die 21. May, quæ erat dies *Veneris*, poſtridie *Aſcenſionis Domini* infirmari cœpit: qua autem animi reſolutione ad infirmitatem ſe præparaverit, fideli ſuo domeſtico Sacerdoti ſequentibus manifeſtavit: *à multis annis*, inquiebat; „me devovi, & conſecravi totum „DEO meo: ab illo tempore illum „ſolum amavi, nec quidquam extra illum quæſivi: ab illo tempore „ſum planè indifferens, an me velit damnatum, an ſalvatum, dummodo ſit ejus voluntas, & pro ſua „gloria; unde ſi velit DEUS meam „damnationem, & illam volo; ut „adimpleam ejus voluntatem & ſit „gloria ejus. Moriar hac infirmitate, quia DEUS vult meam mortem, fiat voluntat ejus. „ Die *Sabbathi* ante *Pentecoſten* confectô pridie teſtamentô, & inſtituto hærede *Illuſtriſſimo*, & *Excellentiſſimo Joanne Joſepho* S. R. I. Comite de *Waldſtein*, pro gloria patriæ, regni *Bohemiæ Mareſcallo*, Die 22. *Aprilis* An. 1731. piè vitâ functo, accivit è monaſterio *Potenſi P. Danielem* Capucinum pium, ac religioſum Sacerdotem, & generalem totius vitæ confeſſionem ei fecit, ad quam ſe

me-

mediâ die præparaverat: dein *P. Daniel* dixit, quòd ſua tota vita nunquam legerit, nec ab ullo homine audiverit, tantam cordis contritionem, exquiſitam voluntatis reſignationem, purum DEI, & proximi amorem, ac ab Archiepiſcopo *Joanne Friderico:* quod præ ſolatio animæ, toto confeſſionis actu ei Confeſſario oculi lacrymis irroraverint *Joan. Beker. Can. Prag. Orat. funebr.* Perpeſſis patientiſſimè quatuordecim dies morbo variolarum acutis per omnes corporis artus doloribus, Eccleſiæ Sacramentis, Extremæ Unctionis, & Viatici devotè proviſus, inter ardentiſſima ad DEUM ſuſpiria, crucifixi amplexus, & oſcula die 3. Junii, quæ erat *Jovis* horâ duodecimâ. An. 1694. in arce ſua *Duxovienſi*, emiſit Spiritum annô ætatis ſuæ 50. Corpus poſt mortem flexile, & tractabile impoſitum tumbæ ſtanneæ, ſcripturæ ſacræ textibûs exornatæ devectum *Pragam*, & die 8. *Julii* horâ nonâ veſpertinâ in Eccleſia Metropolitana, ſacello familiæ ſuæ è facie ſepulchri; *S. Joannis Nepomuceni* honorificè tumulatum. Manet *Joannes Fridericus* Gemma, lapìsque pretioſus domûs *Waldſteinæ.* Communis per *Bohemiam* fert opinio, eum cœleſti gaudere gloriâ, ex iis potiſſimùm, quæ Virgini *Maximilianæ Saſmukianæ* Ordinis *Præmonſtratenſis* in parthenone *Doxanenſi* profeſſæ, religioſæ vitæ virtutibus, & morum ſanctimoniâ valde exornatæ deſuper juratò auditæ, aliquoties cœlitùs viſa fuêre. Extant apud me literæ, quæ quia non ſunt paſſim obviæ, præſtat ex iis quædam delibare. *Flexi* (inquit poſt cætera plura narrata) *in Sacello S. Candidi M. ad angulum coram imagine Beatiſsimæ Virginis* nocte *circumciſionis Domini* Annô 1695. „ & vix „ ibi per tria Pater noſter flecto, „ aperitur ſacellum, quod fuit benè „ clauſum, & intrat perſona, tota tam „ formoſa, & glorificata ſicut cryſtallus, & ſicut ex puriſſimo cryſtallo „ poteſt perſona eſſe facta, com„ plicatis, & rurſum elevatis mani„ bus, & flectit in gradu ante imagi„ nem B. Virginis. Ego volo cla„ mare, & fugere, ſed non potui „ me movere, nec ex loco ire, „ etiamſi me quis in partes diſſecuiſ„ ſet. Hoc viſum nihil dicit, ſed „ ſemper manet flectens. Ego „ etiam nihil dico. Tandem poſt „ tempus aſſumo mihi animum, & „ dico ad illud, quod præ timore „ mihi in mentem venit: Ego te „ obteſtor per DEUM vivum, & „ qui pro nobis in cruce mortuus eſt, „ & per ejus ſanctum ſanguinem, ut „ mihi dicas, quis ſis, & quid â me „ maxima peccatrice petis, quòd „ me in pace non relinquas. Hìc „ ſtatim ſurgit, & dicit, ſum anima „ peccatrix, ſed nunc in gratia Dei „ Archiepiſcopus Pragenſis. Noli „ me timere, ego tibi nihil nocebo, „ non veni ideò, ut tibi noceam, „ ſed ut voluntatem DEI adimpleam „ hanc, & tu facies: peto à te „ hoc &c. Dicas iſti N. &c. Ad „ hæc repoſui, ſi hæc, quæ mihi ex„ pedienda mandantur expedire „ voluerò, quis mihi credet? à „ magnis Dominis, quibus hæc ex„ pedire jubeor, non niſi confuſio„ nem reportabo. Super hoc retor„ vum vultum monſtravit Archi„ Epiſcopus dicens: Noli de ignotis & occultis judicare, imò po„ tiùs confundi deberes de tua ſu„ perbia, quòd ſimiles confuſiones „ timeas. Credant, ſive non cre„ dant, dummodo tu voluntatem „ DEI adimpleas &c. Dein ince„ pit loqui de altera vita. Multas „ confuſiones propter juſtitiam in „ mundo ſuſtinui, & multis fui op„ probrio, ſed propter hæc regnum „ cœlorum promeritus ſum. Ne„ mo credit, quàm ardua & diffici„ lis ſit via, minimam culpam, & „ negligentiam horrendæ pœnæ „ comitantur. Pro hoc, quòd nos „ nihili ducimus, & nobis in nullum „ peccatum imputamus, graves ra-

„tiones coram DEO reddere debe-„mus. A tempore mortis meæ „horrendas pœnas ſuſtinui, quas „ſufficienter verbis explicare ne-„queo, propter quaſdam negligen-„tias, quas ſi ſciviſſem in peccatum „mihi imputari, libenter vitâſſem, „& correxiſſem. Putamus nos „omnia hìc benefacere, coram „oculis DEI tamen aliter judica-„mur. Scito, quòd pauciſſimi „magni Domini Epiſcopi, & Præ-„lati cœleſtem attingant gloriam, „quia plus mundo, ſuperbiæ, & „aliis injuſtitiis ſerviunt, quàm „Deo & vocationi ſuæ. Rogo te, dic „Epiſcopo Litomericenſi (*Jaros-„lao* Comiti à *Sternberg*) quòd illi „ſignificem, ut juſtè vivat in mundo „& non timeat plùs homines, quàm „DEUM, & DEUS erit illi auxi-„liator. Dic illi, pro ſolatio, „quòd hodie horâ ſextâ in æterno „gaudio DEUM videbo, ubi pro „eo & omnibus orabo Deum. Det „tibi DEus æternam pacem, & hæc „dicens, ânte oculos meos diſpa-„ruit feliciſſima anima." Hæc ibi. Quæ Catholicæ Eccleſiæ ju-dicio ſubjecta ſunto.

JOANNES VI. *Comes de Breuner, Archi-Epiſcopus Pragenſis XVIII.* natus An. Dom. 1641. Cle-ricali militiæ nomen dans, proſæpiæ-que illuſtri virtutem ac doctrinam ſocians, per diverſos promotionum gradus dexteritatem ſuam, rerúm-que uſum probans, tandem apicem Archiepiſcopalem aſcendit. Anno 1658. à Sereniſſimo Archiduce *Leo-poldo* Epiſcopo *Olomucenſi* perpetuus ad *S. Annam* Rector. Anno 1666. Prælatus Scholaſticus. Anno 1671. Epiſcopus *Nicopolitanus* conſecratus, Suffraganeus, & Vicarius Genera-lis, & Officialis. Tandem Annô 1694. à *Leopoldo I.* Glor. Mem. no-minatus Archiepiſcopus *Pragenſis.* Confirmatus ab *Innocentio XII.* Rom. Pontifice. Verba bullæ: *Sanè Ec-cleſiæ Pragenſis, ad quam, dum pro tempore vacat, nominatio perſonæ idoneæ Rom. Pontifici pro tempore exiſtenti facienda, ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Leopoldum Romanorum Regem in Impe-ratorem electum ratione Regni Bohemiæ, cujus ipſe Leopoldus etiam Rex exiſtit, ex privilegio Apoſtolico, cui non eſt hacte-nus in aliquo derogatum ſpectare dignoſci-tur, &c. Te in Archiepiſcopum præfi-cimus &c. Volumus inſuper, ut tu præfatæ Eccleſiæ Pragenſis reparationi pro viribus incumbas, nec non Theologalem, & pœnitentiariam præbendas ad præſcri-ptum S. Concilii Trident. inſtituas, mon-témque pietatis erigi cures, conſcientiam tuam ſuper his onerantes. Dat. Romæ An. 1695. Quarto Nonas Julii Pontifi-catus noſtri Annô quarto.* Accepta à ſede Apoſtolica Confirmatione, die 6. *Novembris* An. 1695. ingenti plau-ſu ad Archiepiſcopalem ſedem & Eccleſiam Metropolitanam introdu-ctus, à *Joanne Ignatio* de *Longavilla* Præ-poſito *Pragenſi*, & Suffraganeo, oratione ſynchariſtica ſalutatus, octava poſt Dominicam inthroniza-tionis die, Dominicâ XXV. poſt pen-tecoſtem 13. *Novembris* palliô Ar-chiepiſcopali in plenitudinem pote-ſtatis à *Jaroslao* Comite de *Sternberg* Epiſcopo *Litomericenſi*, ſedis Apo-ſtolicæ deputato Commiſſario, in Sacello reſidentiæ Archiepiſcopalis exornatus, commiſſum ſibi gregem paſtorali vigilantiâ regere incepit. Spiritu devotionis & dono medita-tionis inſigniter præditus, Jurium Archiepiſcopalium defenſor, De-coris in Eccleſia DEI, & attentionis in ſacris functionibus accuratus ex-actor. Acer vitiorum cleri vindex. Victu ac veſtitu frugalis. Erga pau-peres miſericors, erga ſubditos li-beralis. Curâ ſingulari opportunus omnibus. De Eccleſiâ Metropo-litana Pragenſi optimè meritus, cu-jus ſacram ſupellectilem liberaliſſi-mo ſumptu inſtauravit, auxit. Pro-curatis ſuo ære in altarium orna-menta argenteis Sanctorum Regni Patronorum ſtatuis, pontificali miſ-ſæ ornatu pro ſe, Canonicis, & Vi-

cariſtis

cariſtis in ſumma viginti quinque millia florenorum. Sedem Archi-Epiſcopalem perenni affecit memoriâ auctis per reſtauratas villas, ovilia, & novales agros reditibus, è fundo extructis *Svvieticii* & *Tinæ* reſidentiis, inventâ *Rozmithalii* ferri minerâ, excitataque ferraria fornace & officina, recuperatô in *Moravia* bonô *Kogetin*, centum & octoginta annis pignori ſuppoſitô. In ſeminario Archiepiſcopali auxit numerum alumnorum, & Eccleſiam *S. Adalberto Ep. M.* ſacram die 16 *Jun.* An. 1697. conſecravit. Rexit tranquillè, & pacificè Eccleſiam *Pragenſem*, ac poſt exantlatos, in vinea Domini quàm plurimos labores, collectáque in Eccleſia DEI inſignia merita pientiſſimè in Domino obiît, Eccleſiæ Sacramentis *Dom. 2. quadr.* quæ erat 16. *Martii SS. Viaticô*, & 17. ejusdem Extrema Unctione proviſus in Archiepiſcopali reſidentia *Pragenſi* die 20. *Martii* inter horam 10. & 11. noctis An. 1710. Cavens teſtamento *num. 5.* ne in ejus encomium fiat dictio funebris. Ut adeò veteri obſervantia hactenus in veritate compertum ſit, quòd omnes Epiſcopi, & Archiepiſcopi *Pragenſes*, qui *Joannis* nomine inſigniti præfuerunt, magnâ pietate, prudentia, frugalitate, caſtimoniâ, liberalitate, morum innocentiâ, & vitæ ſanctitate, gregi ſuo præfulſerint. Sepultus fuit ad Eccleſiam Metropol. cryptam communem Capituli die 23. *Martii*, quæ erat *Dom. 3. quadrag.* veſperi horâ octavâ comitante funus clero Triurbis. Exequiæ ſolemnes ad erectum caſtrum doloris in Eccleſia Metropolitana celebratæ fuêre diebus 27. 28. 29. *Martii* Epitaphium à me confectum, & in membrana tumbæ affixum ſonat.

Exuviæ
Reverendiſſimi ac Celſiſſimi Principis
Domini Domini JOANNIS JOSEPHI
Archiepiſcopi Pragenſis.
Sac. Rom. Imper. Principis è Comitibus de Breuner.
Qui Annô
Sedis Archiepiſcopalis XV.
Dignitatis Epiſcopalis XXXIX.
vitæ LXIX.
Comparatâ ſuppellectili Eccleſiæ pretioſâ
Vindicatô bonô Pignoratitiô.
Reſtauratâ œconomiâ
Et auctis proventibûs.
De ſancta Eccleſia Metropolitana,
Sedéque Archiepiſcopali
Optimè meritus,
Bonus Paſtor, utì vixit.
piè in Domino
obiît
Die XX. Martii An. MDCCX.

FER-

FERDINANDUS è *S.R.I. Comitibus de Künburg Archiepiſcopus Pragenſis XIX.* Illuſtrem generis proſapiam doctrinâ, ac pietate decorando, ad juſtum ſe *Clementis X.* Rom. Pontificis favorem inſinuavit, ac inter aulæ Pontificiæ Prælatos effulgens, inſigni adhuc adoleſcens ab ætatis illiciis temperantiâ, morum modeſtiâ & quod tunc principale erat, ſolitariô, inſtantique literarum ſtudi, & pietatis cultu ſe quàm plurimùm, ac ad aliorum etiam invidiam commendavit. Ad nobiliſſimi Capituli *Salisburgenſis*, ac paulò poſt *Paſſavienſis* Canonicatum adlectus, in *Friſacenſem* quoque Præpoſitum deſignatus, laudabili ubique modeſtia, pietate, prudentiâ, rerum uſu divulgatus. *Romam* in Capituli *Salisburgenſis* negotiis ablegatus, inde à vivente Pontifice *Clemente XI.* retulit, nedum ſolidiſſimæ pietatis ſolemnem commendationem, ſed & à Cæſare *Leopoldo I.* Epiſcopatum *Labacenſem*, cujus infulâ integro Pontificis plauſu, antequàm *Româ* exiret, redimitus fuit. *Labaci* quinquennali labore Cathedralem *D. Nicolai* Eccleſiam à fundamentis magnificè erexit, idem pro Eccleſiaſticæ militiæ tyronibus alumnatum, pro emeritis animarum curatis domum, pro educandis & inſtituendis Virginibus ſacrum *Urſilinis* parthenonem ſumptibus ſuis excitavit, & dotavit, demum pro grandi rei literariæ incremento *Philoſophicum* ibidem *ſtudium* introduxit. Functiones ſacras in ædificationem plebis devotiſſimè ſubivit, Diœceſim viſitavit, Synodos celebravit, Sacramenta Confirmationis, & Ordinis multis hominum millibus propria manu miniſtravit. Poſt Epiſcopalem octennii laborem ambiente *Luſitanorum* Rege *Joanne V.* novam cum Auguſtiſſima *Auſtriaca domo* affinitatem, à *Joſepho I.* Rom. Imper. glor. mem. deſtinatus, qui Regiam ſponſam *Mariam Annam*, Archiduciſſam *Auſtriæ*, *Leopoldi* Magni Cæſaris filiam, & *Joſephi* Cæſaris ſororem, Cæſareus Legatus *Ulyſſiponem* deduceret, quam ſplendidam legationem *Dom. 7. poſt Penſecoſtem*, quæ erat dies 15. *Julii* Anno 1708. *Pragæ* advenientem, ac poſtea die 18. pientiſſimam Reginam, præeunte Celſiſſimo Legato, *SS. Bohemiæ* Patronorum lipſana viſitantem, ac ad Sacr. *Joannis Nepomuceni* ſepulchrum fervidas pro more *Auguſtæ domûs* preces fundentem, cum gaudio ſpectavimus. Inter tot virtutum & meritorum in Eccleſia adoreas tandem à *Joſepho I.* Rom. Imp. & *Bohemiæ* Rege ad Archiepiſcopalem *Bohemiæ* tiaram *Clementi XI.* Rom. Pontifici Anno 1710. præſentatus & ab eodem Pontifice in dignitate eadem confirmatus. Dein die 8. *Auguſti* Anno 1712. è *Luſitania Pragam* feliciter redux, ſuperata Anno 1713. peſtilenti lue, & acceptô ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Domino *Joanne Adamo* Comite de *Wratislao*, Epiſcopo *Regino Hradecenſi* die 14. *Julii* ejusdem anni in Capella domeſtica Archiepiſcopali palliô, Sabbatô demum ante Dominicam II. *Paſchæ*, quæ erat 14. *Aprilis* An. 1714. in triurbem *Pragenſem*, ac ipsâ *Dominicâ* in Eccleſiam Metropolitanam ſolemni ingreſſu, comitante triurbis clero inter feſtivos applauſus inauguratus, gregem ſuum ut bonus Paſtor regere incepit, eô plauſu, quò meliorem ſibi paſtorem ille non deſideret. An. 1723. Auguſtiſſimo Romanorum Imperatori *Carolo VI.* gloriosè regnanti die 5. *Septembris*, quæ erat Dominica 16. poſt *Pentecoſten*, & Auguſtiſſimæ Conthorali ejus, *Eliſabethæ Chriſtianæ* die 8. *Septembris*, quæ erat *Nativitas B. V.* in Eccleſia Metropol. Prag. *S. Viti* ſolemni pompa coronam *Bohemiæ* impoſuit. Teneriimo devotionis ad aram ſpiritu, conſervandæ in clero diſciplinæ, & exemplaris in Eccleſia Ordinis aſſiduè impensa ſollicitudine, pauperum denique ploratui largiter effuſa charitate for-

ma

ma gregis factus. Necdum in *Bohemiam* reverſus, ſed adhuc legationis *Luſitanæ* munere fungens, aliquoties centenos frumenti modios preſſis erogari juſſit: fores palatii quotidie, & uberiores ſtatis per hebdomadam diebus, circumſidentes numeroſas egentium phalanges, omnes erogatâ, vel annonâ, vel ſtipe recreavit, præter eos bene multos inopiam fateri pudentes, aut ab hæreſi ad fidem tractos, eò amplioris, quo ſecretioris ſubſidii menſtrua vel annua penſione ſuſtentavit. Denique Eccleſiam non modò Metropolitanam, inclytum *Bohemiæ* Regnum, ſed & Catholicam Eccleſiam univerſam, immortali ſibi devinxit merito, dum ad *Sancti Joannis Nepomuceni* inpetratam beatificationem, ſacri corporis levationem, ſecutam Canonizationem indefeſſum conatum, ac omne Paſtorale ſtudium adhibuit.

Tandem conſummatô vitæ curriculô, ætatis ſuæ anno 82. apoplexiâ tactus, die 7. Auguſti, quæ erat Martis, An. 1731. SS. Eccleſiæ Sacramentis proviſus, horâ octavâ veſpertinâ vitâ piè in domino functus eſt. Die 10. quæ erat Veneris, in Eccleſia Metropolitana ſepultus.

DANIEL JOSEPHUS MAYER de MAYERN, SS. Theologiæ Doctor, Archiepiſcopus *Pragenſis XX.* Doctrinæ, ac virtutum nobilitate, meritorum in Eccleſia *Chriſti* dignitate, verbi DEI prædicati eloquentiâ, prudentiâ, rerum uſu, comitate, aliisque Præſulum dotibus Honori par. Natus *Wartenbergæ* in *Bohemia* An. 1656. Mitiores literas *Gitſchini*, altiores *Pragæ* in Seminario *S. Wenceslai* edoctus, doctrinæ virtutem conjungens in convictu *S. Bartholomæi* Alumnis Pontificiis annumerari meruit. Sacerdos ordinatus, & pro miſſionario ad montana oppidi *Fribuſenſis* deſtinatus, ibidem fervore Apoſtolico, in annum ſeptimum laborans, ultra quingentas animas à *Lutheri* hæreſi ad Eccleſiæ Catholicæ gremium reduxit. Parochus dein *Lichtenſtadienſis* effectus, à *Joanne Friderico* Archiepiſcopo *Pragenſi* in Miſſionarium ad partes hæreticorum deſignatus, aulæ Oratoris Cæſarei in *Sueciam* ablegati pro Theologo adjunctus fuit. Ibi illius zelô plenas dictiones eleganti facundiâ exornatas Rex *Sueciæ*, ac Regni Proceres dilaudârunt, Catholici verò iisdem in fide ſtabiliti conſolationem plurimam reportârunt. E *Suecia* domum redux inſigni reliquiarum parte *S. Eduardi Sueciæ* Regis donatus advenit. Ut verò etiam in hierarchia Eccleſiæ pro meritis præmiaretur, die 2. *Januarii* An. 1693. in Canonicum *Pragenſem* electus fuit. Ubi eum è Cathedra Metropolitana contra vitia confligentem *Pragena* Tripolis in nonum annum optimo fructu audiît. Dein die 3. *Julii* An. 1701. concordantibus Capituli votis in Metropolitanum Præpoſitum, & à *Joanne Joſepho* Comite de *Breuner*, ac dein à *Ferdinando* Comite de *Künburg* Archi-Epiſcopis *Pragenſibus* in Vicarium Generalem & Officialem adſcitus, vigilanti prudentia, & dexteritate, res Eccleſiæ Metropolitanæ, ac Capituli, nec non totius Archidiœceſeos Pragenſis curat. Tandem die 17. *Aprilis* An. 1711. à *Clemente XI.* Sum. Pontifice Epiſcopus *Tiberiadis* creatus, & anno ſequenti à *Joanne Adamo* Comite *Wratislavv* de *Mitrovvicz*, Epiſcopo *Regino - Hradecenſi* aſſiſtentibus Dominis, Dominis *Olomucenſi* & *Wratislavienſi* Suffraganeis die 9. *Octobris Regino - Hradecii* conſecratur. Ad functiones publicas Patriæ tam Politicas, quàm Eccleſiaſticas quadraginta annis, ad S. Cæſareas Majeſtates Glor. Mem. *Leopoldum I.* & *Carolum VI.* quà miſſus à ſtatibus binâ vice Commiſſarius, ac ad binum proceſſum Canonizationis *S. Joannis Nepomuceni*, officio

judicis delegati, longè meritiſſimus, *S. Joannis Nepomuceni* (cujus miraculosè transmutatam, & intumeſcentem linguam die 27. *Januarii* An. 1725. primus animadvertere, & oſculari meruit) Cultor Specialiſſimus, cui ſe, ſuámque ſubſtantiam tum in vivis, tum poſt mortem dedicavit, & ut DEO, Sanctisque indigetibus *Bohemiæ* per choralem divini officii concentum laus jugiter exhiberetur, in Eccleſia Metropolitana choraliſtas Presbyteros fundavit, impendendo in eorum ſuſtentationem octo millia florenorum Rhenenſium. *Volinæ* ditione Præpoſitali *S. Antonio*, in domo reſidentiæ *S. Mauritio*, *Hoſtuni B. M. V.* Eccleſiam Parochialem ſuis ſumptibus ædificavit. Pientiſſimus in ſuos Parentes, Patri ſeniculo, & viribus deſtituto propriis manibus cibum miniſtravit. Quo circa ſua S. Cæſarea, Regia, Catholicáque Majeſtas, *Carolus VI. Rom. Imp.* & *Bohemiæ* Rex, inſignibus ſuis vitæ dotibus, meritisque clementer penſitatis, eundem pro gloria Cleri, ac Patriæ Architiara *Bohemiæ* benigniſſimè exornandum cenſuit. Juvat verò ſuæ Majeſtatis clementiſſimas Nominatoris literas ſubmiſſiſſimè memorare.

Beatiſſime Pater, Domine Domine Reverendiſſime.

„POſt officioſiſſimam commen„dationem filialis noſtræ ob„ſervantiæ perpetuæ felicitatis „incrementum. Sanctitatem ve„ſtram celare noluimus, di„vina Majeſtate ita diſponente, Fer„dinandum Comitem de Künburg „Archiepiſcopum Prag. ex hac „mortalitate ad æterna evocatum, „& per ejus obitum Archiepiſco„patum ſuo Præſulæ, Regnum ve„rò noſtrum hæreditarium Bohe„miæ ſuo Paſtore orbatum eſſe, & „cùm muneris, votorúmque no„ſtrorum ſit, præfato Archiepiſco„patui de ſurrogando alio ſucceſ„ſore providere, circumſpectis, „pluribus aliis, ſingulísque, qui „Nobis tam integritate vitæ, quàm „conſpicuitate doctrinæ, aliisque „eximiis dotibus de meliori com„mendati, atque de orthodoxa „Eccleſia, non minùs, quàm de „Nobis, domóque Noſtra Augu„ſtiſſima bene meriti ſunt, Venera„bilem devotum, conſiliarium no„ſtrum, & fidelem Nobis dile„ctum Danielem Joſephum Mayer, „Epiſcopum Tiberiadenſem, Præ„latum primarium, & Præpoſitum „Nobis ſemper Fidelis Capituli, Ec„cleſiæ Metropolitanæ S. Viti in ar„ce noſtra Pragenſi, Proto Nota„rium Apoſtolicum, nec non in „ſpiritualibus Vicarium Generalem & Officialem, utpote qui exantlatis „in vinea Domini laboribus ante „annos plus quam 40. Canonica„tum in Eccleſia Metropolitana „Pragenſi obtinuit: in hac digni„tate Eccleſiaſtica conſtitutus, mu„nus concionatorium cum magno „animarum fructu ſubiit, in Præ„poſitum veræ prædictæ Metropo„litanæ jam ante 30. annos electus, „& vix non per totidem annos, qua „Suffraganeus, & Vicarius in ſpiri„tualibus Generalis, & Officialis in „præfato Archiepiſcopatu Pragenſi „ſalvificæ fidei inſigne incremen„tum præbuit, & per hos indefeſ„ſos labores ſe ſe commendabilem „reddidit, omnibus aliis præferen„dum, dictæque Archidiœceſi „condignè præficiendum judicavi„mus. Quem proinde de jure, „quod Nobis, qua Regi Bohemiæ „competit, in Archiepiſcopum Pra„genſem Sanctitati veſtræ præſen„tantes, eandem filiali obſervantia „& reverenti affectu Noſtro requi„rimus, ut hanc noſtram nomina„tionem aſſenſu ſuo Pontificio non „ſolum paternè collaudare, & con„firmare, verùm etiam gratiis pri„vilegiis, & immunitatibus, quæ

„jure

„ jure vel conſuetudine competunt, „ vel congruunt, condecorare di- „ gnetur. Sanctitatem veſtram „ DEO, & Eccleſiæ incolumnem „ vivere ex animo filiali cordetenus „ exoptantes, & comprobantes. Da- „ tæ in Civitate Noſtra, Viennæ. „ Die 5. Menſis Novembris An. „ Dom. 1731. Regnorum Noſtro- „ rum Romani 21. Hiſpanicorum „ 29. Hungarici & Bohemici verò „ itidem 21.

Sanctitatis veſtræ

obſequens filius

CAROLUS.

De ſuper annô ſequenti obtenta confirmatione à ſua ſanctitate *Clemente XII.* Rom. Pontifice. Die 23. *Auguſti* coram ſua S. Cæſarea, Regia, Catholicàque Majeſtate *Carolo VI. Rom. Imp.* & Auguſtiſſima conthorali *Eliſabetha*, ac tota aula in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi* pallium Archiepiſcopale, è manibus Reverendiſſimi, ac Sereniſſimi Principis, ac Domini, Domini *Mauritii Adolphi* è Ducibus *Saxoniæ* Epiſcopi *Reginæ Hradecenſis* (tit.) ſolemni ritu ſuſcepit, ac die 6. *Septembr.* ejuſdem Anni publicum in *Pragenam* Tripolim, die ſequenti in Eccleſiam *Metropolitanam* ingreſſum, maximo Cleri, populique plauſu celebravit. Quia verò & meritis, & ætate jam gravis erat, diuturnum non geſſit regimen. Sed die 10. *Aprilis* An. 1733. piè in Domino obiit. Juvat hic ex apparatu funebri Caſtri Doloris ſub ſchemate, *Miſſionarii Apoſtolici*, à Reverendiſſ. & Eximio D. D. *Joan. Mauritio Martini*, S. Metropol. Eccleſiæ Archidiac. & Vicario Generali (tit.) typis dato, *fol.* ibi *penult.* recenſere: *Die 8. Aprilis An. 1733.* „ Celſiſ- „ ſimus Princeps, quod jam ante „ octiduum apparari commiſerat, „ extremis Sacramentis muniri deſi- „ deravit. Proinde circa ſeptimam „ veſpertinam ſacro viatico & ex- „ trema unctione in præſentia totius „ Reverendiſſimi ſempérque fidelis „ Capituli, præſentibúsque Cancel- „ lario ſuo, & Aulâ totâ, pientiſſi- „ mè proviſus. Poſt hanc provi- „ ſionem petiît, Reverendiſſimus „ Dominus Præpoſitus nomine „ omnium Capitularium Benedi- „ ctionem Paternam, antequam „ eam nobis impertitus, depreca- „ tus eſt omnes ſuos defectus, quos „ reſpectu cujuſcunque, & quomo- „ do libet commiſiſſet, adhortan- „ do omnes tanquam benignus Pa- „ ter, ut pro exemplo aliarum Ec- „ cleſiarum, & Capitulorum in mu- „ niis Eccleſiæ, omnem eam impen- „ derent induſtriam, quæ nos Deo „ & proximo poſſet reddere com- „ mendabiles; ut in charitate Deo „ conjuncti, ſanctam, piam, & ex- „ emplarem ducamus vitam, pro „ anima ejus Deum exoremus, eâ „ uſus oſcetriâ perfectionis para- „ phraſi, ut per actus reſignationis, „ humilitatis, ſui in nihilum deje- „ ctionis, fidei, ſpei, & chariratis „ audientium corda in lacrymas li- „ queſcere fecerit. Sanctam ſingu- „ lis ſucceſſivè impertitus benedi- „ ctionem, non ſine lacrymis „ omnium & ſingulorum ſuſceptam, „ inter alia poſt factam à Reveren- „ diſſimo Capitulo amari doloris ex „ periculoſo Celſiſſimi ſui Archi- „ Præſulis valetudinis ſtatu, conce- „ pti, debitæque obſervantiæ, re- „ verentiæ, & gratiarum actionis „ ſignificationem, ingeminabat Pa- „ ſtor hic vigilantiſſimus, quod „ quemadmodum quilibet Chriſtia- „ nus ſe ad mortem piè obeundam „ diſponere debeat, tanto magis „ Paſtores ovicularum divinæ opor- „ teat miſericordiæ conſecrari. Po- „ ſtea die 10. Aprilis circa horam „ tertiam pomeridianam, in præſen-

„præſentia Confeſſarii, & dome„meſticorum ad Aulam Sacerdo„tum, ardentiſſimis ſuſpiriis exem„plo Pauli diſſolvi, & eſſe cum „Chriſto cupientis, ſe ſe ad viam fe„licis æternitatis accinxit. Preces „pro commendatione animæ præ„ſcriptas, ore proprio pronuntia„vit. Brigittanas, & alias quoti„dianas ſuas orationes ſibi prælegi „audiens in intenſiſſimos ſolveba„tur affectus, ad ſingula myſteria, „jam oculos ad cœlum attollens, „jam pectus percutiens, ſingularem „cordis cum DEO conjuncti mo„tum indicabat. Demum oppreſſi „cordis ſufferentiſſimo ſigno edi„to, inter ultima animæ ex hac „valle lacrymarum transeuntis ſu„ſpiria, placidiſſimè obdormivit in „Domino.„ Hæc ibi. Die 20. 21. 22. *Aprilis* erecto in Eccleſia Metropolitana caſtro doloris ſolemnes exequiæ celebratæ fuêre.

JOANNES ADAMUS è S. R. I. Comitibus *Wratislavv* de *Mitrowicz*, DEI & Apoſtolicæ ſedis Gratiâ Epiſcopus *Litomericenſis*, ſacroſanctæ Regiæ, Exemptæ, & nullius diœceſeos Eccleſiæ *Wiſſchradenſis* Præpoſitus S. Metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis* Prælatus Scholaſticus emeritus, à ſua ſacra Cæſarea Regia, Catholicáque Majeſtate *Carolo VI.* die *5.* May An. 1733. in Archiepiſcopum Pragenſem nominatus, at à DEO Patriæ oſtenſus, non datus. Dum enim ſuæ Majeſtatis gratias agere *Viennam* accedit, die 2. *Junii* apoplexiâ tactus *Medlingæ* in *Auſtria* piè in Domino obiît.

Reverendiſſimus ac Celſiſſimus Princeps Dominus Dominus JOANNES MAURITIUS GUSTAVUS, Dei gratiâ Archiepiſcopus Pragenſis, ſedis Apoſtolicæ Legatus Natus, S. R. I. Princeps, Comes de Manderſcheid - Blanckenheim, & Geroldſtein, Lib. Bar. in Junkerath, Dominus in Pettingen, Daun, & Erp; Sac. Cæſ. Reg. Cathol. Majeſtatis Conſiliarius Intimus Actualis, Inclyti Regni Bohemiæ Primas, Eccleſiarum Metropolitanæ Colonienſis, & Cathedralis Argentinenſis reſpectivè Præpoſitus, ac Theſaurarius, Illuſtris Eccleſiæ Collegiatæ ad S. Gereonem intrà Coloniam pariter Præpoſitus, nec non Carolo Ferdinandeæ Univerſitatis Pragenſis Cancellarius Perpetuus. A Sacra Cæſarea Regia Catholicáque Majeſtate nominatus in Junio hoc ipſo Anno 1733.

Suæ Reverendiſſimæ Celſitudini vitam & felicitatem.

5. Præclaris horum Præſulum virtutibus vigilantiâ, ſobrietate, juſtitia, pietate, doctrina, ac prudentia omnis *Boemiæ* populus inter ſolida Chriſtianæ perfectionis incrementa ad æternæ vitæ paſcua etiamnum confidenter ingreditur. *Archiepiſcopus Pragenſis* velut *Regni Primas* jam olim *Caroli IV.* temporibus cum *capitulo, & clero Boemiæ in provinciæ diætis votum & ſeſſionem habuit.* Hoc quidem decus licèt *Huſſi* hæreſis abſtulerit, rediit tamen poſtliminiô An. 1627. in comitiis *Pragæ habitis*, ubi *Ferdinandi II.* pietate, & clementia *ſtatus Eccleſiaſticus* in priſtinum, eúmque inter Politicos Ordines primum locum reſtitutus fuit. *Capitulum Metropolitanum* poſt ArchiEpiſcopum, Epiſcopos, & Magnum *Melitenſium* Priorem ante cæteros Prælatos ſeſſionem, & vocem cæpit. Primis tribus erecti *Epiſcopatûs*, & *Capituli* ſæculis numerus Canonicorum quindecim, aut viginti non excedebat: ibi etiam in una domo velut *monaſterio* clauſi, communi menſa, & habitatione utentes, vulgari appellatione *Fratres* nominabantur. Quocircà *Coſmas Eccleſiæ Pragenſis Decanus* ad Annum 1091. de domo collegiali *Canonicorum Pragenſium* ita ſcribit: *die XV. Kal. May IV. feriâ in ſecunda hebdomada*

paſchæ

paſchæ combuſtum eſt MONASTERIUM SS. Martyrum Viti, Wenceslai, atque Adalberti in Urbe Praga, & ad Annum Domini 1094. *Coſmas Epiſcopus V. Cal. Octobris conſecravit altare S. Viti M. quia MONASTERIUM adhuc non erat perductum ad ultimam manum.* Item *Annô Domini. Incar.* 1096. *Calendis May à Venerabili Epiſcopo Coſmâ conſecratum eſt MONASTRIUM SS. Martyrum Viti Wenceslai atque Adalberti.* Ubi ex uſu eorum temporum, vita & habitatione communi *Canonicorum domum Capituli monaſterio* aſſimilat. *Fratrum* quoque appellationem commemorat, dum de Capituli *Boleslavienſis* erectione ad Annum Domini 1039. ait: *Dux Bretislaus velut divinis juſſis obtemperans ſub honore S. Wenceslai Martyris in urbe Boleslai juxta flumen labe venuſtiſſimum fabricavit COENOBIUM, in quo (ſicut hodie cernitur) DEO ſervit caterva FRATRUM numeroſa, & habetur Præpoſitura, & Baſilica valde Religioſa.* Ipſi etiam Pontifices olim Canonicorum Eccleſias *monaſteria* appellabant, ùt ex antiquitate demonſtrat Baronius, & Theophilus Raynaudus (l) inquit: *Canonici Eccleſiarum primis temporibus (ùt Avenione in Gallia An. 1187. ex religioſi inſtituti ritu unum corpus Præpoſito ſubjectum conflabant.* Aureâ tandem *Caroli IV.* ætate Canonicorum præbendæ ad numerum vigeſimum quartum excrevêre, eorum videlicet, qui in Sacerdotio conſtituti ad ipſam Eccleſiam perpetuò reſiderent, inter quos computabantur *Præpoſiti Collegiatarum Eccleſiarum Sex: Litomericenſis. S. Apollinaris, Melnicenſis. Boleslavienſis, S. Egydii, & Omnium Sanctorum*, qui omnes erant gradibus Magiſterii Theologici, aut Juridici inſignes. Accreverunt demum fundatorum munificentiâ etiam *Canonici medii præbendati ſex, ac Honorarii ſex*, qui per vices cum Altariſtis, & Manſionariis abſentias Canonicorum explebant. His rurſus addebantur *duo Canonici Regis & Reginæ*, qui per præſentationem habebant ſuum beneficium, priores verò per liberam Capituli Electionem. Verùm nullus præcenſitorum vocem habebat in Capitulo, ſed ſoli *canonici viginti quatur præbendati & reſidentes* ùt ex ſingulorum ſubſcriptione in Capitulis tam generalibus quàm hobdomadibus perpetuò diſpicitur. Ex omnibus porro indiſcriminatim *Archiepiſcopus* eligebat *novem Archidiaconos, Litomericenſem, Zatecenſem, Kaurzimenſem, Boleslavienſem, Bechinenſem, Tynhorſovienſem, Plſnenſem, Regino Hradecenſem & Bilinenſem*, qui conſtitutum numerum Decanorum ruralium cum ſubordinatis ſuis plebanis inſpiciendo, & viſitando regerent, & *Archiepiſcopi* partes diviſis oneribus portarenr. Omnes vocati ſunt *Archidiaconi in Eccleſia Pragenſi* adjuncto ſuæ provinciæ nomine, velut *Joannes Archidiaconus Zatecenſis in Eccleſia Pragenſi.* Præterea erat & ingens numerus aliorum Sacerdotum velut *canonicorum vicarii* viginti quatuor, *Altariſtæ* quinquaginta duo, *manſionarii* viginti quatuor, *Choraliſtæ* Clerici, qui media nocte ſurgentes, horas canonicas canerent, triginta aliquot, item alii, miniſtri tam Clerici quàm Laici propè innumeri. Ex quo colligitur, quanto ſplendore, devotione, & zelô Eccleſia *Divi Viti* laudes Domini inſonuerit, quàm copioſis ſacrificiis divinam Majeſtatem exoraverit, quam impensô Religionis obſequiô DEI gloriam in Regno dilataverit. At ecce! jam ſæpiùs non abſque ſingultu commemoravi *Huſſus*, & *Ziſka* vaſtavêre omnia. Quæ fundatorum pietas DEO & Eccleſiæ donaverat, Hæreticorum ſacrilega rapacitas rurſus abripuit. *Bona capituli* inter armatæ hæreſis furioſa prælia ad manus Laicorum diſtracta præbendarum numerum vehementer attenuârunt. Dignitas in Capitulo prima eſt, *Præpoſitalis*, dein *Decanalis*, has ſequitur *Archidiaconus*, & *Scholaſticus*, & ſunt omnes

(l) Theoph. Raynaud. tom. 8. in Lugdunenſibus tract. de S. Joanne Benedicto punct. 2.

omnes quatuor Prælati Regni. Primum Præpoſitum nominat *Cœleſtinus à Plumberg* (m) *Marcum*, qui Anno Domini 1068. Eccleſiæ præfuit, cui conſonat *Coſmas* ad eundem annum. Alii ante *Marcum* ponunt *Helicardum*, *Izonem*, *Severum*, & *Jaromirum* dein Pragenſes Epiſcopos. Alii primum Praepoſitum collocant *Hoſtivvodum*, alii iterum cum Anonymo *Surii* in vita *S. Adalberti* Williconem. Demum optimè putant ii, qui *Præpoſiti*, & *Decani* officia multò ſeriùs invaluiſſe conſtituunt. Caeterùm cùm utrorúmque ſeries hìc non ingrata foret, ideô eandem in gratiam Lectoris ſubnecto. Secutus ùt plurimùm (omiſſis incertis) conſignationes manuſcriptas *Cœleſtini*, ac *Pontani* Praepoſitorum, nec non *Thomæ Peſſina* Decani in phoſphoro. Mea quoque ex capitularis Archivi lectione non ſinè gravi labore adjunxi.

(m) Cœleſt. Præpoſ. Prag. in MS. Catal. Epiſ. & Can. Prag.

SERIES PRÆPOSITORUM PRAGENSIUM.

6. MARCUS Annô Domini 1068. De hoc *Coſmas*: „Cùm Jaromirus Epiſcopus perve„niſſet Pragam, eo die, quo juxta „morem poſſedit Epiſcopalem Ca„thedram, dat Marco Capellano ſuo „ejuſdem Eccleſiae Praepoſituram, „qui ſecundùm hominis genituram, „Nobili ortus erat proſapia, du„cens originem de gente Teuto„nica„ (ità habet exemplar impreſſum *Marq. Freheri*, & manuſcriptum *Metropol. Eccleſiæ* cum *Trebonenſi* concordat) „ pollens ſapientiâ præ„cunctis, quos tunc habuit terra Boëmica. Nam in omnibus libera„libus artibus, valde bonus fuit „ſcholaſticus, qui potuit dici, & „eſſe multorum magiſtrorum dida„ſcalus. In divina verò pagina in„terpres mirificus, in fide catholi„ca, & in lege Eccleſiaſtica doctor „magnificus. Quidquid tamen re„ligionsi, quidquid regularis in„ſtitutionis, quidquid hono„noris hac eſt in Eccleſia hic ſua „erudivit, & ordinavit ſapientiâ. „Priùs enim erant irregulares, & „nomine tantùm Canonici, incul„ti, indocti, & in habitu laicali in „choro ſervientes, velut acephali, „aut beſtiales centauri viventes. „Quos vir prudens Marcus ſuis ver„bis & exemplis inſtruens, ut è „multis meliores, quaſi de prato „excerpens flores, ope divinâ co„operante XXV. fratres ordieavit, „dans eis religionis habitum, & „ſecundùm regulam, aequalem ci„bi & potûs menſuram. „ Et poſt pauca. „ Hic beat. mem. Prae„poſitus poſt triginta annos„ (id eſt Anno 1098.) „ quibus hujus „Eccleſiae rexit Praepoſituram „XVIII. Calend. Decembris migrat „ab his tenebris. „ Haec *Coſmas* ad An. 1068.

WITISLAW Praepoſitus *Pragenſis* circà Annum Domini 1100.

HENRICUS ZDIK dein Annô Domini 1126. Epiſcopus Olomucenſis. *Crugerius* & *Auguſtinus* in Catalogo *Epiſc. Olomucen.* de hoc dubitant, ſed eos refutat *Peſſina* in *Phoſph. Rad.* 5. *fol.* 557.

HERMANUS, vir pro eo ſaeculi genio egregiè doctus obiît 20. Jan. An. Dom. 1133.

OTTO dein Anno Domini 1140. Epiſcopus Pragenſis XII.

CUNRADUS Anno Domini 1143. exauctoratus, à *Guidone S. Rom.* Eccleſiæ Cardinali, & ſedis Apoſtolicæ (*Innocentii II.* Pontificis) in *Bohemiam* Legato. Cauſam ex auctorationis aſſignat *Guido* in ſua epiſtola apud *Ivonem* Epiſcop. *Carnotenſem Epiſt.* 196. „ Quia ſinè „omni ordine clericali manens, ad„huc

„ huc Laicus erat, & uxorem ha„ bens eam dimmittere noluit. Præpoſiti adeò dignitatem nullô jure invaſerat.

HENRICUS ab Anno 1144.

HROZNATA obiît An. 1152. die 6. Aprilis.

ULRICUS eruditione, & virtute clarus An. Dom. 1162. & ſeq. De quo, & ejus anteceſſore *Hroznata* in literis *Wladislai II.* Regis *Bohemiæ* pro Eccleſia *Lithomyſslenſi*: „ Hujus „ verò confirmationis noſtræ teſtes „ ſunt, Fratres mei Theobaldus, & „ Henricus, filii quoque mei, Fride„ ricus, & Svvatopluk, Daniel Epi„ ſcopus Pragenſis, Joannes Epi„ ſcopus Moravienſis, Gervaſius „ Cancellarius, & Præpoſitus Wiſ„ ſehradenſis, ULRICUS PRÆ„ POSITUS PRAGENSIS &c. In„ frà: Præpoſitus HROZNATA „ dedit villam Olſan. Datum Pra„ gæ per manum Gervaſii Cancella„ rii, & Præpoſiti Wiſſehradenſis „ XIII. Calend. Febr. An. Dom. „ Incarnat. M C LXVII. Regni verò „ Wladislai Regis VIII. „ MS. Archiv. *Litomyſsl.* apud me *fol.* 91.

MARTINUS ad Annum 1175. & ſeq. de quo in literis Sobieslai II. Ducis.

HERMANNUS II. circa Annum 1184.

FLORIANUS Præpoſitus etiam *Wiſſehradenſis*, ad Annum 1187. de quo in *MS. cod. Anniverſariorum Eccleſiæ Pragenſis VI. Cal. May. Eodem die obiît Florianus Præpoſitus Pragenſis, in cujus anniverſario de Przebislavv 8. Sexag. & 4. Gr. pro officio & candelis.* Fuit vir valde eruditus *Brzetislai Epiſcopi & Ducis Boemiæ* Cancellarius.

CHRISTIANUS, eruditione, & pietate illuſtris *Przemyslai Regis* Cancellarius. De eo in literis *Przemyſsly* Regis *Bohemiæ*, quibus pro remedio animæ ſuæ ad petitionem, *Danielis II.* Epiſcopi *Pragenſis* terram quandam in villa præbendali dicta. *Golubich*, quæ terra regali dominio ſubjacebat, perpetuò eidem præbendali villæ adjungit. *Teſtes, Venerabilis Pater Daniel Pragenſis Epiſcopus*, CHRISTIANUS PRAGENSIS PRÆPOSITUS, *& Cancellarius* (Regis) *Andreas Pragenſis Canonicus, & Præpoſitus Melnicenſis, Benedictus Notarius Regis, Pragenſis Canonicus.* Archiv. Capit. *Prag. Scin. Diplom.*

ANDREAS, de eo in privilegio *Ottogari* Regis pro Præpoſitura Ord. *S. Benedicti* in *Policz*. „ Acta „ ſunt hæc in caſtro Praga in vigilia „ Aſcenſionis Domini, An. Incarn. „ Dom. 1213. In præſentia horum, „ quorum nomina ſcribuntur: Da„ niel S. Prag. Eccleſiæ Epiſc. An„ dreas Præpoſitus ejusdem Eccle„ ſiæ, Eppo Canonicus Pragenſis. „ Poſtea Anno 1215. Epiſcopus Pragenſis, colitur ùt Beatus.

EPPO I. Regis Cancellarius vir inſignis prudentiâ & conſiliô ad Annum 1216.

ULRICUS II. obiît Annô 1230. Benefactor Eccleſiæ S. Viti.

EPPO II. de hoc fit mentio in quadam litera monaſterii *Brzevnovienſis* ad Annum 1234. *Joannes Epiſcopus*, EPPO PRÆPOSITUS PRAGENSIS, *Zdislaus de Waldek, Camerarius Vitko Senior, Henricus frater ejus &c.* In privilegio *Przemyslai* Tertii *Bohemiæ* Regis, quo *Sobieslai* literas *Wiſſehradenſi* Eccleſiæ, ac etiam ipſius *Wratislai* confirmat, quod incipit: „ Quanquam præ„ ſentis vitæ. „ Pro fine legitur: „ Facta reſt hæc enovatio, & dona„ tio A. D. MCCXXII. Indict. X. „ in Civitate Prag. Annô regni no„ ſtri

„ſtri XXI. Præſentibus, Benedicto „Præpoſito Litomericenſi Cancellario noſtro, EPPONE PRÆPOSITO PRAGENSI, Peregrino Præpoſito Melnicenſi, Bohuta Præpoſito Boleslavienſi. „ Archiv. *Wiſſehrad.* Lit. Origin.

TOBIAS I. ad Annum 1259.

JACOBUS obiit Annô 1278.

TOBIAS II. dein Annô 1278. Epiſcopus Pragenſis.

THOMAS de hoc in „MS. „eodem Anniverſar. XIII. Cal. Oct. „Eodem die obiit Thomas Præpoſitus Pragenſis, in cujus anniverſario de Ugezdecz dantur 2. Gr. „pro officio & candelis. „ Sed annus non additur.

GODEFRIDUS, cuſtos Eccleſiæ *Wiſſehradenſis* circà Annum 1279.

ULRICUS III. hic cum Magiſtro *Gregorio* Eccleſiæ Pragenſis Decano obtinuit à *Wenceslao* Rege *Boemiæ* privilegium exemptionis pro Eccleſiæ hominibus. „ Actum & „datum Pragæ per manus Magiſtri „Velislai Proto-Notarii Regni no„ſtri, ejusdem Pragenſis, nec non „Olomucenſis & Wiſſehradenſis „Eccleſiarum Canonici Annô „1286. IV. Cal. Julii.

PETRUS BRADAWICZ aliàs de *Lomnitz* ab Anno 1298. usque 1316. quo *Pragæ* obiit, unâ ab Anno *1311. Epiſcopus Olomucenſis.*

TOBIAS III. antea Decanus. Dein contemplationis, vitæque arctioris ſtudiô incenſus ordinem *S. Franciſci* ingreſſus.

HINKO etiam *Henricus* dein Annô 1327. *Epiſcopus Olomucenſis Ordine* vigeſimus ſecundus, obiit *Pragæ IV. Cal. Jan.* Annô *1333.* erexit, & dotavit in *Eccleſia Pragenſi* altare in honorem *Sancti Materni* de bonis ſuis Patrimonialibus.

DRZLAUS GERNINIUS, Decanus exemptæ Eccleſiæ *Wiſſehradenſis*, de hoc in quibusdam literis: „Nos Drzlaus DEI & Apoſtolicæ „ſedis gratiâ Præpoſitus, Henricus „Decanus, Thomas Archidiaconus „Brzedborius Scholaſticus, totúmque Capitulum Pragenſis Eccleſiæ, „noſſe cupimus univerſos quòd „quia per Dominum Ulricum bonæ „memoriæ noſtræ fuit conceſſum „Domazlao dicto Moravo, & ſuis „hæredibus &c. propter merita, & „ſervitia noſtræ Eccleſiæ exhibita &c. Nos verſa vice recompenſam ex condigno facere volentes, „volumus quòd dictam curiam in „Branik &c. liberè teneat. Actum „Annô *1330.* pridie. Non. Januarii. Inſtituit etiam confraternitatem primò Annô ſuæ præpoſituræ 1328.

BRZEDBORIUS, obiit Annô 1341. de eo in codice „Anniverſar. Non. Septembris. Eodem „die obiit Przedborius Præpoſitus „Pragenſis: in cujus Anniverſario „Miniſter S. Dionyſii expendet 2. „Marcas graves hoc modo: pro „officio & candelis 25. Gr. pro miſſis, Canonicis, Vicariis Archiepiſcopi, & Magiſtro ſcholæ, per „2. Gr. in commenda, Decano „4. Gr. Vicariis & Miniſtris reſiduum, data ſexta parte choralibus commenda in ambitu.

HENRICUS III. ad Annum 1347. in antiquis Tabulis Regni *Zdislai K. IV.* legitur: „ Anno Do„mini 1345. ſequenti die poſt Hie„ronymi Dominus Joannes, Rex „Boëmiæ præſidens in judicio cum „Dominis de Rozmberg ſummo „Camerario, Andrea de Duba judice, HENRICO PRÆPOSITO „PRAGENSI NOTARIO TERRÆ, & cæteris Pragenſibus Beneficiariis. Obiit Annô 1348.

PRO-

PROTIVA SWIHOVIUS Anno 1348. dein *Epiſcopus Segnienſis.*

NICOLAUS Decanus, antea *Olomucenſis*, Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, *Caroli IV. Imperatoris* Frater. De eo in literis, quibus à *Bohuslao Wolframo* cive *Pragenſi* duæ ſexag. groß Prag. *Eccleſiæ Pragenſi* & *Capitulo* donantur: „ Nos Nicolaus DEI & „ Apoſtolicæ ſedis gratia Præpoſitus, Przedborius Decanus, Simon vice-Archidiaconus, Sdeslaus Scholaſticus, totúmque S. „ Pragenſis Eccleſiæ Capitulum &c. „ Actum Anno 1349. in die S. Luciæ „ Virginis. „ Tandem ad Patriarchatum *Aquileienſem* promotus, ubi obiît die 31. *Martii* An. 1356.

PRZEMYSLAUS ZIEROTINIUS.

ZDISLAUS STERNBERGIUS ex Archidiacono Electus Præpoſitus, Canonicus *Wiſſehradenſis*, *Boleslavienſis*, & *S. Egydii Pragæ*, virtute, doctrinâ, ingeniô, & rerum gerendarum peritiâ inſignis: fundator altaris *S. Marthæ* in *Eccleſia Pragenſi*, quod pago ſuo *Martinovves* propè *Budinam* dotavit.

FRANCISCUS Hiſtoricus obiît die 3. *Martii* Annô 1362.

NICOLAUS II. Vir magnæ eruditionis, Cancellarius Romanorum & Boëmiæ Regis tandem *Epiſcopus Lithomyſslenſis* obiît Annô 1364.

HINKO HAZMBURGIUS quem *Peſſina Guidoni* poſtpoſuit, ſed clara Archivi documenta eum *Guidoni* præponunt, poſtea Anno 1372. *Epiſcopus Ladomirienſis*, & *Joannis I. Archiepiſcopi* Suffraganeus.

GUIDO de MONTEFORT, *S. R. Eccleſiæ* tit. *S. Cæciliæ* Cardinalis, de eo in MS. Regiſtro Eccleſiæ Prag. „ Annô Domini 1379. obiit „ Reverendus Pater, & Dominus, „ Dominus Guido, Cardinalis, & „ Præpoſitus Pragenſis in die S. Felicis. Item eodem Anno, & menſe Februarii Electus eſt à Capitulo „ in Præpoſitum Pragenſium Dominus Petrus de Janovvicz, & poſtea per Dominum Urbanum Papam VI. fuit de eadem Præpoſitura ſibi proviſum. Item idem Præpoſitus eſt Canonicus Præbendatus per Capitulum proviſus de Anno 1381. poſt mortem Odoleni „ Bonczonis. „ hæc ibi.

PETRUS II. de *Janovvicz* Electus menſe *Februarii* Annô 1379. vixit adhuc Annô 1398. tempore hujus Præpoſiti *B. Joannes Nepomucenus* Martyriô affectus fuit.

GREGORIUS etiam de *Janovvicz* de hoc in Regiſtro Archiv. Capit. Ubi domum ſuam Præpoſituræ extra portas minoris civitatis in *Ugezd* ſitam cum conſenſu & voluntate Capituli vendit Hon. Viro Magiſtro *Joanni de Moravia* Canonico Pragenſi, pro ſexaginta ſex. groß Prag. denar. Annô 1405.

PAULUS TALMBERGIUS Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, poſtea *Epiſcopus Olomucenſis*, reſignavit Præpoſituram Annô 1439.

WILHELMUS, de eo in codice „ Anniverſar. ad V. Cal. Octobris: Eodem die obiît Dominus „ Wilhelmus de Hazmburg aliàs de „ Koſt. Scholaſticus, & dein Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis Annô „ Domini 1439.

JOANNES PLEABNUS Crumlovienſis, & Canonicus Pragenſis Decretorum Doctor.

JODOCUS ROZEMBERGIUS Praepoſitus *VViſſehradanſis*, de eo in regiſtro bonorum *Eccleſiae*, & *Archiepiſcopatûs* alienatorum â *Sigiſ-*

mundo, *Ladislao*, & *Georgio fol. 6.* „Item ſub majori ſigillo Wolyna „cum fortalitio fuit obligata Domino Przibiconi de Klenovva, per „Sigismundum Regem in 1500. ſexag. Et quando Dominus Jodocus de Roſis fuit Præpoſitus Pragenſis eadem bona redemit (ùt „dixit in pecuniis fratrum de Strakonicz, qui Dominus Jodocus erat „in Strakonicz Magiſter Ordinis & „Crucifer, ac Epiſcopus Wratislavienſis) & acceptâ pecuniâ redemit à dicto Drzibicone, & cum „voluntate Georgii, tunc Regis, „poſtea depoſiti.„ Obiit die 15. „Decembris Annô 1467. Poſt hunc electus.

M. GEORGIUS de PRAGA, Magiſter in artibus, & ſacra pagina, quem Peſſina omiſit, de ejus obitu in membran. Breviario Bibliothecæ *Capit. Prag. fol. 1. Anno Domini 1478. obiit Magiſter Georgius de Praga Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis.*

HANUSSIUS à KOLOWRAT Præpoſitus *Wiſſehradenſis.* Conſervandæ Religionis Catholicæ in Bojemia Athleta. Zelus Eccleſiæ, & decor *Capituli Pragenſis* eum totaliter decomederat. Quali conatu Viros doctos in exemplum poſteritatis nunc incuriæ ad Capitulum adlegendos, præcipuè qui jurisprudentiâ clareſcerent, Eccleſiam ab Hæreticorum injuriis tueri poſſent, allaboraverit: ex literis ejus ad *Joannem de Krumlovv Decanum*, & Capitulum *Agriæ penult Novemb. An.* 1473. datis uberrimè accipimus: „ Conſiderent D. V. (inquit) quàm paucos viros doctos habet Eccleſia „noſtra, nullus juriſta, præter „vos Domine Decane, omnes ſumus mortales, & in periculo, ſi, „quod abſit, finiretis dies veſtros „quisnam eſſet juris peritus in Capitulo noſtro? Scitis, quia oportet, quòd tales Viros doctos habeat Eccleſia noſtra, quia ſi illis „carebimus, quis defenſabit contra infideles fidem ſanctam orthodoxam? abſit, nè ineamus hoc periculum, ſed potiùs quantùm „poſſumus, videamus, ut viros doctos habeamus, & ſic bene ſtabit „factum fidei, & Eccleſiæ. Propterea videtur, ut inter Viros illos „diſtribuantur beneficia, ſecundùm quod meliùs D. V. videbitur. „Si autem placuerit, ſecundùm „quod ego in ſchedula ſignavi, illa „ſint in veſtro arbitrio. De Archi- „Diaconatu Pragenſi, & Canonia „poſt Dominum Procopium Budovvecz provideant D. V. ut cedat „alicui Viro benè docto, & idoneo, quia dignitas eſt.„ Hanc Epiſtolam vide apud *Paproc. in Diad. fol.* 143. obiit die 23. *Septembris* Annô 1483. In membraneo Breviario „fol. 1. Annô Domini 1483. ſequenti die poſt Mauritii obiit Rdus „Pater, & Dominus Dominus Hanuſſius de Kolovvrat Præpoſitus & „Canonicus Eccleſiæ Prag. ſepultus „in Eccleſia Pragenſi. Et Pragenſes expugnaverunt omnia monaſteria, & expulerunt omnes Religioſos de Praga, ac Moniales, & „caſtrum Pragenſe tenuerunt per „unum Annum integrum, & tantùm decem Sacerdotes ibidem „manſerunt. Hæc ibi.

PAULUS STEPHANUS PAUCZEK, decretorum Doctor *Pragenſis*, & *Zderasdienſis* Eccleſiarum Præpoſitus, & *Archiepiſcopatûs* Adminiſtrator. Ab *Innocentio VIII.* 9. Cal. Aug. An. 1490. Pontificatûs ejus Anno VI. per ſpecialem bullam, ob magna in ſedem Apoſtolicam merita, in Capellanum ejusdem ſedis aſſumptus cum exemptione ab omnibus judicibus ordinariis. De eo præterea in literis *Wladislai* Regis *Bojemiæ* Annô 1496. quibus *Paulus* Præpoſitus, & Adminiſtrator & *Joannes Ureri*, Canonicus Pragenſis, nomine ſuo, totiùsque Capituli Pragenſis obtinent confirmationem privilegii

Wences-

Wenceslai Regis Bojemiæ, quo eximuntur homines *Eccleſiæ Pragenſis* à jurisdictione laica: Regnorum *Wladislai* Hungarici ſeptimô, Bojemici 26. Vir demum eloquentiſſimus, & *VVladislai Boemiæ & Hungar.* Regis ad *ſedem Apoſtolicam* Orator. Obiît die Nativitatis *B. V.* id eſt 8. Septembris An. 1498. ante ſacriſtiam, ſeu ſacellum *S. Michaelis* Archang. in Eccleſia Metropolitana ſepultus. Poſtea electus.

JOANNES VVARTEMBERGIUS, Præpoſitus VViſſehradenſis, qui obiît die 8. *Jan.* An. 1508.

JOANNES de TETCZEN, decretorum Doctor, quem alii omiſerunt. Obiît 1511. Poſt eum à Capitulo electus.

ERNESTUS SCHLEINICIUS Theologiæ, & Juris ſcientiſſimus, Præpoſitus ſimul *Miſnenſis*: ubi *Luthero*, & ejus Aſſeclis jam tunc nimiùm invaleſcentibus, verè murum pro Eccleſia Catholica ſe oppoſuit, & *Georgium* ducem ad mortem usque Catholicum detinuit, ac cum *Luthero* coram eodem *Georgio* victorioſè diſputavit. Puſillo quoque Catholico Clero per *Boemiam* non contemnenda fulcimenta, ſuâ ſapientiâ, atque apud *Ferdinandum I. Bojemiæ* glorioſum Regem ſingulari favore adjecit. Obiît die 6. *Februar.* Annô 1548. In marmoreo ſepulchri monimento legitur „ Schlukenavii. „ Anno Domini 1548. octav. Idus „ Febr. Obiit Reverendiſſimus Pa„ ter ac Generoſus Dominus Erne„ ſtus à Schleinicz SS. Pragenſis & „ Miſnenſis Eccleſiarum Præpoſitus „ & Pragenſis Archiepiſcopatûs „ olim Adminiſtrator & Dominus „ in Tollenſtein & Schlukenau. cujus „ anima requieſcit cum Beatis.

HENRICUS PISSEK, Juris utriusque Doctor, patriâ *Tynhorſſovienſis Caroli Archiducis*, & antea *VVilhelmi à Roſenberg*, poſtea ſupremi Burggravii Regni Præceptor, Canonicus *VViſſehradenſis*, Vir magnæ ſcientiæ & literaturæ, ac oraculum Capituli: electus à Capitulo die 25. *Januarii* Annô 1549. Obiît Annô 1586. die 13. *Jan.* ſepultus poſt altare *S. Viti.* Epitaphium ibi ſaxo inciſum: „ Henricus Scribonius ab Horſſovia J. U. D. atque „ hujus S. Metrop. Eccleſiæ Præpo„ ſitus vitâ functus, & hìc ſepultus „ An. Dom. MDLXXXVI. Die „ verò XIII. Januarii, cujus anima „ dic (quicunque tranſis) in pace „ requieſcat. Amen. H. M. Ne„ pos ex Fratre FF.

PETRUS II. de LINDA, Jur. utriusque Doctor, Decanus *VViſſehradenſis* & Canonicus Pragenſis dein circà finem Anni 1561. electus Decanus & tandem Annô 1586. die *Converſionis S. Pauli* Præpoſitus. Vir miſericors, & magnus eleemoſynarius. Obiît Annô 1592. in Feſto *S. Ludmillæ* ante auroram.

VALENTINUS GEIKAN, SS. Theologiæ Doctor promotus Ingolſtadii patriâ *Jaurienſis* ex Decano *Ponteñſi* Canonicus *Pragenſis*, graſſante hæreſi ingentes converſionis fructus fecit, dono prædicandi paucos habuit æquales, An. 1592. die *S. Ludmillæ* horâ 8. celebrato Capitulo electus omnium votis in Præpoſitum. Obiît Sabbato poſt *Reminiſcere*, qui incidit in 22. *Martii* An. 1593.

GEORGIUS BARTHOLDUS à patria ſua dictus PONTANUS, SS. Theologiæ Licentiatus, Canonicus *VViſſehradenſis* ex Decano Electus Præpoſitus Feriâ ſecundâ poſt *Dom. Eſto mihi.* An. 1594. Archi-Epiſcoporum *Martini* & *Sbignæi* Vicarius Generalis. Vir per 32. annos ad *Eccleſiam Metropolitanam* longè meritiſſimus. Summas delicias legendo & ſcribendo habuit. Eruditionem

tionem ejus teſtantur opuſcula edita. Bibliothecam manuſcriptis inſtructiſſimam *Eccleſiæ Metropolitanæ* legavit, quam dein Suedicus Mavors An. 1648. potioribus antiquitatibus notabiliter mutilavit. Sub Majori Altari cryptam pro Prælatis & Canonicis propriis ſumptibus uti & librum tumbarium fieri curavit. Obiît die 20. *Febr.* An. 1614.

SIMON BROSIUS HORSTEINIUS, SS. Theologiæ Doctor ex Decano Electus Præpoſitus. *Budiſſinenſis*, & VV*iſſehradenſis* Canonicus. An. 1626. *Non. Cal. Sept.* ab *Urbano VIII.* creatus *Archiepiſcopus Trapezuntinus* & *Pragenſis* Suffraganeus, ob præclarum Religionis Catholicæ Zelum, eruditionis excellentiam, rerum gerendarum dexteritatem præcipuè verò in Auguſt. Imperatorem *Ferdin. II.* & *Bojemiæ* Regem, ac patriam cum præſentiſſimo, rebellionis tempore, vitæ, ac fortunarum diſcrimine, fidem inviolatam, & alia inſigniſſima merita ab eodem Divo Imperatore diplomate Cæſareo in conſiliarium comitem Palatinum ſolenniter evectus. ex *diplom. Cæſar.* recuperavit bona Præpoſituræ, ùt habet inſcriptio Altaris *S. Joannis Bapt.* à ſe in *Eccleſia Metrop.* erecti.

D. O. M. B. V. M. & omnibus Sanctis in gratiarum actionem pro bonis Volinenſibus ad Præpoſituram Pragenſem ſpectantibus poſtliminio recuperatis Ferdin. II. Rom. Imper. H. M. P. Simon Broſius ab Horſtein Præp. Prag. Anno 1622. obiît die 13. *Jan.* An. 1642.

ELIAS COLBIUS, SS. Theologiae Doctor, & J. U. Licentiatus, patriâ *Svvidnicenſis*, *D. Georgii Adami*, Comitis à *Martinicz* Præfectus, tandem VV*iſſehradenſis* & *Pragenſis* Canonicus, ex Archidiacono Electus Præpoſitus. Concreditum ſibi talentum in multivaria eruditione impendit, magnâ morum ſuavitate praeditus. Hunc Virum occupatâ à *Saxoniæ* Duce *Pragâ* An. 1631. nec laborum periculorúmque magnitudo, neque praeſentia infenſiſſimorum hoſtium, ſub quorum poteſtate erat, deterrebat, quo minùs catholicae Religionis veritatem (erat quippe Teutonicô eloquiô potens) modò publicè pro concionibus, modò privatim contra Adverſariorum vanas & jam pridem damnatas opiniones demonſtraret. Obiît die 4. *May* Anno 1646.

JOANNES FRANCISCUS RASCH, patriâ *Auſtenſis* SS. Theologiae Doctor, Canonicus V*iſſehradenſis* ſub Cardinali ab *Harrach*, Vicarius Generalis, & Officialis. Vir praeclarè doctus, prudens, ac boni Conſilii. Jurium Capituli ſtrenuus defenſor, ac verè totius Hierarchiae Eccleſiaſticae in Regno Bojemiae tunc temporis lumen & Caput. In Patria ſua ſcholas erexit, ac perpetuò fundavit. Majus Altare 1000. fl. dotavit. Pro ſuſtentatione ſtudentium filiorum *Auſtenſium* 2000. fl. pro victu ſeptem pauperum in hoſpitali, qui quotidie tria roſaria in refrigerium animae ejus orent, & ſartis tectis 6500. fl. teſtamento legavit: Congregationem quoque *corporis Chriſti* ibidem injuriâ temporum dilapſam reſtauravit. Obiît die 12. *Jan.* An. 1666.

VVENCESLAUS FRANCISCUS CÆLESTINUS à BLUMBERG patriâ *Koſtelecenſis ad Aquilam* SS. Theologiae Doctor ex Archidiacono *Reginæ-Hradecenſi* Canonicus VV*iſſehradenſis*, & *Pragenſis*, dein die 17. *Martii* An. 1666. Electus, Praepoſitus. Vir pius, & Doctus & hiſtoriae patriae benè gnarus, ſcripſit *ſeriem Epiſcoporum*, *Archiepiſcoporum & Canonicorum Pragenſium*, extant MS. in Bibliotheca Capitulari. Item *Hæreticum quare*, *& Catholicum quia*. Dedicatum *Martinicio*, *Slavatæ*, & *Fabritio*. *Et gloriam antiquiſſimæ*

quiſſimæ Archiducalis domus Auſtriacæ. An. 1635. Obiit die 18. *Aprilis* horâ 12. meridianâ An. 1674. inſtituit *Eccleſiam Metropolitanam* hæredem. Et fundavit perpetuum ſacrificium in Capella *S. Annæ*, ubi infrà iconem Arae aureo caractere poſteritati ſcriptum reliquit. *Anno à partu Virgineo* 1648. *ante Feſtum S. Annæ noctu ſub aurora facta eſt inopinata irruptio Suecorum per mænia monaſterio R. P. Capucinorum vicina & portam Strahovienſem in Urbem Pragenſem, parva pars, & arx Regia occupata: capti ex nobilitate præcipui, unà cum Eminentiſſimo Principe Domino Domino Erneſto Adalberto Cardinali ab Harrach Archiepiſcopo Pragenſi; aliqui reſiſtere auſi, interfecti, Urbs militi præter paucas domos in prædam conceſſa, Theſaurus Regius, & quæ diuturna tot Regum & Imperatorum cura feliciatéque congeſta erant, ablata & in Sueciam avecta, hæc tamen Eccleſia Divi Numinis ope contra prædones Suecos intacta relicta. Ego VVenceslaus Franciſcus Cæleſtinus à Blumberg pro tempore novus Canonicus omnibus Spoliatus, inſuper ſtricto enſe à milite bené exceptus, DEO protegente nudus evaſi, in iſtis ergò anguſtiis & poteſtate Suecorum fuimus à Feſto S. Annæ, hoc eſt à die 26. Julii, ad feſtum omnium fidelium defunctorum, usque ad 3. Novembris, qua propter gratitudinis ergò ad gloriam omnipotentis DEI, honorem S. Annæ ſanctorum doctorum hoc monumentum, inſuper fundationem, ut quolibet Anno ſolemniter ſacrum fiat cantatum in ipſo Feſto S. Annæ pro mea anima hic in Capella F. C. Annô* 1670.

JOANNES IGNATIUS DLAUHOWESKY de LONGAVILLA, SS. Theologiæ Baccalaureus, *Pragenſis*, *VViſſehradenſis*, & *Vetero-Boleslavienſis* Eccleſiarum Canonicus. Die 3. *Junii* Annô 1674. Electus Præpoſitus, tandem *Epiſcopus Milevitanus*, & *Pragenſis* Suffraganeus Vir ſingulariter DEO, & cultui *B. Mariæ Virginis* deditus, Canonicator laudatus, & Zeloſus, in confeſſionibus audiendis indefeſſus. Erexit in *Eccleſia Metropolitana* Sacrificii Miſſæ fundationem perpetuam legatis 1000. fl. Pro erectione domûs Emeritorum Sacerdotum, qui in cura animarum vires corporis abſumpſerunt, legavit 10000. fl. & domum ſuam cum vinea in nova civitate, nec non & Bibliothecam. Obiit die 10. Januar. Anno 1701. hunc ſecutus,

DANIEL JOSEPHUS MAYER de MAYERN, „ SS. „Theologiæ Doctor, DEI, & S. „ Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus „ Tiberiadis, S. Cæſ. Regiæ Catho„ licæque Maj. Conſiliarius, Primus „ Prælatus Regni, S. Metropolita„ næ Eccleſiæ Pragenſis ad S. Vitum „ ſemperque fidelis Capituli Præ„ poſitus. „ In Canonicum *Pragenſem* electus die 2. *Januarii* Anno 1693. in Præpoſitum die 3. Julii An. 1701. demum ob inſignes dotes, ac præclara merita ad Archi-Præſulatum *Bohemiæ* promotus. Eidem ſucceſſit

CAROLUS DOMINICUS RZECZICZKY, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Proto-Notarius Apoſtolicus, Collegialis Eccleſiæ *Vetero-Poleslavienſis*, & die 13. *Julii* An. 1709. *Pragenſis* Canonicus, die 3. *Septembris* Anno 1722. Decanus, & tandem die 20. Novembris An. 173z. concordantibus per viam Scrutinii votantium calculis Metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis* Præpoſitus.



SERIES DECANORUM PRAGENSIUM.

7. PRimus Decani nomine ab omni retro antiquitate audit *Coſmas Bojemicæ* Hiſtoriæ conditor. Non fuit verò ille *Epiſcopus Pragenſis*, ùt fruſtra contendit *Bartholdus Pontanus* in *Bojemia pia*, qui *Coſmam* Hiſtoricum cum Epiſcopo *Coſma* confudit; an autem & *Coſmas Epiſcopus* ille priùs fuerit Decanus, *Coſmas* in Cronicô, qui *Coſmæ Epiſcopi* electionem ad Annum 1091. 4. *Nonas Martii* enarrat, non commemorat. Eô autem tempore *Coſmas* hiſtoricus non dum erat Sacerdos ſed Diaconus, & fuit primùm Sacerdos ordinatus poſt obitum *Coſmæ* Epiſcopi Anno 1099. *tert. Idus Junii* à *Seraphim Archiepiſcopo Strigonienſi*, qua ordinatione etiam Sacerdotium ſuſcepit neo Electus *Epiſcopus Pragenſis Hermanns*. Studit *Coſmas* Grammaticæ, & dialecticæ *Leodii* ſub Magiſtro *Francone* Teutone. Quidam arbitrantur eum priùs matrimonio junctum fuiſſe, eò quòd *Chron. lib. 3.* ſcribat „ eodem An. 1117. Rerum „ cunctarum comes indimota mearum, bis Februi quinis obiît Bozetecha Calendis. „ Filii quoque ſui *Henrici eod. lib.* mentionem faciat. „ Et Bertholdus cliens Henrici filii „ mei VIII. Idus Auguſti (An. „ 1123.) obiît.

COSMAS Bojemicæ hiſtoriæ Conditor, quam à *Borzivvogio* primo Duce Chriſtiano deduxit usque ad Annum Domini 1125. Pro cujus fine ad notatum legitur in membraneo *Capituli Metropolitani* Autographo. „ Noverint omnes in „ Chriſto fideles hujus Chronicæ „ compoſitorem ſcilicet Coſmam „ Reverendiſſimum Pragenſis Ec„ cleſiæ Decanum XII. Cal. Nov. „ obiîſſe eodem Annô, quô Ducem „ Sobieslaum conſtat intronizatum „ fuiſſe. „ Obiît ergò die 21. *Oct.* An. Domini 1125. ætatis ſuæ 81.

BOHEMIL obiît An. Domini 1134.

HEN-

HENRICUS. Poſt fatale Cathedralis Eccleſiæ incendium 1142. reſtaurator, vir prudens, doctus, liberalis, ac eloquens.

PETRUS An. Dom. 1143. à *Guidone* Cardinali *Innocentii II.* Rom. Pontificis Legato cum Præpoſito *Cunrado*, de quo ſuprà, exauctoratus. Cauſam exauctorationis aſſignat *Guido* apud *Ivonem* Epiſcop. *Carnot. Epiſt.* 196. Quia Decanatum, & Archidiaconatum ſimul invaſerat, & quia tergamus erat, & Simoniæ multimoda infamiâ reſperſus.

MIROSLAUS DLUGOMILIUS ad An. 1148. Hagek. fol. 184.

ANDREAS, qui obiit Annô 1166. die 14. *Febr.*

PAULUS I. de eo in literis donationis villæ *Rokiczanenſis* factæ à *Sobieslao II.* & confirmatæ à *Friderico Pragenſi Epiſcopo* in fine legitur. *Actum eſt autem hoc Annô Domini incarn. MCLXXVII. indictione decima, Epactâ XVIII. Glorioſiſſimi Ducis Bojemorum Sobieslai Annô ducatûs ſui IV. Idus Martii IV. Nomina autem teſtium, coram quibus hoc actum eſt, hæc ſunt: Conradus Princeps de Znoyma &c. Paulus Decanus Pragenſis, Slavon. Archidiaconus, Paulus Magiſter. Ex Orig. Capit. Prag.* obiit die 8. *Novembris* Anno Domini 1180.

PRZIBISLAUS ad An. Dom. 1182.

BUDISLAUS obiit die 6. *Febr.* 1192. ità in *MS. cod. Anniverſ. VIII. Idus Febr. eodem die obiit Budislaus Decanus Pragenſis, in cujus anniverſario miniſter S. Sylveſtri debet diſtribuere unam marcam.*

ZDESLAUS ad An. Dom. 1194. Vir eximia virtute, eruditione, & in rebus gerendis ſingulari dexteritate præditus, inde *Friderico* & *Brzetislao Bojemiæ* Principibus ſummè acceptus. Capitulares ejus temporis erant: *Florianus* Præpoſitus, *Zdeslaus* Decanus, Magiſter *Alexander*, *VValchinus*, *Przibislaus*, *Dethlebus*, *Vitalis*, *Miloslaus*, *Paulus*, *Boguslaus*, *Fridericus*, *Alexander.* In literis *Henrici* Epiſ. Prag. ſuper hoſpitali propè *Rudnicz* An. 1194.

ARNOLDUS, de quo ad An. Dom. 1212. usque ad An. 1229. Propter inſignem prudentiam, eruditionem, & rerum experientiam *Przemislo Bojemiæ* Regi primùm valdè charus, ſed ubi Eccleſiæ privilegia, & Eccleſiaſticæ immunitatis jura tueri (ut debebat) incepiſſet, tam gravibus injuriis expoſitus, ut cum Epiſcopo *Andrea*, ſolum vertere, & *Romam* ſe conferre cogeretur; habuit ibi mirabilem illam viſionem de *S. Guilielmo Bituricenſi Archiepiſcopo*, quæ legitur in ejus vita apud *Bollandum Tom. I. ad diem* 10. *Jan.* Fundavit anniverſarium perpetuum pro anima ſua ad diem 12. *Septembris.*

PAULUS II. ad Annum 1229. obiit die 9. *Novembris*, de Anno hactenus non conſtat. Fundavit pro anima ſua miſſam perpetuam ad eandem diem.

TOBIAS I. ad An. 1236. poſtea Præpoſitus hujus nominis primus, ſanctimoniæ famâ, ac aliis virtutibus illuſtris poſt multa præclarè geſta in *Eccleſia Pragenſi* vitæ perfectioris amplectendæ cupidus, religionem *S. Franciſci* ingreſſus eſt An. 1259. in qua reliquum vitæ ſanctiſſimè traduxit.

VITUS ab Anno 1241. Annis facilè triginta in Eccleſia Decanus, Vir Eccleſiaſticae diſciplinae obſervantiſſimus, & cum pietate, tum eximia ergà pauperes charitate, beneficientia, ac liberalitate, potiſſimùm verò ergà Eccleſiam ſuam, cu-

jus decorem toto cordis affectu dilexerat, amore inclytus. De eo *MS Coſmæ continuator.* ad Annô 1271. „Annô Domini MCCLXXI. obiît „Vitus Decanus Cal. May. Hic „verbum vitæ prædicando, & do„cendo, inter fideles Chriſti ſaluta„rem diſſeminavit ſcientiam. Am„pliavit Eccleſiam Pragenſem, al„taria conſtruendo. Per ipſum „etiam conſummatum eſt opus „clauſtri (habitatio Canonicorum) „in longa via verſûs Aquilonem in „columnis ſculptis, & teſtudini„bus, & pictura totius clauſtri. Iſte „vir Vitus affectu pio, & largitate „prodiga, fervebat eleemoſynis „erogandis. Colligebat ad men„ſam ſuam ſingulis diebus tres pau„peres ſcholares, aliquando qua„tuor, quibus abunde præcipiebat „miniſtrari. Conſurgebat etiam „media nocte de ſtrato ſuo, ante „tempus matutinarum, luſtrans „omnia Altaria pro veneratione Re„liquiarum. Idem Vitus Decanus „erexit in altum Eccleſiam in hono„rem ſancti Laurentii „ (fortè, ni fallor *Pragæ* in monte *Petrzin* ubi usque hodie in tholo Eccleſiæ *Metropolitani Capituli* inſignia cum inſcriptione: *Vitus Metropolitanæ Eccleſiæ Decanus*, conſpiciuntur, *in qua & turrim extrûxit decori, propriis ſumptibus & expenſis.* Hæc & plura adhuc majora ibi. Obiît die 1. May An. 1271. De capella cæterùm *S. Laurentii* in monte *Petrino* ad *Pragam* invenio, quòd eam *Sobieslaus II.* donaverit *Eccleſiæ Wiſſehradenſi.* Quia autem Præpoſiti eam cum fundis *Cholecz* poſſidentes in pendendis V. marcis censûs Eccleſiæ Romanæ erant negligentes, *Wenceslaus I.* hujus nominis, ordine verò quartus Rex *Boemiæ*, eandem rurſus Decano, & Capitulo cum vigilantiori attentione ad impoſitum onus dedit. Recito verba ex mambraneo originali Archivii *Wiſſehradenſis.* *Wenceslaus DEI gratia quartus Boemorum* Rex. „Cùm Eccleſia Wiſſehradenſis cen„ſum ſingulis annis Domino Papæ „ſolvere teneatur, & ad ſolvendum „piæ memoriæ Sobicslaus Dux Boe„morum, natus bonæ memoriæ „VVratislai Regis capellam S. Lau„rentii in monte Petrino, juxta „Pragam cum villa Cholecz, & ſuis „attinentiis eidem Eccleſiæ contu„liſſet, Præpoſiti ibidem, licet „eandem capellam in villa Cholecz „tenerent pacificè, & quietè, dictum „tamen cenſum ſolvere neglexe„runt: Quare, ipſa Eccleſia ſæ„pius gravata eſt laboribus, & ex„penſis. Nos ergò huic morbo juſtæ moderationis emplaſtro ſuc„currere cupientes, dictam capel„lam S. Laurentii cum villa Cho„lecz, & appendiciis ejus, de po„teſtate Præpoſitorum eripientes, „ſtatuimus, ut Decanus & Capitu„lum in VViſſehrad ipſam à nunc in „perpetuum teneant cum onere „ſuo, videlicet, quòd cenſum „ſolvant ſingulis annis Eccleſiæ Ro„manæ. Teſtes autem hujus facti „ſunt. Bruno Venerabllis Olo„mucenſis Epiſcopus, Frater Cun„radus dictus de VVormatia, & „Theodoricus Frater de ordine Mi„norum in Praga, Magiſter Iredo, „Heribordus Notarius. Acta hæc „ſunt in Lyſan. An. 1252. Pri„die Idus Aprilis.

Per manus Arnoldi Notarii.

M. GREGORIUS. Magiſter ſacræ paginæ in ſtudio *Bononienſi*, doctrinâ ac eruditione, ſed maximè fortitudine & patientiâ in adverſis memorabilis. Quanta enim ſuſtinuerit calamitoſiſſimô illo tempore (quo poſt funeſtum *Ottogari* Regis in prælio occiſi Annô 1278. interitum, *Bojemia* tota duriſſimo ſub jugo *Ottonis Brandeburgici*, hominis avari ac ſordidi, & rei etiam ex iniquo imò ſacrilegio faciendæ ad inſaniam cupidi, per annos ſex gemuit) *præcit. MS. continuator Coſmæ* ad An. 1281. oculatus omnium teſtis fuſiùs enarrat, *Eccleſiæ Metropolitana*

ſtanæ theſaurus SS. Reliquiarum ornatus, & Canonicorum præbendæ deſpoliatæ fuerunt. Vixit adhuc An. 1290. 2. Idus Febr. quo cum *Ulrico Præpoſito* teſtem agit in inſtrumento ad Eccleſiam donati pagi *Polorad.*

WELISLAUS ab An. 1692. de hoc habetur memoria in literis *Alberti de Podiehus* ædificantis & dotantis altare retro portam *Eccleſiæ Prag.* majorem, & de bonis ſuis ad id conferentis, donantisque villam *Maſslovvicz* cum omnibus pertinentiis, nec non molendinum ſub eadem villa ſitum, & humiletum circa ripam fluminis qui *Libſicze* dicitur, ibi: „ Actum & datum in Eccleſia „ Pragenſi in Capella Beati Wences„ lai Martyris, coram Venerabilibus „ Viris Domino Gregorio Epiſcopo „ Pragenſi, Ulrico Præpoſito, We„ lislao Decano: nec non aliis Ca„ nonicis & Laicis fide dignis Anno „ Domini 1298. Dec. Cal. Junii. „ fundavit anniverſarium perpetuum die 17. Aprilis.

JOANNES I. ad Annum 1302. à *Wenceslao II.* Rege ſexto impetravit pro decanatu ſuo curiam juxta Baſilicam *omnium Sanctorum. cod. MS. Anniverſ. ad XI. Cal. Julii.*

TOBIAS II. circa Annum 1314.

GREGORIUS II. Ad Annum 1320.

WOGISLAUS ad An. 1324. obiit die 13. Martii An. 1326. fit ejus mentio in literis, quibus *cives Pragenſes* quasdam facultates dant *capitulo* in fundo urbis ante *lætam curiam*: *Hynko Præpoſitus, Woyslaus Decanus, Thomas Archi-Diaconus, Magiſter Ulricus, Canonici Pragenſes &c. Anno* 1324. *prid. Non. Junii.*

UDALRICUS HAZNBURGICUS à juventute liberalibus diſciplinis inſtructus, Pariſiis Magiſter Philoſophiæ & Juris Licentiatus. *Vir* (ut ait MS. *Codex diſtrib. Eccl. Prag.*) *ſummæ prudentiæ, & longo rerum uſu valens*, qui apud Joannem Regem omnia potuit. In pauperes benignus & liberalis. Doctorum hominum verus Mœcenas, ergà templa DEI & cœnobia Religioſorum munificus obiit die 22. Novembris An. 1326. In *memor. Monaſt. Inſulani Ord. Eremit. S. Auguſt. Annô* 1326. *obiit Venerabilis Dominus Ulricus de Haznburg Decanus Eccleſiæ Pragenſis filius Domini Wilhelmi, qui dedit conventui corpus S. Benignæ & archam cum reliquiis.*

HENRICUS II. obiit die 19. Octobris An. 1333.

NICOLAUS WOLFLINI Magiſter in ſacra pagina ſtudii Pariſienſis. De eo in membraneis literis, „ Archiv. Capit. Nos Przedborius „ divina miſeratione Præpoſirus, „ Arneſtus Decanus, Thomas Ar„ chidiaconus, Michaël Volkini „ Scholaſticus, totúmque Capitu„ lum Eccleſiæ Pragenſis, notum „ facimus, quod diſcretus & hone„ ſtus vir, Dominus Joannes dictus „ Wolflini Civis majoris Civitatis „ Pragenſis, exercens ſe in operibus „ pietatis ad honorem, & ob reme„ dium animarum, Domini Nicolai „ quondam noſtri Decani felic. re„ cord. Filii ſui, & Matris ejusdem „ Domini Nicolai, ac VVolflini fra„ tris ejus quoddam Altare in hono„ rem Beati Blaſii in noſtra Pragenſi „ Eccleſia conſtruxerit, ad quod Al„ tare viginti ſexag. Gr. Prag. an„ nuatim ſolvendorum in villis „ VVrana, & in KovvarzovvicZ, „ applicavit &c. An. 1341. „ Annus obitûs ejus ignoratur, de die verò ad *XVIII. Cal. Julii* in *MS. cod. Anniverſ.* legitur. „ Eodem die obiit Nico„ laus Decanus Pragenſis, in cujus „ anniverſario miniſter S. Blaſii de„ bet dare 4. ſexag. Canonicis

„& miniſtris, & 4. Gr. pro „officio.

PRZEDBORIUS ex Scholaſtico Decanus initio Anni 1338. promotus eodem Anno ad Præpoſituram.

ARNESTUS de PARDUBITZ poſteà An. 1343. in Epiſcopum Pragenſem electus.

TOBIAS III. obiit An. 1346. De eo in *MS. cod. Anniverſ. Eccleſ. Prag. Idibus May.* „Eodem die „obiit Tobias Pragenſis Decanus, in „cujus anniverſario miniſter SS. „Trinitatis tenetur dare 3. ſexag. „hoc modo 8. Gr. pro pane, reſi„duum inter Canonicos, & Mini„ſtros dividatur.

PRZEDVVOGIUS vel *Przecho* In literis fundationis Collegii Carlſteinenſis de Anno 1357. etiam *Priſcus* legitur. Permutavit ad petitionem *Caroli IV. Imp.* cum eodem villam, & bona ſua in *Morzina* caſtro *Carlſtein* proximè adjacentia (quæ bona idem Decanus ab Abbate & conventu monaſterii *ſlavorum* in *nova civitate Pragenſi* ducentis ſexag. Gr. Prag. emerat.) cum ſylva in territorio *Bozenſi Czyrni hadi* nuncupata, quæ ſedecim laneos Regalis menſuræ continet, ità ut quilibet laneo 72. modios teneat, quæ permutatio confirmata eſt à *Joanne Marchione Moraviæ*, fratre *Caroli IV.* An. 1356. VIII. Cal. Julii. Fundavit anniverſarium in *Eccleſia Pragenſi*, & videtur obiiſſe An. 1358. In *MS. Cod. Anniverſar.* de eo legitur: „XII. Cal. Julii, eodem „die obiit Przecho, Decanus Pra„genſis, in cujus anniverſario Mini„ſter S. Mariæ Magdalenæ in novo „choro debet dare 2. ſexag. Cano„nicis & Miniſtris, de quibus pro „officio & candelis 6. Gr. commen„da ibidem.

PLICHTA, quem codex MS. *Thomæus* apud *Lupacium* IX. Cal. Sept. *Plych* nominat, Baccalaureus in decretis, Electus è Scholaſtico in Decanum, vir prudens, gravis, modeſtus, & hoſpitalis, quas & alias virtutes condiebat inſigni comitate, ob id etiam *Carolo IV. Imp.* ſummè gratus. Domum ſuam, quæ vicina eſt monaſterio *S. Georgii*, & Canonicis commodiſſima, moriens tranſcripſit Eccleſiæ, & Capitulo, eam nunc injuriis temporum ab Eccleſia abalienatam inhabitant Capitanei Caſtri Pragenſis. Obiit Anno 1362. „MS. Cod. Anniverſ. „ad XI. Cal. Sept. eodem die obiit „Plichta Decanus Pragenſis, in cujus „anniverſario Miniſter S. Urbani „duas ſexagenas ad Sacriſtiam Ca„nonicis & Miniſtris, qui Miſſæ de„functorum, & commendæ inter„fuerint in Capella S. Sigismundi, & „etiam ſuæ Miſſæ. Et idem Mini„ſter 1. ſexag. hoc modo diſtribuet. „5. Gr. pro offic. & cand. 15. Gr. „pro miſſis de B. V. campanat 2. Gr. „choral. 4. Gr. clericis 3. Gr. in „ſcholas pauperibus pro pane 3. „Gr. & intereſſentibus Vigiliis, & „Miſſæ item dantur omni ſepti„mana 6. Gr. ad hoſpitale.„ Hæc ibi. Ex quibus profectò apparet devotio, & zelus divini cultûs.

VVENCESLAUS SLAUPNÆUS artium Magiſter in decanatu ſecutus Plichtam (ſi fides ſit *Paproczkio* de ſtat. Equeſ. *fol.* 57.) nam hunc Peſſina omiſit. addit *Paproczkius* unà fuiſſe Præpoſitum capellæ *omnium Sanctorum* in Caſtro Pragenſi, quod omnino ſuſtineri nequit, eò quòd è libris erectionum conſtet, eo tempore Præpoſituram tenuiſſe *Petrum de Roſis* Canonicum Pragenſem.

VVRATIVOGIUS vel *VVrativvor* etiam *Wrativvigius*. De eo in veteri diviſionum libro ſub *Buskone Can. Prag. fol.* 2. „Anno Domini „M CCC LXIV. ſequenti die poſt „Feſtum tranſlationis S. VVences„lai, Domini videlicet VVrativvo„gius

„gius & cæteri Canonici in Capi-„tulo congregati generali omnes „unanimiter & concorditer loca-„verunt lætam curiam pro annuo „cenſu Wenceslao Hoſpiti pro cen-„tum & med. ſexag. Fidejuſſores „ſunt Dominus Hynko de Malo-„vvar, & Dominus Przibico Archi-„Diaconus Bechinenſis, Canonicus „Boleslavienſis. „ Fecit *Wrati-vvogius* fundationem ad altare *SS. Philippi & Jacobi* juxta cancellos, & dedit curiam in *Chvvogen, Chle-bii.* An. 1360. Idem duas ſexag. in *Lunym, Rpeth.* XI. ſexag. pro capella & altari *S. Antonii* ad celebrandas 4. Miſſas. *Regiſter. fund. Eccl. Prag. fol.* 31. obiît die 14. Cal. Aug. An. 1372. „ MS. cod. Anniverſ. „XIV. Cal. Auguſt. Eodem die „obiît Wrativvogius, Decanus „Pragenſis, & Cziborius, Archidia-„conus Litomericenſis, in quo-„rum Anniverſario de Chvvoinecz „tenetur 3. ſexag. & 2. ſexag. inter „Canonicos dividuntur manualiter „in commenda Decano 4. 𝔊𝔯. „ „hîc à vetuſtate probatur Decani dupla) „ Canonicis per 2. 𝔊𝔯. reſi-„duum miniſtris, datâ ſextâ parte „choralibus, duæ commendæ in „ Capella S. Antonii.

HYNKO MUKOVV aliàs *Kluk* electus in locum *VVrativvogii*, at quia in illo graviſſimo ſchiſmate An. 1378. Antipapæ Gebennenſi contra legitimum Papam *Urbanum VI.* adhæſit, & Gallorum, quibus aliquando *Gregorii IX.* tempore, *Avenione* diu verſatus, non parùm aſſeverat, factioſa ſtudia, magna contentione, ad cæterorum Capitularium obtrectationem tuenda ſuſcepiſſet, nec *Archiepiſcopi Joannis I.* monitis, nec *Capituli* ſaniora ſuadentis conſiliis, reſipiſcere vellet, eam ob cauſam dignitate & beneficio motus fuit Annô 1380. In locum ejus, poſtquam Vice-Decani officium interea geſſiſſet, *Beneſſius de VVeitmil* electus fuit.

PRZIBISLAUS, Magiſter in artibus, & ſacra pagina, *Marquardi* Mareſchalli W*enceslai Imp.* filius. Die 23. Julii An. 1380. aderat Electioni *Cardinalis Pileus*, qui Capitulum nomine Pontificis ob fidem & ſacræ Apoſtolicæ ſedis reverentiam ſummis laudibus extulit. Tempore *Przibislai* Decani *S. Joannes Nepomucenus* martyriô coronatus fuit. Reſignavit Annô 1386. & fundavit pro anima ſua ſacrum perpetuum ad diem 18. Aug.

BOHUSLAUS, qui & *Bohuſius* de *Krnovia*, Magiſter in artibus & decretis eodem Annô die 9. Nov. electus. Ejus tempore Anno 1409. incepit *Huſſi* hæreſis, contra quam *Bohuſius* cum toto Capitulo viriliter decertavit, ac *Sbinconi Archiepiſcopo* à conſilio fuit, teterrimam peſtem à Patriæ finibus etiam flammis eliminandi, prout 1410. factum, dum ultra 200. volumina ante dictam, damnatámque hæreſim continentia publicè concremata ſunt. Capitulares *Pragenſes* tunc erant: *Bohuslaus* Decanus, *Joannes Maleſſicz* Scholaſticus, *Zdislaus* dictus *Canis* Præpoſitus *omnium Sanctorum*, *Beneſſius* de *Chobolicz*, *VVenceslaus Knobloch*, *Blaſius* dictus *Lupus*, *Andreas* de *Gevvicz*, *Adam* de *Nezeticz*, *Joannes Kbel*, *VVenceslaus* de *Miſſa*, *Jaxo* dictus *Ginoch*, *Andreas* de *Pelszimov*, *VVenceslaus* de *Olomücz*, *Zdenko Chraſt*, *Stephanus* de *Stankovv*, *Velislaus Bor*, *Nicolaus Sſiſka*, *Joannes Moravius*, *Jacobus de Praga*, & *Nicolaus Henzlini*, cum Præpoſito viginti quatuor numerô. Debuit deinde *Bohuslaus* cum toto Capitulo ob invaleſcentem furentémque hæreſim ſolum vertere, & *Zittaviæ* civitate ſuperioris Luſatiæ ad confinia Bojemiæ (quæ catholicæ fidei tunc gemma, nunc à *Lutheri* inſaniis totaliter deformata) dies ſuos concludere, ac tandem poſteaquam priùs Annô 1415. decanatum ob imbecillitatem corporis reſignâſſet. *Nonis Octobris*,

Annus ignoratur, placidè in Domino obdormivit, & ibi ſepultus eſt. Fundavit pro anima ſua Anniverſarium, de quo in „MS. cod. Anni„verſar. Non. Octobris. Eodem „die obiit Bohuſius, Decanus Pra„genſis, in cujus anniverſario de vil„lis Cziſta, & Mokry dantur 2. ſexag.

JOANNES II. Patria *Kralovvi-czenſis* aliàs dictus *Oſtrovvecz*, Magiſter in artibus, & Baccalaureus in decretis Canonicus *VViſſehradenſis* ex Vice-Decano in Decanum electus An. 1415. ſtrenuiſſimus fidei Catholicæ contra ingruentem regno hæreſim Athleta, & licèt toto tempore fuerit in exilio *Zittaviæ*, non ceſſavit tamen inde velut è ſpecula, ſacerdotali vigilantiâ Catholicorum gregi intendere, atque zelo plenis epiſtolis Catholicorum animos, poſtquam *Conradus Archiepiſcopus* jam etiam *Huſſo* manus dediſſet, ad conſtantiam accendere. Obiit in exilio *Zittaviæ* An. 1430.

VVENCESLAUS decretorum Doctor. De eo *libr. XIII. Erect.* ad An. 1433.

JOANNES III. Vulgò *Johanco de Duba* decretorum Doctor electus in Decanum *Zittaviæ* in fine An. 1435. aut initio An. 1336. præterea etiam *Adminiſtrator Archi-Epiſcopatûs Pragenſis*, & præclarus Concionator, compoſuit *Officiarium*, ſeu legendam de ſanctis, quæ extat manu ſcripta in Bibliotheca *Capituli*, quam acceſſione ſuorum librorum egregiè auxit. De eo in membrana manu *Joannis de Krumlovv Decani* exaratum legimus: „Johanko de Duba „in Decanum Pragenſem electus in „Zittavia, quem reduxit Impera„tor, qui ſepultus eſt ante Capel„lam S. Annæ. Fuit præclarus, „ſed non fuit promotus in alia ſum„mitate. Res ſuæ diviſæ ſunt in „tres partes, videlicet Eccleſiæ „Pragenſi - - - „non ſunt legibilia. hæc ibi. Vixit adhuc An. 1441. quo die 11. *Octobris* confecit inventarium Eccleſiæ. Hic alius fuit *Johanco de Duba*, ab illo *Johanek ab Aich* Præpoſito VViſſehradenſi, ùt vult *Crugerius* & Epiſcopo Aichſtadenſi: nam hic, ùt ait *Joannes de Krumlovv*, non fuit *in alia ſummitate* promotus præter decanalem, ille verò fuit, & *Præpoſitus VViſſehradenſis* juxta *Crugerium*, & tandem *Epiſcopus Aichſtadenſis*; Hic obiit in caſtro *Pragenſi* ad finem Anni 1441. aut initium Anni 1442. & jacet ſepultus ante Capellam *S. Annæ* in Eccleſia Metropolitana Prageoſi; ille obiit *Aichſtadii* An. 1464. & jacet ſepultus in cœnobio *S. VValburgis* in ſacello *S. Agnetis* à ſe conſtructo. Cæterùm hic vir inſignis *Joannes de Duba*, etſi pro ea ætate valde literatus, tamen à promotione ulteriori, fraude eorum, qui ejus eruditioni (ùt hodiedum fieri ſolet) invidebant, prohibitus, judicium eſt, quòd inſigniter docti, plerúmque fortunâ ſint infelices. Hoc oſtendit duobus libris *Joannes Pierius*, *de infelicitate literatorum*.

PROCOPIUS à patria dictus de *Kladrub*, SS. Theologiæ Doctor ex Scholaſtico electus Decanus die ultimâ *Aprilis* An. 1442. Ab An. 1449. *Archiepiſcopatûs Pragenſis Adminiſtrator*, & ab Anno 1444. uſque ad mortem in exilio *Plſnæ*. Inde per hanc *Capituli Metropolitani* perſiſtentiam *Plſnenſis Civitas* in catholicæ fidei conſtantia ſæpè multùm roborata.

- - - Tantùm alias inter caput extulit Urbes
Quantùm lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Ex hoc fidei propugnaculo non ceſſavit *Procopius* doctrinæ & eruditionis ſuæ radios in *Huſſiadum* acies quaquaversùm generoſo ſpiritu evibrare & Archiepiſcopatûs adminiſtratione

tione ſollicitudinem zelúmque ſuum commendare. In membraneo Breviario *Bibliothecæ Capit. fol.* 1. de eo legimus: „ Anno Domini 1453. „ obiît egregius Doctor SS. Theologiæ M. Procopius de Kladrub Decanus Eccleſiæ Pragenſis in nova „ Plſna hora noctis ſexta ſuper feſtum S. Marci Evangeliſtæ & ſepultus ibidem feria quinta poſt „ Marci. „ Obiît itáque 24. Aprilis An. 1453.

VVENCESLAUS à patria dictus de *Crumlovv*: decretorum Doctor eodem Anno à Capitulo electus. Vir inexhauſti vigoris, ac ingenii excellentis, in rebus agendis dexterrimus, divini ac humani juris peritus, ac penes etiam elegantiâ morum, ac affabilitate ſermonis præſtans. Inter cæteros labores gloſſatus eſt in regulas juris, qui codex propriâ manu ejus ſcriptus extat in Bibliotheca Capituli. Aderat *Romæ* inauguratione *Pii II. Pontificis* Anno 1458. à quo (dum preſſuras catholicorum ab *Huſſitis* inflictas & alias Eccleſiæ neceſſitates Pontifici expoſuiſſet) valde benignè habitus, præter confirmationem omnium privilegiorum *Eccleſiæ Pragenſis*, etiam *Archiepiſcopatûs Pragenſis Adminiſtrator*, & cauſarum *S. Palatii Apoſtolici* auditor conſtitutus. *Et quia* (verba ſunt bullæ *Pii II. ſum. Pontif. Romæ* apud *S. Petrum* An. 1458. 3. Idus Septembris *Pontif. Annô primo*) „ Eundem Decanum ſuperiori tempore dignè & utiliter in officio adminiſtrationis tam ſpiritualium „ quàm temporalium Archiepiſcopatûs Pragenſis verſatum fuiſſe, & „ FIDELITER ſuum exercuiſſe officium invenimus, exigentibus ſuis meritis, & propter „ ingentes labores pro honore ejusdem ſedis ſuſceptos, & periculis, „ quibus ſe ſubjicere non dubitavit, „ cùm in præſentiarum Eccleſiæ Pragenſis Paſtoris ſolatio deſtituta ſit, „ motu propriô eundem Decanum „ Adminiſtratorem Archiepiſcopatûs conſtituimus. „ Tandem poſt plurima pro fide catholica victoriosè geſta certamina cum faſtuoſo illo *Joanne Rokyczano* Hæreſiatcha, cujus errores ſeptuaginta peculiari opere (quod in Bibliotheca *Capit. Prag.* MS. aſſervatur) confutaret, ejusdem *Rokyczani* ſubornatione venenô intoxicatus ad æterna præmia abiît, præcitatum membraneum Breviarium „ fol. 1. Annô „ Domini 1460. obiît Peregregius „ & Eximius juris Pontificii Doctor „ VVenceslaus de Crumlovv S. Pragenſis Eccleſiæ Decanus, & auditor S. Palatii in die ſanctæ Luciæ „ Virginis, venenô intoxicatus.

NICOLAUS II. itidem de *Crumlovv* decretorum Doctor. Electus An. 1461. ante ejus electionem *Pius II. Rom. Pont.* ad capitulum: „ Venit ad nos fama Wenceslaum „ Decanum veſtrum immaturâ morte carnis debitum exſolviſſe, & „ quoniam hæc mors integræ fidei „ Viri, atque ſolliciti depoſcit „ (quantum fieri poteſt) paris virtutis ſucceſſorem, cui adminiſtrationem Pragenſis Eccleſiæ ſecurè „ committere valeamus. Dilectiones veſtras hortamur in Domino, „ ut talem in Decanum eligatis, „ qui omni exceptione dignior ſit. „ Romæ apud S. Petrum die 5. Febr. „ An. 1461. Pontif. Noſtri An. 3. Breve fuit *Nicolai* regimen, cui intra Annum defuncto ſucceſſit.

HILARIUS à patria dictus de *Litomericz* decretorum Doctor *Pragenſis* & *Wratislavienſis* Canonicus *Capellæ Regalis* in caſtro Pragenſi Decanus, nec non *Cancellariæ Regalis* in *Bojemia Proto Notarius*, electus An. 1462. initio *Februarii*, & ſimul *Archiepiſcopatûs Adminiſtrator.* Hic eſt ille imperterritus fidei Catholicæ pugil, qui coram Georgio Rege, & Proceribus *Bojemiæ*, in *aula Regia veteris Urbis Pragenſis* cum immani illo

Huſſiadum Goliatho Joanne Rokiczano quinque diebus continuis victoriosè diſputavit, hæreſiarcham multis modis confutavit, uti ſuprà retuli. Unde *Rokiczanus* in rabiem actus, maximè dum etiam *Hilarius* appellationem Regis *Georgii* ad futurum concilium publicè reprobâſſet, *Hilarium* cum parte Capitularium primò *Plſnam* deinde *Budvicium* in exilium egit, inde tamen *Hilarius* per epiſtolas eminus cominúsque Catholicos roborabat, & *Huſſitas* terrebat. Edidit egregium tractatum de Communione ſub utraque ſpecie. Hujus meminit Erudítiſſimus *Bohuslaus Haſſiſtemius* à *Lobkovvicz* in *Apend. Epiſt. Edit. per Thomam Mitem. Cur Communio ſub utraque ſpecie ſit Laicis interdicta, tum multi alii tradiderunt, tum Dominicus Cardinalis à Turre cremata, & Joannes Gerſon, qui plurimis argumentis non ſolùm probant, ſed etiam pervincunt, hoc Eccleſiæ præceptum & utile & ſalutare populo eſſe, Hilarius quoque Decanus Eccleſiæ Prag. in hac materia non contemnendum ſcripſit volumen, quod ſi crebro lectitaveris non parvum inde fructum conſequeris.* Die 22. Aug. An. 1468. *Pauli II.* ſum. Pontif. Anno IV. *Laurentius Epiſcopus Ferrarienſis*, & *Rudolphus Epiſcopus Wratislavienſis* Legati Apoſtolici, *Hilarium* Decanum *Eccleſiæ Pragenſis* (ex originali hæc ſumo) & Adminiſtratorem Archiepiſcopatûs conſtituunt in negotiis fidei contra *Georgium de Podiebrat* & adhærentes ejus hæreticos Commiſſarium Generalem in Regno *Boemiæ* cum plenaria poteſtate. In quibus literis *Hilarius* laudatur à legalitate, induſtria, experientia, & pietate. Hic tandem à propugnata fide Catholica, ſanctæ Apoſtolicæ ſedis obſervantia Heros incomparabilis, *Budvicii* in exilio ad cœlum evolavit. „Membran. Breviar. fol. 1. An. „Dom. 1468. in die S. Sylveſtri obiit „in Budvveis Egregius Dominus „Doctor decretorum Hilarius de „Litomericz tempore belli in cau„ſa fidei Deanus Eccleſiæ Pragen„ſis & omnium Sanctorum.

JOANNES IV. Dictus itidem à patria ſua de *Crumlovv* decretorum Doctor *Archiepiſcopatûs Pragenſis Adminiſtrator*, Vir acris ingenii, indefeſſi laboris, ac plurimæ in adverſis patientiæ in ſuis analectis MS. hæc de ſe annotavit: „Joannes de „Crumlovv decem annis exul, po„ſtea reſedit ſub Wladislao Rege & „Anno Domini 1483. expulſi ſunt „omnes Religioſi, & moniales ante „Feſtum S. Wenceslai, & omnes „Chriſtiani communicantes ſub una „ſpecie, & mulieres & inquilini & „famuli de Praga, ſolùm in caſtro „Pragenſi, Clerus & moniales vix „manſerunt, per concordiam fa„ctam per Pragenſes cum Rege Wla„dislao, poſt annum, & in die S. „Michaëlis, & angelorum intravit „Pragam Rex Wladislaus, & ſic à „captivitate DEus me liberavit Pra„genſi cum X. Presbyteris.„ Hæc ibi. Eidem & toti Pragenſi Capitulo ſcripſit *Syxtus III.* ſum. Pontifex Cal. Julii An. 1482. Annô Pontificatûs V. ut *Auguſtinum Pſeudo-Epiſcopum Sanctuarienſem*, qui hæreticis ordines contulit, & in *Boemiam* fugit, capiat, & puniat. Inter cætera conceſſit pro ampliatione domûs Vicariorum locum deſertum, qui erat inter domum eorum, & fabricæ domum. die *penult. Febr.* An. 1479. vixit adhuc Annô 1487. Ei ſucceſſit.

ALEXIUS patriâ *Trebonenſis* decretorum Doctor, legavit Eccleſiæ & Capitulo quàm plurima juris Canonici volumina.

AMBROSIUS CHRT à patria dictus de *Plzna* artium & ſacræ Theologiæ Magiſter, poſt inſignia doctrinæ & curæ animarum merita Pragenſis Canonicus, ac tandem Capituli Decanus. Habetur ejus

me-

memoria ab An. 1491. usque ad An. 1511.

JOANNES V. cognomine *Andreæ* patria *Tynhorſovienſis* artium Magiſter, & in decretis Licentiatus ob magna vitæ, & ſcientiæ merita, quibus in ſcholis Pragenſis Eccleſiæ ornatiſſimè (ùt ait MS.) inſudavit An. 1492. electus Canonicus, dein ab Anno 1512. usque ad An. 1523. Decanus, legavit *Eccleſiæ* & *Capitulo* libros ſuos juridicos. *An. Domini* 1523. *die* 14. *Novembris*, *quæ fuit Sabbati*, *obiît Magiſter Joannes Andreæ de Tynhorſſovia*, *Decanus ſanctæ Pragenſis Eccleſiæ hora diei* 17. *Orate pro eo.* Ità in Miſſali Altaris *S. Procopii Eccl. Prag.* ad diem 18. *Calend. Novemb.*

WENCESLAUS de WOLFENBURG, Magiſter in artibus ab An. 1524. De eo inventar. rerum Eccleſiæ. „ An. 1524. inventarium „renovatum eſt per honorabilem Vi„rum Dominum V Venceslaum De„canum. In præſentia fuerunt Doctor „ Hauska Scholaſticus. M. Georgius „ Cantor chori, Nicolaus pro tunc „ fabricæ Eccleſiæ Præfectus, Mi„chael Cuſtos, Sigismundus de „ nova domo Sacriſtanus „ Erat inſignis concionator, ac hæreticorum *ἀλεξικακος* vi doctrinæ, & dicendi copiâ audaciam fregit *Galli Caheræ* phalangum Huſſiticarum ductoris, *Rokiczanae* diſcipuli, qui occupatâ Parochiâ *Teinenſis Eccleſiae*, frequentibus ad *Lutherum*, *VVittenbergam* excurſionibus novum *Huſſitiſmo* fermentum ex *Luteri* deliriis ſuperinducere, ac Hæreticos *Bojemiae* cum *Germaniae* unire laborabat, qui *Gallus*, dum Decani & *Capituli Pragenſis* pro Eccleſia Catholica vigilantiam & fortitudinem ampliùs ſuſtinere non poſſet, in Miſniam profugit, uxorem duxit.

SIMON CHRT *Plſnenſis* SS. Theologiæ Magiſter. Hunc *Peſſina VVenceslao* præpoſuit, ſed autentica documenta contrarium evincunt.

VALENTINUS HAN, Patriâ *Miſnenſis*, vulgò *Stribrenſis* Licentiatus SS. Theologiæ ab An. 1549. reſignavit Decanatum An. 1555. obiît 1557. die 4. *Novembris* extat epitaphium ejus in Eccleſia Pragenſi: „ An. 1557. die 4. Novemb. obiît „ Reverendus Valentinus Han, hu„ jus Eccleſiæ Decanus & Admini„ ſtrator. Orate pro eo.

THOMAS I. BAVOROVVSKY Magiſter SS. Theologiæ ex Archidiacono *Plſnenſi* Canonicus, & dein Decanus usque ad Annum 1561. edidit *ſpeculum aeternae vitae*, in quo ex tenore ſacræ ſcripturæ certè videre poſſimus, quali vita in cælis ſancti vivant, & qualiter pro nobis intercedant. Dedicavit illud An. 1562. Prænobili & generoſo Domino Domino *Henrico ſeniori de Shuamberg*, *&* *in Zvvikau.*

PETRUS LINDA, Electus circa finem Anni 1561. poſtea An. 1586. Præpoſitus.

GEORGIUS PARTHOLDUS PONTANUS poſtea An. 1594. Præpoſitus.

MARTINUS PFEIFFER, patria *Braunovienſis* SS. Theologiæ Doctor, ex Decano *Cadanenſi* Canonicus, & An. 1594. electus Decanus, quantùm hic vir in extirpandis hæreſibus *Cadanae* laboraverit, ut civitatem illam Catholicæ Eccleſiæ reaggregaret, datur intelligi in epiſtola *Chriſtophori Alberti* Civis Cadanenſis de An. 1588. die 22. *Martii.* „ Jam „ Religio catholica funditus videba„ tur interitura, niſi DEus hoc viro „ Martino Pfeiffero illi prævidiſſet, „ eramus hactenus tanquam oves ſi„ nè paſtore, & oviculæ luporum ra„ bie diſperſæ. „ Eundem vocat *VVolfganus Sclender*, Canonicus, *Virum virtutis*, *&* *eruditionis laude clariſſimum*;

mum. Denique propter eximium verbi DEI prædicandi talentum, magno zelo in præſentia *Rudolphi II. Rom. Imp.* & totius aulæ Cæſareæ ad animarum lucra impenſum, ab eadem Cæſarea Majeſtate Nobilitatis inſigniis donatus eſt. Actis Capitularibus ſui Decanatûs per annorum ſeriem aptiſſimè diſtributis, Archivum Capituli multùm illuſtravit. Obiît die 18. *Martii* An. 1604. Fundavit pro anima ſua ſacrum anniverſarium.

SIMON BROSIUS ab HORSTEIN, electus An. 1604. die 22. Martii poſtea An. 1614. Præpoſitus.

CASPARUS ARSENIUS à RADBUSA, Patriâ *Plznenſis* SS. Theologiæ Doctor, ob eximias doctrinæ & pietatis dotes à *Rudolpho II. Rom. Imp. & Bojem. Rege* multum amatus, & ad Præpoſituram *Wiſſehradenſem An.* 1608. admotus, *An.* 1614. electus Decanus, in quo officio tempore rebellionis magnam prudentiam, ſedulitatem, ac conſtantiam pro conſervandis Eccleſiæ Metroplitanæ Cimeliis exhibuit; vix carceres, ac ipſum etiam equuleum ad prodendum Eccleſiæ Theſaurum à Calviniſtisditectoribus in rebellionem inſumendum evaſit. Inter laudes præterea illius reponitur, quod ſingulari induſtria, inſtitutis ad *Ferdinandum II.* precibus Eccleſiam *S. Apollinaris* in monte ventoſo *An.* 1628. die 28. *May Eccleſiæ Metropolitanæ* reſtitui impetraverit, quæ hactenus iu Neo-Pragenſium manibus ab *An.* 1594. hæſerat. In Capella olim *Saxonica*, nunc *Sternbergica* cognominata, *Eccleſiæ Pragenſis* erexit altare *Annuntiationis B. V. Mariæ.* Denique de eo liber Tumbarius „ An. 1629. die 13. Sept. obiît ante quintam veſpertinam Reverendiſſi-„ mus D. Caſparus Arſenius à Rad-„ buſa, Decanus, & Officialis, ſu-„ mus contributionum in Regno Bo-„ jemiæ Quæſtor &c. multùm, & ſe-„ dulò laboravit in extirpanda hære-„ ſi poſt pugnam Albo-montanam, „ & ingentem curam habuit Archi-„ diœceſis ſede vacante, vir piiſſi-„ mus magna paterna ſuavitate ſcri-„ bens Parochis, & eos hortans ad „ meſſem Chriſti. Jurium Eccle-„ ſiaſticorum defenſor, & jurisdi-„ ctionis Archiepiſcopalis vindex „ acerrimus.

JOSEPHUS MACARIUS de MERFELIZ, *Liſſoviô* oriundus SS. Theologiæ & J. U. Doctor, Comes Palatinus, *Cardinalis ab Harrach, Archi-Epiſc. Prag.* Vicarius Generalis in ſpiritualibus, & Officialis ex Scholaſtico in Decanum electus die 20. *Septembris An.* 1629. Cum eodem *Joſepho Macario* (quem) verba ſunt Bullæ *Urbani VIII.* (majoris Eccleſiæ „ Pragenſis Scholaſticum, dilecti fi-„ lii Capitulum & Canonici ejusdem „ majoris Eccleſiæ, ad quos electio „ perſonæ idoneæ de gremio Capi-„ tuli, ſeu Canonicorum hujusmodi „ exiſtentes ad Decanatum, dum „ pro tempore vacat, ſpectare & „ pertinere dignoſcitur, pro futuri „ eorum Decani electione celebran-„ da vocatis omnibus, qui de jure, „ & conſuetudine erant evocandi, „ die ad eligendum præfixa, ùt moris „ eſt, capitulariter congregati conve-„ nientes in unum in parte majoris „ Eccleſiæ Decanum concorditer „ infrà legitimum tempus elege-„ runt) „ diſpenſavit idem *Urbanus VIII.* Pontifex ad retinendum Decanatum *omnium Sanctorum* cum *Decanatu Metropolitano* Pontificatûs *An.* 7. *An.* 1630. Fuit vir magnæ ſapientiæ & autoritatis, erexit novæ domi duplicem fundationem, unam pro loci *Præpoſito*, alteram pro ſuis *amicis*, & illis deficientibus, *Patriotis Liſſovienſibus*, ut unus ex illis continuè in Seminario Novæ domenſi victum & amictum habeat, & ſtudeat. Alia item ipſius fundatio extat *Liſſovii*, alia *Boemo-Budvicii*, alia in *caſtro Pragenſi* ad *S. Georgium*, alia ad *omnes*

San-

Sanctos. In *Metropolitana Eccleſiâ* fundavit muſicos, qui diebus ferialibus Scholas latinas frequentare, & dein, quo ipſos pietas, & boni mores vocaverint promoveri poſſint. Obiît die 11. *Aprilis* Annô 1635.

ANDREAS CLEMENS KOKR, Patriâ *Reginæ-Hradecenſis* ad titulum menſæ *Guilielmi Slavatæ* Burgravii *Carlſteinenſis* 1605. ordinatus SS. Theologiæ Doctor, ex Decano *Taborienſi* Canonicus, deinde Decanus, ac Vicarius Generalis, & Officialis Boemicô Eloquiô, ac magnitudine animi potens, habens zelum ſecundùm ſcientiam. Tempore Saxonici incurſûs An. 1631. plurimos ad Luteranam hæreſim Prædicantium dicacitate ſollicitatos ſacræ dictionis energiâ roboravit. Reſtituta Bojemiæ pace, nihil priùs habuit, quàm ut reſidioos peſtiferorum dogmatum caudices in Regno ſtirpitùs evelleret. At imprimis Cleri mores reformaret, & animabus ad Eccleſiæ gremium reductis de idoneis Paſtoribus proſpiceret. Fuit etiam ſingulari devotione prædi tus, & pro excipienda morte multis ſe annis piè præparans, tumbam, & reliqua funerationis apparamenta fieri curavit, quibus interdum ſibi adaptatis mortis memoriam excitabat. Obiît piè in Domino *die 6. Junii* An. 1650.

CHRISTOPHORUS REINHELD è Luſatia oriundus, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus *Wiſſehradenſis* in Decanum electus die 14. Septembris An. 1650. Eloquentiâ ad famam excelluit, ut qui Concionatorum ſui temporis Theutonici idiomatis, facilè ἄλφα eſſet. Ab æmulis per novem annos multùm exercitatus protectionem ſenſit à *Cardinali ab Harrach lat. ſent. Pragæ 8. Id. Decemb. An.* 1661. Clarus ab editis libris tam controverſiſticis, quàm concionatoriis. Tandem electus Decanus *Budiſſinenſis*: ubi conciones quadraginta annis intermiſſas in emolumentum Catholicæ fidei moleſto labore reduxit. Decanus etiam *omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi. Obiît *Budiſſinæ* pientiſſimè die *25. Aprilis An.* 1665. *Lit. Syndic. Budiſſ. ad Capit.*

SEBASTIANUS ZBRASLOVVSKY SS. Theologiæ Doctor, Canonicus *Wiſſehradenſis*, ex Archi-Diacono *Plznenſi* Canonicus, dein electus in Decanum omnium votis die 26. *Septembris* An. 1665. Inſtallatus à *Cæleſtino Præpoſito.* Vicarius Generalis, & Officialis Archi-Epiſcopalis. Diligens in munio ſuo Decanali, conſcientiæ tenax, decorem domûs DEI ſummè diligens pauperum Religioſorum verus Pater, & ſingulari devotionis ſpiritu ornatus. Rediens à peregrinatione è *Monte Sancto*, *S. Gunthero*, & *S. Cruce* in *Bavaria* infirmari cæpit. Moriens teſtamento condito bona ſua in tres partes diviſit: unam *Eccleſiæ Metropolitanæ*, alteram *pauperibus Religioſis*, tertiam *amicis* legavit. Obiît die 25. *Martii* An. 1670. ætatis ſuæ 63.

THOMAS JOANNES PESSINA à Czechorod patriâ *Potczatecenſis* natus die 19. Decembris An. 1629. SS. Theologiæ Baccalaureus ex Decano *Litomyſlienſi* Pragenſis & *Wiſſehradenſis* Canonicus, ac die 4. *May An.* 1670. electus Decanus, ad quem die 6. May *Mathæus Ferdinandus Archiepiſcopus Pragenſis* gratulatorias manu propriâ ſcripſit: „Reverendiſſimè ac Cordialiſſimè, Domine. Quantum gaudium & conſolationem habui ſingularem, „dum intellexiſſem ſortem cecidiſſe „ſuper Thomam, verè DEus mirabiliter diſpoſuit, & ſicut providit „ad Canonicatum, ità nunc ad Decanatum, & quidem in anniverſario meæ introductionis ad urbem Metropolitanam. DEus ſit „in omnibus benedictus. Nunc

„ optima quæque ſpero, & confido „ in DEum, & in veſtrum zelum & „ ſinceritatem, quòd ſecundabun- „ tur ſalutares cogitationes, ità ut „ quod ſemper opto, fiat ſub me indi- „ gno glorioſa Eccleſia. „ Hoc votum effectus implevit, quando lucubrationibus hiſtoricis magna eruditione elaboratis, velut *Phoſphoro ſepticorni Metropolitanam Eccleſiam*, *Marte Moravico Moraviam*, quin & totam *Bojemiam* peregregiè illuſtravit, ac meritò titulum Hiſtorici Patriæ vendicavit. Inde multùm amatus à *Leopoldo I. Glor. Mem. Rom. Imp.* à quo etiam ad *Epiſcopatum Samandrienſem* Die 4. May *An.* 1675. evectus fuit. Cæterùm vir temperans, devotus Cultor *S. Apollinaris*, ætatem totam in litteris agens, *Eccleſiæ Metropolitanæ* Benefactor, ac duorum Altariſtarum, & monaſterii in bono ſuo *Oborziſſtie* fundator. Obiit die 3. *Auguſti An.* 1680. ex ventris profluvio, cui in piiſſimis crucifixi amplexibus expiranti *Dominus Auguſtinus Pfalz*, Canonicus adſtitit.

WENCESLAUS BILEK à BILENBERG, SS. Theologiæ Doctor ex Decano *Smirzicenſi* Canonicus *Reginæ-Hradecenſis* ordine tertius, ac *Proto-Epiſcopi Mathæi Ferdinandi* in ſpiritualibus Vicarius Generalis, & primus Officialis, dein Canonicus Metropolitanus, ac electus Decanus, etiam diſpenſante *Innocentio XI.* Sum. Pontifice, Capellæ Regiæ *omnium Sanctorum* in caſtro Pragenſi. *Mathæi Ferdinandi*, *Friderici*, & *Joannis Joſephi*, *Archiepiſcoporum Pragenſium* Vicarius Generalis & Officialis. Verba bullæ diſpenſationis *Innocentii XI.* die 14. Cal. Julii An. 1681. Pontificatûs Anno V. occaſione *DecanatûsPragenſis* non videntur prætereunda: *Ad quem Decanatum* (inquit Pontifex) „ dum pro „ tempore vacat, electio perſonæ „ idoneæ de gremio Capituli, ad „ Capitulum, & Canonicos dictæ „ Eccleſiæ de inveterata, & hacte„ nus pacificè obſervata conſuetu„ dine, ſeu privilegio Apoſtolico, cui „ non eſt hactenus in aliquo deroga„ tum, ſpectat, & pertinet. „ Cæterà Vir pius, prudens, ſedulus, ac tam de diœceſi Reginæ Hradecenſi, quàm Archidiœceſi Pragenſi præſtanter meritus. Obiit dierum plenus annô ætatis ſuæ 73. in Reſidentia decanali ad omnes Sanctos die 20. *Aug. An.* 1704. Hæredem ex aſſe ſcripſit *Eccleſiam Metropolitanam Protecol. Capit. fol.* 169. & 101.

ADAMUS IGNATIUS MLADOTA EQUES de SOLOBISK, SS. Theologiæ Baccal. form. ex Decano *Sobotecenſi* Canonicus Pragenſis, ac electus Decanus die 15. *Novembris An.* 1704. ædificavit ædem decanalem. Vir pius & zeluſus, & in cura animarum emeritus. Erexit etiam altare agoniæ domini in *Eccleſia Pragenſi* cum fundatione perpetua, & obiit die 17. *Octobris An.* 1708. *Protocol. Capit. fol.* 114.

PAULUS JOSEPHUS AXLAR, patria *Woſſicenſis* in Univerſitate Pragenſi SS. Theologiæ Doctor, electus Decanus die 14. *Jan.* anniverſariâ nativitatis ſuæ *An.* 1709. Vir multimodâ eruditione, ac linguæ hebraicæ cognitione clarus. In munio decanali ſedulus, ſpecialis *S. Joannis Nepomuceni* cultor. Scripta Archivi Capitularis in ordinem redigi fecit. Quinis Virginibus egeſtate preſſis ex ſubſtantia ſua dotem dixit, & binas *Metropolitanam Prag.* & *S. Apollinaris* in monte *Wietrovv* Eccleſias hæredes ſcripſit, duos quoque choraliſtas in *Eccleſia Pragenſi* fundavit. Bibliothecam Selecto librorum apparatu inſtructam *monaſterio Plaſſenſi* legavit, id gratitudinis ergò conciones ejus velut partum poſthumum nuper typis dedit. Obiit piè in Domino die 6. *Junii An.* 1714.

GODEFRIDUS HERBST, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus

tus ex Parocho *Piſtricenſi* Canonicus, Supremus *Regni Bojemiæ* Quæſtor, & An. 1714. electus Capituli Decanus. Renovavit locum Archivii Capitularis, & obiît in Domino die 3. *Nov. An.* 1716.

TOBIAS ADALBERTUS OPITZ, ex Decano *Slukenavienſi* Canonicus, & ex Archidiacono electus Decanus die 3. *Februarii An.* 1717. Vir in vineâ Domini egregiè emeritus, & zeloſus Concionator. At quia jam provectæ erat ætatis brevem geſſit Magiſtratum, poſt duorum menſium circulum die 3. *Aprilis* eodem Annô obiît in Domino.

JOANNES WENCESLAUS HOTTOVVECZ ab HUSSENICZ & LEVENHAUS, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ex Scholaſtico electus Decanus die 30. *Junii* An. 1717. Præ cæteris Decanis illud retulit ſolatium, quòd ejus tempore *S. Joannes Nepomucenus* Sanctorum Albo adſcriptus, & ejus corpus è ſepulchro levatum ſit. Obiît die 22. Jan. An. 1722.

JOANNES LUDOVICUS STEYR, in Univerſitate *Ingolſtadienſi* SS. Theologiæ Licentiatus, ex Decano *Tuſtenſi* die 24. *Aug.* An. 1707. Canonicus, & ex Archidiacono electus Decanus, die 20. *Apr.* An. 1722. Vir conſumatus, rectæ conſcientiæ, pietate plenus, & ſpecialis *S. Joannis Nepomuceni* Cultor. Itineribus Romanis ad cauſam canonizationis optimè meritus. *S. Joannis Nepomuceni* cultum publicum à ſede Apoſtolica die 7. *Junii* An. 1721. in totius *Regni Bohemiæ* conſolationem impetravit, ac eundem Sanctum, ſupremô elogiô rerum ſuarum ex aſſe hæredem dixit. In ejus etiam honorem tres capellas aere propriô erexit, & fundavit. velut primam *Tuſtæ*. Secundam ad *S. Iſidorum Romæ*. Tertiam ad *S. Georgium* in caſtrô *Pragenſi*, in qua etiam ſepultus jacet. Obiît in Domino die 5. *Junii* An. 1722.

CAROLUS DOMINICUS RZECZICZKY, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Proto-Notarius Apoſtolicus, Collegialis *Eccleſiæ Vetero-Boleslavienſis* Canonicus ex Archidiacono in Decanum electus die 3. *Septembris* An. 1722. Tandem concordantibus Capituli calculis die 20. *Novembris* An. 1732. in Præpoſitum electus.

ZDENKO GEORGIUS CHRZEPICZKY à *Modliczkovvicz*, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Proto-Notarius, Apoſtolicus S. Metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis*, ſemperque Fidelis Capituli Decanus, Cathedralis Eccleſiæ *Litomericenſis* ad *S. Stephanum* Proto-Martyrem Canonicus Regius Emeritus, electus â Capitulo die 11. *Februarii* An. 1733.



8. EX his nunc clarè diſpicimus, quàm egregios, illuſtréque doctrinâ, pietate, prudentiâ, ac omnigena virtute Viros *Eccleſia Metropolitana*, & *Capitulum Pragenſe* in gremio ſuo foverit, aluitve. Eſſet hìc quidem campus longè fœcundiſſimus in quam plurimas alias prærogaivtas excurrendi; at nè inſtituto officiam, *fidelitatem legitimis Principibus DEO*, & *Eccleſiæ* perpetuò ſinè interruptione exhibitam velut cæterarum caput in faciem breviter pono. *Domui Prz'emyslææ*, quæ in *Wenceslao III.* An. 1306. *Olomucii* occiſo regnare deſiit, perenniter à Collegio Canonicorum Pragenſium inter tot Principum ſanguinis pro ducatu pugnantium digladiationes (ùt *Fabianus* Præfectus *Wiſſehradi* apud *Coſmam* (m) dicere non reformidârit: *Væ tibi Bojemia, quæ non adeò nimis ampla cùm ſis, Herili de ſtirpe jam bis denos habes dominellos*) exhibitam fidelitatem, Principes regnantes gratioſiſſimè ſemper agnoverunt; Etenim in illibatæ fidei præmium *Borziwojus II.* in urbe majori *lætam curiam* cum telonio & aliis omnibus proventibus, *Wenceslaus IV. Boemiæ Rex* An. 1249. menſuram regalem *Chtwwrtne* vulgariter dictam Eccleſiæ & Prælatis in perpetuum dônârunt. *Pr'zemysl Hæres Regni Boemiæ* An. 1253. & *Ottogarus Rex Boemiæ quintus* An. 1262. *Eccleſiam Metropolitanam Pragenſem* cum miniſtris ſuis perpetuâ & irrefragabili libertate exornantes ab omnibus ſordidis muneribus *angariis, parangariis*, ac demum exactionum vexationibus univerſis perpetuò immunem eſſe juſſerunt (n) *Domus* quoque *Lucemburgica Przemislæam* ad Bojemiæ Sceptrum ſecuta impensô ſemper ſtudiô gratiſſimè agnovit *Capituli Pragenſis perennem fidem*. *Joannes Rex*, quem *Epiſcopus* & *Capitulum* ſubmiſſa militari manu in antiquam Civitatem Pragenſem ex ſectâ portâ ad longam plateam intromiſerant, (o) *Eccleſia*, ac *Capitulo* decimas in montibus *Cuttnis Brzeznicz*, & omnibus argenti fodinis regiis cultis, ac impoſterum excolendis per traditionem bireti *Arneſto Decano* An.

(m) Coſm. lib. 3. ad An. 1109.

(n) Archiv. Capit. Scrin. Diplom. Reg.

(o) MS. Franciſc. Can. Prag. part. 2.

1341. die 23. Octobris perpetuò colligendas & habendas extradidit, *Carolus IV.* ejus filius magnis iterum beneficiis *Eccleſiam Pragenſem* velut augmentô præbendarum canonicalium, fundatione Altariſtarum, Manſionariorum, donatione SS. reliquiarum, confirmatione privilegiorum, & aliis quàm plurimis gratiis exornavit. *Wladislaus II.* è *domo Jagellonica* nuspiam ſecuriorem magiſque fidum ſubſiſtentiæ locum quàm in *medio Canonicorum Pragenſium* (p) reperiit, dum An. 1484. Huſſiticæ plebis turbas ſeditione Regem ad internecionem quæritantis, ſagaciter declinans, ex aula ſua Regia *Veteris Urbis Pragenſis* noctu *Moldavam* trajiciens ad Prælatos Pragenſes, & caſtrum *S. Wenceslai* profugit ac fixam impoſterum ibi habitationem ità locavit, ut omnes Bojemiæ Reges eum ſecuti, non alibi, quam ibi habitare conſtituerint. *Mox ad referendam gratiam* (ait *Pontanus* (q)) *deflexus, multam veſtem ſacram pretioſam, multa tapetia variis coloribus picta, vim præterea magnam auri, & argenti templo dedicavit, accitis artificibus, qui Divorum reliquias, ac præcipuè SS. Patronorum capita thecis vilioribus involuta, cælato argento includerent, & deſuper inaurarent.* Inſuper duos centenarios ceræ pro candelis, & duo vaſa vini in uſum Miſſæ ſacrificiorum quot annis & reditibus regiis pendenda, eidem Eccleſiæ contulit. Et ut in templo Metropolitano cultus divinus pluralitate miniſtrorum magis augeretur, *Eccleſiam Collegiatam S. Apollinaris* in *nova Civitate Pragenſi* cum ſuis omnibus proventibus eidem tanquam filialem adjunxit An. 1503. ità ut qui eſſent *Canonici Eccleſiae Pragenſis* cenſerentur eo ipſo etiam *Eccleſiae S. Apollinaris*, fructúsque inde perciperent ſecundùm Capituli diſpoſitionem (r). Nec his *Auguſtiſſima domus Auſtriaca*, nunc glorioſè regnans in minimo cedit. Dum enim Capitulum in illo Anni 1547. hæterodoxorum Procerum diſſidio, tergiverſantium Regi ſuo, ac *Carolo V.* Imperatori contra *Fridericum Saxoniae Ducem* ſuum utpote in hæreſi caliceque contribulem, licèt majeſtatis reum, ſuppetias ferre, è parte Regia fideliter ac conſtanter ſtetiſſet, idipſum *Ferdinandus Bojemiae Rex* gratiôſis ad Capitulum datis literis (quibus id à *fidelitate* multùm commendat, velut: „nobis in fidei integritate, & conſtantia perſpectis & probatis &c. Dat. Litomericii An. 1547. Fer. V. poſt Pentecoſtem:„ gratus agnoſcit. Privilegia item à Prædeceſſoribus ſuis Regibus & Principibus omnia in omnibus, & ſingulis eorum contentis confirmat, ac nè deinceps bona Capituli ullo modo ſive venditionis, ſive oppignorationis titulo abalienari poſſint in publicis regni Comitiis, quibus initio An. 1558. ipſemet præſens aderat, à ſtatibus ratum haberi, ac in perpetuam rei memoriam actis comitiorum inſeri mandat (s). *Ferdinandus* itidem *II. glor. mem.* Prælatorum Pragenſium *fidem* & *perennem conſtantiam* ſatìs ſupérque probavit. Incumbebat toti Regno horribilis ab hæreſi excitata contra electum, coronatúmque Regem rebellio, & qui renuebant Pſeudo-Regi *Friderico Palatino* genua flectere proſcriptione, vitáque periclitabantur. Inter hos periculoſos patriæ aſpectus *fidele* Regi ſuo permanſit *Capitulum*, fortiter generoséque contemnens bonorum redituúmque ſuorum confiſcationem, ac vel mortem ipſam. Præpoſitus, & Decanus equuleo excruciandi à directoribus quæritabantur. Porrò *Caeſar* ac *Rex Bojemiae Ferdinandus* mox in primo ſuo ad templum Metropolitanum An. 1621. introitu, dum à Prælatis & Canonicis ante fores templi conſueto ritu ſalutaretur, collaudatis illis ob fidei DEO, Eccleſiæ & ſibi integerrimè ſervatæ conſtantiam, ut quantum hæc ſibi grata acceptáque eſſet, ſingulari aliquo regiæ ſuæ munificentiæ ac liberalitatis exem-

Marginal notes: corn. Bojem. lib. 1. cap. 24. ad. An. 1310. MS. Peneſſ. de Weitmil. Can. Prag. in chron. Eccl. Prag. lib. 2. ad eund. An.

(p) Hagek. ad An. 1484.

(q) Pontan. Bojem. piæ lib. 2. pag. 31.

(r) Lit. Wladislai Reg. Original. in Archiv. Capit. ſubſcript. man. prop.

(s) Archiv. Capit. Scrin. Diplom. Reg. An. 1546. & 1547.

plò teſtatum redderet, ſpecialibus quibusdam gratiis omnes & ſingulos ornandos decorandósque conſtituit, quos etiam *Sacri Lateranenſis Palatii, Aulæque Cæſareæ, ac Imperialis Conſiſtorii Comitum* titulo, & dignitate inſignivit. (t) Nec hìc præterire poſſumus gratioſam ſucceſſorum præfatam fidelitatem dignè trutinantium reminiſcentiam; certè *Leopoldus glor. mem. Rom. Imp. & Bojemiæ Rex*, Cæſareæ Clementiæ ergà Eccleſiam, Canonicósque Pragenſes teſtes perennes reliquit, dum præter egregiam fidelitatis laudem, *pretioſum è gemmis tabernaculum* (quod in hodiernum diem ſuper ſepulchro *S. Wenceslai* collocatum admiramur) Eccleſiæ donavit. Et juvat ejusdem literas *Pardubitio* die 26. Junii An. 1680. *Thomæ Peſſina* Decano inſcriptas audire: „ Cordi mihi eſt, Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſi donum quoddam in mei memoriam relinquere, nullum modò in mentem venit aptius, quàm illud ex pretioſis gemmis Bojemicis coadunatum tabernaculum in gazophylacio meo Pragenſi exiſtens. Ejusdem itàque Præfecto in mandatis dedi, ut vobis illud petituris actu tradat. Cæterùm perſpecta mihi jam dudum eſt veſtra, totiúsque concrediti vobis Capituli perennis fides, & devoti affectûs conſtantia, quare etiam meremini, ut vos univerſos ſingulari Cæſarea Regiáque protectione complectar, meæque perpetuæ benevolentiæ & gratiæ, quam vobis defero uberrimam, hiſce ſecuros reddam. „ (u) Denique hæc & plura alia induxerunt *ſuam Majeſtatem* modò glorioſiſſimè regnantem *Carolum VI. Rom. Imperatorem Hiſpaniarum, Germaniæ, Hungariæ & Bojemiæ Regem*, ut præmemoratæ perpetuò obſervatæ fidelitatis intuitu, *Capitulo Metropolitano Pragenſi, ſemper fidelis Capituli* titulum, ab omnibus tribunalibus, ac dicaſteriis, nec non terrigenis univerſis coutinuis impoſterum temporibus tribuendum An. 1714. divali decretô ſanciret.

(t) Diplom. Cæſar. quo Simon ab Horſtein Præpoſ. Prag. creat. Conſil. & Com. Palat.

(u) Archiv. Capit. Scrin. Diplom. Reg.

9. Si hæc magna ſunt, non minora videntur ea, quæ idem Capitulum, ergà *Eccleſiam, ſedémque Apoſtolicam* conſtanter & fideliter egit. Nusquam reperitur, ubi Eccleſiâ per ſchiſmaticas electiones ſciſsâ à legitimo *S. Petri* ſucceſſore hoc Capitulum remiſiſſet, licèt ſæpè innumeris gratiis, promiſſis, indultis, privilegiis (ùt etiamnúm Pſeudo-Pontificium originales literæ, in Archivo Capituli aſſervatæ oſtendunt) in partes contrarias pulſatum & ſollicitatum fuiſſet. *Daniele I. Epiſcopo Pragenſi*, partes *Friderici I. Imperatoris* contra *Adrianum IV. & Alexandrum III.* Legitimos Pontifices imprudenter ſecuto Capitulares poſthabitis *Friderici Imperatoris & Wladislai Regis* mandatis, & minis, in obſequio *ſedis Apoſtolicæ* conſtantiſſimè perſtiterunt. Eandem conſtantiam retinuêre, dum *Victore* extinctô An. 1164. alius Pſeudo-Papa aſſumpto *Paſchalis III.* nomine, claves Apoſtolicas arripuit. Statuerat quidem Imperator vi armis, & cenſuris Sacerdotes, & Religioſorum collegia ad agnoſcendum *Paſchalem* cogere; verùm in *Bojemia Capitulo Pragenſi* contradicente, id in effectum redigere nullô modô potuit. In eodem conſtanti obſequio perſtitêre capitulares *Philippi II.* tempore, atque iterum *Ottonis IV. & Friderici* II. *Imp.* à Romanis Pontificibus *Innocentio* III. *Gregorio* IX. ob injurias graviſſimas ſibi & Eccleſiæ illatas à fidelium conſortio proſcriptorum, qui etiam Regi ſuo *Przimislao Ottogaro*, ſuadendo, hortandóque autores fuêre, ùt An. 1201. deſertis *Philippi* partibus Pontificis potiùs placitis ſeſe accommodaret. (x) Annis ſubſequentibus cùm *Fridericus* II. *Imp.* multa protervè agens, id tandem meruiſſet, ut ab *Honorio* III. atque iterum à *Gregorio* IX. An. 1239. in ipſa ſanctiſſimæ Dominicæ cœnæ celebritate, hoſtis

(x) Huldr. Mutius in Cron. Germ. lib. 19. ad An. 1203.

Eccle-

Eccleſiæ publicè declaratus anathemate feriretur. *Capitulares Pragenſes*, ſicut antea *Przemislao Ottogaro*, ità hîc etiam filio ejus *Wenceslao Ottogaro*, rationibus ex cauſis ſolidiſſimis in medium productis perſuaſerunt, ut ab Imperatore publica execratione ab Eccleſiæ Communione ſemoto deſciſceret, mentémque & ſtudium ſuum omne *Gregorio* potiùs *Papæ*, ejúsque ſucceſſoribus *Cœleſtino* IV. & *Innocentio* IV. commodaret. Debitæ rurſum Apoſtolicæ ſedi obſervantiæ, atque fidei inſigne ſpecimen præbuit Capitulum, cum actis *Ludovici Imperatoris* An. 1323. quibus ab authoritate *ſedis Apoſtolicæ* ad Generale Concilium appellabat, aſſentiri noluit, ſed *Regi Joanni*, productis in medium ponderoſiſſimis rationibus, perſuaſit, ut is damnatâ *Ludovici* ſocietate, eum in Italiam cum copiis contra Pontificem proficiſcentem ſequi detrectârit. Eodem etiam tempore ſedem Epiſcopalem (*Joanne* IV. *Epiſcopo Pragenſi* injuſtis *Ludovici Imp.* partibus ad hærentem à ſpiritualium & temporalium adminiſtratione ſuſpensô (qui tandem An. 1329. Apoſtolicæ ſedi fuit reconciliatus) juxta decretum Pontificis fideliter adminiſtravit. Denique Annô 1378. in illo graviſſimo, quod Eccleſiam diu affixit, ſchiſmate nova iteratò Apoſtolicæ ſedi obſervata enituit fides, & devotio, tametſi enim à curia tunc Pſeudo-Pontifica Avenionenſi ſemel atque iterum, & poſteriùs quidem ſub graviſſima pœnarum interminatione moneretur Capitulum, ùt *Clementem* ejus Nominis VII. ſingulari divini Numinis (ſic ajebant) providentiâ per electionem potioris nominis, & autoritatis Cardinalium in virtute Spiritûs Sancti unà congregatórum, declaratum, & ſolito Eccleſiæ ritu intronizatum, ſupremum univerſæ Eccleſiæ Paſtorem agnoſcerent, nisì cenſuris Eccleſiaſticis tanquam perduelles, & ſchiſmatici notari mallent. Autoritas tamen *Urbani* VI. tanquam legitimi Papæ & ſupremi Eccleſiæ Capitis, cujus juſtam poteſtatem, vel ipſimet ſuperi non unò prodigiò aſſeruiſſe viſi ſunt, ipſi potior atque ſanctior fuit, quàm ut Pſeudo-Papæ, & aſſeclarum ejus cohortationibus, vel minis moverentur, & acta probarent. Similiter in triſti illo inter *Eugenium* IV. & *Concilium Baſileenſe* diſſidio, quo Baſileenſes irâ, & indignatione plus juſtò abrepti contra *Eugenium* ſententiam ferentes, eum *ſeſſione trigeſimâ nonâ* ſuprema Paſtoralis officii dignitate privare, & in ejus locum *Amadeum Sabaudiæ Ducem*, qui ſe *Felicem V.* nominabat, ſurrogare nitebantur, penes legitimum *divi Petri* ſucceſſorem *Eugenium* IV fideliter, ac conſtanter permanſit, non attentâ officioſiſſima legatione, qua Pſeudo-Pontifex *Felix V.* An. 1441. miſſis *Chriſtiano Grez Reginæ Brunnenſis* & *Hieronymo Homucenſis Eccleſiarum Praepoſitis*, nec non *Marco Bonſilio* legatis, præmiis, ac multivariis immunitatibus Capitulares honorabat & invitabat. (y) Ecquid tandem referemus, de illa inſigni prorſus fortitudine & conſtantia, qua infamiſſima *Wikleffi Huſsíque* hæreſi *Bojemiam* turbante, & ne penè in ruinam inclinante, *Praelati, Canonicíque Pragenſes*, *Conrado* etiam *Archi-Epiſcopo* in eandem inſaniam turpiter lapſo ſcintillam Catholicæ fidei ſoli in Regno ſuccolârunt, & poteſtatem *Apoſtolicae ſedis*, nè ab hæreticis penitus ſuppримeretur, contemptis vitæ periculis, viriliter ſuſtentârunt, ac *ſedem demum Archiepiſcopalem* centum & qnadraginta aliquot annis inter furibundos armatæ hæreſis tumultus, & bonorum Eccleſiæ confiſcationem incredibili ſollicitudine laudabiliter adminiſtrârunt? Teſtem agit *Joannes Cochleus.* (z) *Ea enim* (inquit) *Eccleſia* (videlicet Metropolitana *Pragenſis*) *ſemper in Catholica fide permanſit: cujus ſanè Praelati, & Canonici pro teſtamento DEI, multas ab haereticis tribulationes, damna, & exilia perpeſſi ſunt.* Et ante *Cochleum Æneas Sylvius*

(y) Liter. Credential. Felic. V. Dat. Baſil. X. Cal. Dec. An. 1441. Archiv. Capit.

(z) Joan. Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 11.

(aa) *Sa-*

(aa) Æn. Sylv. Hiſtor. Bohem. cap. 69.

(aa) *Sacerdotes Majoris Eccleſiæ Pragenſis, erant Romanæ fidei ſectatores, qui pro teſtamento Dei exilium longo tempore paſſi, Sigismundi tandem vocatione ſua loca recuperaverant.* Inde nemini mirum, quod ſicuti Regum & Imperatorum, ità quoque ſummorum Pontificum beneficentiâ, & liberalitate, maximis prærogativis ac immunitatis *Eccleſia*, & *Capitulum Metropolitanum* condecoratum ſit & illuſtratum. Longum foret omnia ea, quæ *Eugenius* III. *Alexander* III. *Innocentius* III. *Honorius* III. *Gregorius* IX. *Alexander* IV. *Urbanus* V. *Bonifacius* IX. ac eorum etiam ſucceſſores munificè conceſſerunt, commemorare, quæ omnia originaliter in Archivo aſſervantur. Ob ſervatam Catholicæ Eccleſiæ in Regno doctrinam Metropolitani templi, ſacræ ſuppellectilis, reliquiarum, fundationum, ac omnium Miniſtrorum curam, correctionem, adminiſtrationem, & proviſionem univerſam ſuſtinet, omnes quoque Miniſtros tam Clericos, quàm ſæculares priores quidem cum Decano, poſteriores verò ſolus Decanus inſtituit & deſtituit. (bb) Ob Archi-Epiſcopalis ſedis & jurisdictionis auctoritatem fideli adminiſtratione contra hæreſum interminia tuitam, & ſervatam Prælatos & omnes Canonicos ſuos poſt eorum electionem ipſummet, *Præpoſitus* quidem *Decanum*, & *Decanus* verò reliquos omnes confirmat & inſtallat. (cc) Deinde *Urbanus V.* ſummus Pontifex præfatorum fidelitatis meritorum intuitu Præpoſito, Decano, & cæteris Prælatis & Canonicis gratioſè conceſſit, „ ut quandocunque aliquis illorum Miſſam in Eccleſia „Pragenſi ſolemniter celebravit, „tam ipſe celebrans, quàm illi qui „ex Canonicis in Diaconatûs & „Subdiaconatûs ordinibus eidem „ſervient celebranti mitris, ſeu inſulis albis licitè uti poſſint. (dd) „Datum Avinione III. Cal. Junii. „Pontif. An. III. „ id eſt An. 1364.

(bb) Archiv. Capit. Scrin. Bull. Pont.

(cc) Archiv. loc. cit.

(dd) Bull. Original. Archiv. Capit.

Eundem Infularum uſum *amplius* extendit *Bonifacius* IX. Pontificatûs ſui Annô I. An. 1389. Concedens „ut „ſinguli Canonicorum in Majoribus „& Patronorum Eccleſiæ feſtivita„tibus, mitris Pontificalibus gem„matis & aurifriſatis uti, prout De„canus, & Canonici Eccleſiæ S. Pe„tri Wiſſehradenſis, ac divina offi„cia in ipſis celebrare poſſint. „ Tenor Bullæ ex membraneo originali Archivii Capitularis *Pragenſis*, & *Wiſſehradenſis* eſt ſequens:

Bonifacius Epiſcopus Servus Servorum DEI.

„DIlectis filiis Decano, & Capi„tulo Eccleſiæ Pragenſis ſalu„tem, & Apoſtolicam benedictio„nem. Expoſcit veſtræ devotio„tionis ſinceritas, ut tam vos, quos „ſpeciali dilectione proſequimur, „quam Eccleſiam veſtram Pragen„ſem, dignis honoribus attollamus. „Hinc eſt, quòd nos veſtris devo„tis ſupplicationibus inclinati, ut „liceat vobis, & veſtrum ſingulis in „majoribus, & Patronorum Eccle„ſiæ veſtræ feſtivitatibus, mitris „Pontificalibus gemmatis & aurifri„ſatis uti, PROUT DECANUS, „ET CANONICI ECCLESIÆ „S. PETRI WISSEHRADENSIS „PRAGENSIS, ac divina officia in „ipſis celebrare: dummodo in ipſa „celebratione Apoſtolicæ ſedis Le„gatus, aut Archiepiſcopus Pra„genſis, qui erit pro tempore, „præſentes non exiſtant. Quibus„cunque conſtitutiouibus Apoſto„licis in contrarium editis, nequa„quam obſtantibus: vobis & cuili„bet veſtrum, Auctoritate Apo„ſtolica, de ſpeciali gratia, tenore „præſentium, indulgemus. Nulli „ergò omnino hominum liceat „hanc paginam noſtræ conceſſionis „infringere, vel ei auſu temerario „contraire. Si quis autem hoc at„tentare præſumpſerit, indignatio„nem omnipotentis DEI, Beato-

tum

„rum Petri & Pauli Apoſtolorum „ejus, ſe noverit incurſurum. „ Datum Romæ apud S. Petrum Idus „May, Pontificatûs noſtri annô „primô.„ Id eſt An. 1389.

Cauſam maximæ gratiæ in alia bulla *III. Non. Januar.* An. 1400. Pontifex explicat, dum ait: „Spe„cialis benevolentiæ plenitudo, „quam ad Pragenſem Eccleſiam ex „Paternæ charitatis viſceribus geri„mus, veluti ad filiam prædilectam, „nec non ad dilectos filios Deca„num, & Capitulum ac perſonas „ejusdem Eccleſiæ, qui tam nobis „quàm prædeceſſori noſtro, hujus„modi ſchiſmatis, & turbationis „tempore, tanquam muro pro do„mo Iſrael fidei, & devotionis „conſtantia ſe opponentes, in hu„jusmodi fide, ac devotione in„concuſsè perſtiterunt, & perſi„ſtunt: meritò nos inducit, ut ad „ea, quæ tam ejusdem Eccleſiæ, „quàm ipſorum Decani, & Capi„tuli ac perſonarum ſtatum pacifi„cum & tranquillum, commo„dúmque concernere dignoſcun„tur, Paterna ſollicitudine intenda„mus, easque favoribus Apoſtoli„cis gratioſè proſequamur. (ee) Ejusmodi commemorat *Joannes* XXII. Sui electionem poſt obitum *Alexandri* V. Capitulo inſinuans An. 1410. „Ipſam devotionem veſtram tan„quam intimam filiam recognoſci„mus ſpecialiter noſtræ ſollicitudi„ni ab intimis commendatam, nam „pro ſtatu & honore præfatæ Eccle„ſiæ, ac ipſius tranquillitate, & „unione veſtris fidelibus actionibus, „ùt multorum relatione percepi„mus, quæ profutura noviſtis, ſe„dula vigilantia non ceſsâſtis effice„re, nec definitis de præſenti. (ff) Et *Caliſtus* III. dum Capitulum hortatur, ut in futuro Regnicolarum conventu allaboret, nè Regnum ampliùs extra cætum Eccleſiæ uni„verſalis maneat: *Certiores*, ait, „facti ſumus Apoſtolicæ ſedis vos „ſemper bonos fuiſſe filios, fideles „& devotos, ac ea procurâſſe, quæ „ſunt ad unionem, & pacem in Ec„cleſia DEI, & Regno illo. De ve„ſtra devotione hujusmodi ſingula„rem fiduciam gerentes &c. „ *Paulus II. ſum. Pontifex*, fidelitatem & conſtantiam Capituli per omnia extollit: „ Locuturis nobis dile„ctiſſimi filii ad vos, qui ritum & „communionem Apoſtolicæ ſedis „profitemini pariter & tenetis, det „Apoſtolicus ſermo principium, ut „audiant fideles diſcipuli illius, qui „prædicavit gentibus magni verba „doctoris. Primum inquit gratias „agimus DEO noſtro per JEſum „Chriſtum pro omnibus vobis, quia „fides veſtra annuntiatur, atque „laudatur, quando ſanctæ hujus „Apoſtolicæ ſedis fidem, unita„temque tenentes de Sacramento „Euchariſtiæ ea docetis, atque ſer„vatis, quæ ſacroſancta Romana „Eccleſia veſtra & cunctorum fide„lium mater ſervat, & docet. Gau„demus ecquidem hac veſtra Con„ſtantia, rogantes DEI noſtri cle„mentiam, ut, quod incepit in vo„bis, confirmet, atque perficiat.„ Et infrà. „ Vos autem hortamur dile„ctiſſimi filii, quibus veluti ſcienti„bus loquimur ſapientiam inter „perfectos, adeſtote Catholicæ fi„dei, Eccleſiaſticæ unitati conſuli„te vos armaturâ juſtitiæ, & galeam „ſalutis apprehendite, ſcientes „quòd, qui legitimè certaverit, co„ronabitur. Non vos terreat per„fidia impiorum, ſed potiùs mo„veant exempla Sanctorum, qui „ſeminantes in lacrymis cum exula„tione metebant. Nulla eſt tribu„latio temporalis, ſi ante oculos pe„renne præmium proponatur. Da„tum Romæ apud S. Petrum Anno „incarn. Dominic. 1465. XV. Cal. „May Pontificatûs noſtri An. I.

Recenter Clemens XI. felicis recordationis ſummus Pontifex, ante memorata in Eccleſiam DEI Capituli

(ee) Archiv. loc. cit.

(ff) Archiv. loc. cit.

pituli merita penſitans, conceſſit Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Pragenſis, & omnibus ſucceſſoribus, ut Rochetum, & cappam magnam ad inſtar Canonicorum Baſilicæ *S. Petri* in vaticano, tam in Eccleſia Pragenſi, quam extra eam in proceſſionibus, & omnibus actibus publicis & privatis, uti etiam extra civitatem, & diœceſim Pragenſem, & ubivis locorum, etiam in Synodalibus, Provincialibus, & Generalibus Conciliis, in præſentia Cardinalium, etiam de latere Legatorum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Ordinarii proprii, & aliorum, quibusvis temporibus anni deferre, & geſtare poſſint. *Dat. Romæ apud S. Petrum Annô Incarnat. Dom.* 1706. *Pridie Idus Februarii, Pontificatûs annô ſeptimô.* *Noviſſimè demum Benedictus* XIII. ſummus Pontifex, animo revolvens, quòd, cum luctuoſis illis temporibus, dum *Boemiæ* Regnum nefariâ hæreſi, aliisque gravibus turbis miſerè affligeretur, Capitulum & tunc exiſtentes Canonici ejusdem Metropolitanæ Eccleſiæ, ob eximiam eorum, *in Catholica religione, & Apoſtolicæ ſedis dignitate tuenda conſtantiam, ac robur,* nedum condignis laudibus commendari: ſed nonnullis etiam gratiarum muneribus, & privilegiis à S. Apoſtolica ſede decorari mereantur, omnibus & ſingulis dignitates obtinentibus, ac Canonicis dictæ Metropol. Eccleſiæ Pragenſis præſentibus, & futuris concedit, ut ipſi exrra eandem Eccleſiam, ac chori ſervitium, crucem cum imagine ſeu effigie *B. Joannis Nepomuceni* in pectore privativè, quoad quoscunque alios deferre & geſtare poſſint. *Dat. Romae apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die* 22. *Decembris An.* 1728. *Pontificatûs annô quintô.* Hæc de legitimis Principibus, ac ſedi Apoſtolicæ conſtanter obſervata Capituli Pragenſis fidelitate.

10. EST & hic locus inſignis encomii, à præclaris *doctrinæ* & *literaturae* dotibus, Profectò deterſam barbariem, inchoatam, & utiliter continuatam patriæ hiſtoriam Canonicis *Pragenſibus* acceptam fert *Bohemia.* Ecquis primus

- - - - decora alta Parentum
Magnanimosque Duces, & Martia praelia gentis
Eruit è tenebris?

Nonne *Coſmas* ille *Capituli Pragenſis Decanus*, qui à primo Chriſtiano Duce *Borzivvogio* dilucida annorum ſerie per tres chronicorum libros, tam politicam quàm Eccleſiaſticam *Bojemiae* hiſtoriam usque ad *Sobieslaum* I. An. Domini 1125. deducens & ad ultimum vitæ ſuæ tempus omnia Regni geſta literis commendans, Annô eodem, quô à ſcriptione hiſtoriæ die 3. *Calend. Junii* ceſſaverat, diem ſuum feliciter obiit *duodecimo Cal. Novembris.* Hunc ſecuti ex eodem Collegio Viri inſignis notæ inchoatos labores non minori ſtudio quàm diligentia ſuccenturiantes; primus poſt *Coſmam Vincentius Canonicus Pragenſis* & *Wladislai Regis* Notarius (quem ego adeò primus è tenebris; & aliquot ſæculorum carcere, nam nullus ſcriptorum quantùm memini, hactenus ejus recordatus eſt, in lucem protraho, & gratæ memoriæ commendo) ſcribit *Vincentius* ſuam Chronicam geſta *Wladislai Regis* ad *Mediolanum* ùt plurimùm comprehendentem ab An. Domini 1140. usque ad An. 1197. initium ejus eſt: „Wladislao Glo„rioſiſſimo & Sereniſſimo Regi „Boëmorum Inclyto, & ſemper „Victori, Vincentius licèt indignus „DEI tamen gratiâ ſanctæ Pragenſis „Eccleſiæ Canonicus & Notarius: „Oratione & ſervitio per longa tem„pora triumphare feliciter, & poſt „tot Regales triumphos in æternæ „beatitudinis coronari gloriâ. Ple„rúmque ex negligentia ſcriptorum „ſeu inopia, Regum & Virorum „fortium geſta, quæ ſcriptis non fue-

„ fuerunt mandata ſinè memoria in- „ teriiſſe dubium non eſt &c. „ Deſcribit *Vincentius* obſidionem *Mediolanenſem* genuinâ, & verâ narratione; utpote cui perſonaliter interfuit. Ait enim ad An. 1158. „ Venerabilis autem Daniel Pragen- „ ſis Epiſcopus prædictâ auditâ vi- „ ctoriâ, ibi Domino ſuo Regi de- „ bitum paratus exhibere ſervitium, „ in tanta ſe committens pericula, „ per pontem prædictam aquam „ tranſiens in prædicto ponte, vul- „ neratis ſpiritualia præbens ſolatia. „ Rurſus autem, cum per reparatum „ pontem Bohemi tranſirent, pro- „ pter maximam multitudinem preſ- „ ſum, ponte majorem ruinam fa- „ ciente, plures naufragio perierunt. „ Nullus enim vehementiam eorum „ retrahere poterat. Ego autem „ Vincentius hoc malum conſide- „ rans in tale periculum me præci- „ pitare animum retraxi. „ Hæc ille. Poſt *Vincentium Jaroslaus Canonicus Pragenſis*, poſtea Religioſus *Præmonſtratenſis* in monte *Sion*, orditur ſupple- „ mentum *Coſmæ*: Annò Domini Mill. CXXVI. *Sobieslaus dictus venit in Moraviam &c.* & finit Anno Domini MCCLXXXIII. ubi etiam adjungit originem *Slavorum* in *Boemia* ex eodem *Coſma*. Dein *Franciſcus Canonicus Pragenſis*, ſimul Canonicus, & Rector ſcholæ in *Wiſſehrad* Annò 1305. ſub *Wenceslao II.* Rege luculenter deducit chronicam ſuam tribus partibus à geſtis *Wenceslai* monoculi conſtantem. Sequitur denique *Beneſſius* ſeu *Benedictus de Weitmil* ab An. 1283. usque ad An. 1374. & librum quartum in vita *Caroli IV.* conſumens. Et tandem *Fridericus à Hradecz*, *Canonicus Pragenſis*, cujus ſcriptis plurimùm *Hagekus* in chronica *Boemiæ* uſus eſt. Poſt hos meritò ipſe *Wenceslaus Hagekus*, velut alter *Bohemiæ* à rerum copia *Livius* inter laudes ponendus eſt. Qui (poſtquam quidem jam tertia vice ab æmulis eruditioni ejus invidentibus Canonicatû prohibitus fuiſſet) An. 1547. in Canonicum non præbendatum Eccleſiæ *Prag.* electus (gg) ſua chronicâ magnam rebus geſtis *Bohemiæ*, *Ziſczæ*, Taborúmque buſto in ſepultis lucem accendit. Agmen claudunt *Georgius Bartholdus Pontanus* Præpoſitus & *Thomas Peſſina* Decanus, qui etſi officiorum ſuorum incumbentiis, & functionibus etiam publicis Archidiœceſis & regni penè toti fuiſſent obruti, non tamen ceſsârunt eruditâ pennâ illuſtrare patriam. Ut hoc merito literis ſuis multùm extulerit *Maximilianus à Schleinicz*, Proto-Epiſcopus *Litomericenſis*, die 8. *Januarii* An. 1671. ad *Peſſinam* datis, dum ait: „ Lucu- „ brationes ejusdem Moravicas, „ quod attinet, quod in iisdem va- „ letudine, interdum etiam occu- „ pationibúsque officii currentibus „ non attentis, ſtrenuè adhuc per- „ gat, & per hoc tam provinciæ illi lucem, tum & ſibimet nomen ad- „ ſtruat, cum conſolatione non par- „ va accepi. „ Jam in viam.

(gg) Cœleſtinu Præpoſ. in ſerie Can. Prag. P. Balbinus in vita Arneſti Archi-Epiſc. Prag. lib. 3. c. 13.

11. **V**Idimus ſuprà *Joannem Nepomucenum* in Cathedrâ Eccleſiæ *B. Mariæ Virginis* ante *lætam Curiam Vetero Pragæ Joanni Militio* circà Annum Domini 1373. ſuccenturiatum, & egregios ſacræ prædicationis fructus colligentem, nunc canonicali honore in Eccleſia *S. Viti* ſublimatum intuebimur. Sacrarum dictionum ſplendor, & ſubſecuta inde populi ad pænitudinem commotio, vitæ ſacerdotalis opere verba complentis compoſitio, doctrinæ demum ac eruditionis auctoritas, jam jam in *Joanne* ad honoresematureſcens, tantam ſui exiſtimationem, famámque in *triurbe Pragena* diffuderat, ut ea *Joannis Archi-Epiſcopi* & *Prælatorum Pragenſis Capituli* aures ulteriùs latere nec poſſet, nec deberet. Omnes igitur eò inclinabant, ut hujus præclari Sacerdotis, vita illibata, & doctrina ſancta ad ſublimiorem in Eccleſia DEI locum, unde altiores ad fructum quoque

Principum radios emitteret, collocaretur. Nec virtus eguit commendatione, ſed *Capitulum Pragenſe* promptô, & benevolô animô *Joannem* ad ſuum adlegit gremium, ſapienter perpendens, non plus tanto Viro honoris Canonici dignitatem adferre, quàm ille dignitati. Annô ergô Domini 1375. vacante canonicatu in *Eccleſia Metropolitana Pragenſi* Prælati & Canonici capitulariter congregati in unum, *Joannem de Pomuk*, artium & ſacræ paginæ Magiſtrum, Doctorem decretorum, & concionatorem in *Eccleſia Teinenſi* unanimibus votis in ſuum commembrum, & canonicum elegerunt. Et fuit is primus è Magiſtris *Carolinæ* Univerſitatis in *Pragenſem* Canonicum electus. Capitularium tam dignum ſubjectum elegentium memoria nè gratæ poſteritati eripiatur, eorum ſingulorum nomina, non quidem occaſione electionis, ſed alterius actûs Capitularis eodem Annô adnotata è vetuſto codice do
ſequentia (hh) „Guido Præpoſitus,
„Hynko Decanus, Poto Archi-
„Diaconus, Adalbertus Rauconis
„ſacræ Paginæ Doctor Pariſienſis,
„Jenczo Licentiatus in decretis,
„Præpoſitus Eccleſiæ S. Crucis
„Wratislaviæ Officialis curiæ Archi-
„Epiſcopalis, Henricus Theſauri
„Magiſter in ſacra pagina, Joannes
„Baccalaureus Cuſtos Wiſſehraden-
„ſis, Sezema de Urk, Præpoſitus
„Tinenſis, Dethlebus Stormer,
„Magiſter in ſacra pagina, Albertus
„Decanus S. Ædidii Pragæ, Joan-
„nes de Lytomysl, Licentiatus in
„decretis, Decanus S. Apollinaris
„Pragæ, Ulricus, Decanus omnium
„Sanctorum Pragæ, Dethmarus,
„Baccalaureus in decretis, Przi-
„bislaus, Archi-Diaconus Horſſo-
„vienſis decretorum Doctor, Can-
„cellarius, & Theſaurarius Archi-
„Epiſcopi, M. Ryvinus, Archi-
„Diaconus Plſnenſis, M. Bartho-
„lomæus decretorum Doctor, Ar-
„chi-Diaconus Boleslavienſis,
„Machko ſeu Mathias, decretorum
„Doctor, Archi-Diaconus Litome-
„ricenſis, Beneſſius de Weitmil,
„Archi-Diaconus Zatecenſis, Odo-
„lenus Bonczonis, Joannes Toſt
„Polonus, Magiſter in artibus,
„Andreas Kottlik, Baccalaureus in
„decretis, Paulus Choczna, Ma-
„giſter in ſacra pagina, Paulus Ja-
„novvicz, Doctor decretorum.

(hh) Vet. Cod. & Act. Capit. ad An. 1375.

Hi tunc Canonici præbendati, ad Eccleſiam Metropolitanam reſidêre, numerô viginti tres absque Præpoſito, qui propriam tenuit & adhuc tenet præbendam, *vigeſimum quartum*; & completum cum Decano Capituli numerum implente neo-Electo *Joanne de Pomuk*. Qua die verò electio contigerit, aut cujus Canonici præmortui præbendam neo-electus intraverit, documentis vetuſtate fugientibus caſſo labore indagatum eſt. Vidit ſe nunc *Joannes* in honore conſtitutum, & ſupra reliquos eminere, caput biretô, infuláque redimitum. At nihil eum hoc honoris gradu ad ſublime rapuit, ſed ſicut ante in obſequio animarum præſto fuit omnibus, ità nunc quoque conſiliô, & opera facilis, promptusque manſit ſingulis. Munus prædicandi verbi DEI, ipſis alias Epiſcopis incumbens (ii) Prælati Eccleſiæ Pragenſis per vices obibant. Et nunc quidem erat vir magnâ eruditione & doctrinâ clarus, *Adalbertus Rauconis*, Doctor Pariſienſis Prælaturam Scholaſtici tenens, hic ordinariè ante Cæſarem *Carolum*, aulámque ejus in templo Metropolitano verba fecit, & omnes velut ſolidè doctus eloquiô ſuô tenuit. Eruditionis & eloquentiæ teſtem habemus in Apologia (kk) manuſcripta in qua tres quæſtiones deducit. Primam „an omnes ſalvandi, ſint „priùs à peccati ſcoria purgandi?„ quam „Wenceslaus Romanorum & „Bojemiæ Rex,„ in caſtro *Hradek* coram *Archiepiſcopo Pragenſi* & pluribus Prælatis, ac Regni Proceribus propoſuit. Secundam, *an Archi-*

(ii) C. inter cætera de off. jud. ordin.

(kk) Apolog. MS. Adalb. Raucon. Bibl. oth. Capit.

Epiſcopo

Epiſcopus Pragenſis novum Feſtum B. Virginis Viſitantis in Bojemia absque ſcitu & indulto Apoſtolicæ ſedis introducere queat? Tertiam. *An & qualiter Epiſcopi & Prælati Eccleſiæ Pragenſis in hæreditatibus morientium habeant jus devolutionis?* Hæc doctè ſolidéque elaborata utrisque Regi & Archiepiſcopo præſentavit. *lib.* 10. *Erect.* C. 10. Leguntur literæ monaſterii *Brzevnovenſis*, *Diviſſii* Abbatis, *Wilhelmi* Prioris, *Hermanni* Superioris, *Joannis* Sacriſtani, totiúsque conventûs *Brzevnovienſis*, quòd Honorab. Vir *D. Adalbertus Rauconis* de *Ericino* Magiſter in ſacra Theologia in artibus *Pariſiis*, Formatus, Scholaſticus, & Canonicus *S. Prag.* Eccleſiæ Præbendatus, donatione inter vivos, donârit dicto monaſterio ſuos omnes libros, pro qua gratia promittunt ei Anniverſarium, die quo obibit, & tredecim Scholares, eò die alendos in prandio. An. 1388. Die 4. Martii.

12. Hic igitur *Adalbertus Rauconis* laboribus Eccleſiaſticis fractus, ac in ſenium declinans, munus prædicationis cum conſenſu capituli *Joanni de Pomuk* neo-electo ceſſit, & attribuit, optimè rem fieri ratus, ſi talem, qui antea in hoc officio palmas meruiſſet, pro ſucceſſore ſuo deſtinaret, atque Metropolitanam Cathedram in jugi honore conſervaret. Satisfecit *Joannes* expectationi populi in *Baſilica B. V.* ante *lætam curiam* ſuccedens *Militio*, cujus raram ingenii & eloquentiæ vim ſæpiùs *Adalbertus* ipſe admiratus *quaſi ſub juramento* (ùt ait vitæ *Militii* ſcriptor (ll)) „ dicebat: omne quidquid „ ego pro ſermone faciendo Viris li„ teratis, & illuminatis „ (Imperatori videlicet & Aulæ) „ vix in uno „ menſe comprehendere poſſum, „ Militius tantùm unâ horâ ſuo ſtu„ dio comprehendit; „ idem quo„ que in *Eccleſia Metropolitana* præſtiturum ſecurè, & ſapienter auſpicatur *Rauconis.* Repugnabat quidem aliquamdiu modeſtia, & humilitas *Joannis*, cum tale honoris munus à primis Prælatis ſibi neo-electo imponi cerneret, ſed ſicut ejus vita in obſequium proximi, & obedientiam ſuperiorum conſecrata erat, ità & hanc impoſitam ſibi provinciam, multarum iterùm frugum feracem ſubmiſsâ & alacri mente ſuſcepit. Explicatô proinde prædicationis divinæ reti è ſuggeſtu Metropolitano coram Imperatore *Carolo*, ac dein etiam filio ejus *Wenceslao*, omnem ſacræ Rhetorices energiam ad perſuadendum induxit, via, qua aptiſſimè potuit, adversùs voluptuoſam vitam aulicorum, magnam arrogantiam Nobilium, quæ & olim, ùt refert *Coſmas* (mm) *S. Adalbertum* plurimùm contriſtavit, adversùs veſtium luxum, ebrietatem, incæſtum, adulteria, quæ ſicut ſuprà vidimus, ultra modum circa hoc tempus Pragæ innundâvere. Hanc vitiorum lernam ſtrenuus Chriſti pugil verbis, factísque, morum pietate, & vitae innocentiâ repurgare ſatagens, quo magìs ex confluxu nationum, aulae, populíque mores in deterius quotidie ruere viderat, eò vehementiùs vocem ſuam ùt tubam exaltavit, & cum delictis conflixit. Poſſedit interea jam quaſi auditorum animos, & autoritate ſua trahebat, quo volebat, potiſſimùm dum & Imperatorem *Carolum* à cœleſti ejus facundia pendentem cernebant. Sunt hìc qui *Joannem* linguâ *Slavicâ*, ſunt & qui *Teutonicâ* perorâſſe adſtruunt. Quibuslibet in hoc ſuum arbitrium ſit. Pro primis facit lingua patria: pro poſterioribus Aula *Caroli* de potiori è Teutonibus, ùt obſervat *Hagekus* (nn) conſiſtens. *Comites* enim *Principes* & *Duces Germaniæ Pragæ* morantes, *Carolum* ad divina ſequebantur, & *Joannes* dictione Teutonica etiam in *Tein Militium* ſublevaverat. Inter haec porro inſignia praedicationis exercitia DEO famulum ſuum prophetiae ſpiritu illuſtrare, virtutémque

(ll) MS. Vit. Joan. Milit. Biblioth. Capit.

(mm) Coſm. lib. 1. ad An. 994.

(nn) Hagek. Chron. Bojem. fol. 349.

que ejus mundo propalare placuit. Præſenſit *Joannes* inſtinctu cælicô futura *Bojemiæ* mala, & ex quotidiano morum in pejus lapſu, velut alterationibus præviis ſubſequum corporis morbum. Quocircà ut daret ſignificationem metuentibus ad fugiendum in tempore à facie arcûs, magna mentis amaritudine propoſuit futuros Regni tumultus, & immanes calamitates. Suſcitandam ab inferis hæreſim, quæ ſacra profanis.

- - - - *Maria omnia cœlo miſceat*

Eccleſias & Cœnobia incendat, Viros DEO dicatos tormentis perimat, religionem avitam expellat, flammis ferróque pene omnia internecet. Stupet inſcia turba. Ecquis non felicem id temporis *Bojemiæ* ſtatum conſiderans, velut ad rem propè incredibilem obriguerit? eventus docuit omnia. Ipſe *Carolus* Imperator juſto futurorum timore perculſus in eam rapiebatur ſententiam, ſectis, & novationibus aggeres ponendos, & legum pœnis futuram vim coërcendam. Convocatis igitur *Regni Primoribus* intimô mentis ſingultu univerſos obteſtatur, nè à ſalvifica *Romano-Catholica fide* unquam nutent, ſed conſtanter in ea perſeverent. Ad reprimenda quarumcunque novationum pericula, divali decretô animadvertere, pœnásque diſtringere in eos, qui hæreſeos, aut defectûs ab avita Religione convicti fuerint, ut præter fiſci jura, ignis incendium experiantur. Expedita ſanctio die 18. Septembris Annô *1376.* (oo) refert eam per extenſum *Hagekus.* Interea excreſcebat in dies Sancti Viri autoritas, & in aula Cæſaris vitæ ſanctimoniam fama ſonabat. Turba Aulicorum ùt quoddam oraculum *Joannem* honorabat, caſtimoniam, abſtinentiam, zelum, pietatem, & ante omnia ſubmiſſam humilitatem in eo venerantes. Nec hæc absque merito *Antiſtitam S. Georgii Eliſabetham de Kolovvrat*, ac ipſam denique *Reginam Joannam Wenceslai Romanorum & Bojemiæ Regis* conjugem ambas longè pientiſſimas heroides permovêre, *mentis ſuæ arbitrum* habendum *Joannem.* Hujus felici conſcientiæ gubernió Virgineus ille *S. Georgii* cœtus in ſublimes religioſæ vitæ gradus feſtinis paſſibus eluctabatur, & ante Huſſæa diſcrimina ſpiritûs fervore & patientiæ robore firmabatur.

(oo) Hagek. fol. 349. Lupac. 14. Cal. Octobr. Weleslav. in Calend. ib.

13. INterea *Carolus Imperator* longiori vitâ digniſſimus finem vitæ præſentiens, res Imperii, & Regnorum ſuorum deſignatô ſucceſſóre maturabat in tutum collocare. Igitur *Wenceslaum* filium ſuum primogenitum, ex *Anna Jaurenſi Sileſiâ Sinkonis Svvidmicenſis* ducis filia in Imperiali Urbe Noriberga, die *26.* Februar. quæ erat dies Veneris ante Dominicam Oculi, horâ quasì tertiâ *An. 1361. natum*, & cum *Joanna* filia *Alberti Ducis Bavariæ*, Comitis *Hollandiæ*, *Hanoniæ* & *Selandiæ* die 18. Novembris An. 1370. in eadem Urbe regiô apparatu matrimoniô junctum (pp) Regem Romanorum, & ſucceſſorem ſuum die 1. Junii An. *1376. in prato Renſee deſignari* (qq) & die 10. Junii *Francofurti* in *æde S. Bartholomæi* per ſeptem viros publicè denunciari, tandem die 6. Julii in *octava SS. Apoſtolorum Petri & Pauli* per *Fridericum Archiepiſcopum Colonienſem Aquisgrani* in *Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis* unà cum conthorali ſua *Joanna* coronari facit (rr) *Sigismundo* alteri filio, deſponata ei *Mariâ Ludovici Ungariæ Regis* filiâ, & in hæreditatem datâ *Marchia Brandeburgenſi*, Regnum præparavit *Ungariæ. Joanni* tertio filio Principatum *Gerlicenſem* & *Luſatiam* ceſſit. Sic Regnis ſuis terrenis optimè proſpectum putans *Carolus*, abire in regionem longinquam & acci-

(pp) Lupac. 18. Nov. 12. Jun. Weleslav. Bucholc. Cuspin.

(qq) Jacob Wenker in Apparat. Archiv. §. 39. ex cœtan. lit. orig.

(rr) Ibid. loc. cit.

accipere ſibi regnum anhelebat. Ingraveſcente denique morbo An. 1378. ad finem Novembris *Joannem Archiepiſcopum*, & *Wenceslaum* filium ſuum ad ſe vocavit, utrisque, qua potuit energiâ, Imperii ſtatum commendavit. *Joanni* quidem, ut paterno conſilio *Wenceslaum* adjuvaret, *Wenceslao* verò, ut juſtè & vigilanter gubernaret. Regnum *Bojemiæ* in tanto flore ſtare, in quo antea nunquam; facili operâ fore conſervandum. Delicias inertem reddere hominem & inglorium, ſi felix eſſe deſideret, Parentis imitetur veſtigia. Luxum, ebrietatem, & libidinem velut peſtem fugiat, (ss) quibus optimi Principes in Tyrannos declinaverint, pietatem colat, juſtitiam amet, Sacerdotes honoret, Proceres non irritet, populum frœnet, ità benedictione cœleſti omnique proſperitate fruiturum. (tt) Sub hæc die 29. *Novembris*, quæ erat Vigilia *S. Andreæ Apoſtoli*, circa *horam ſecundam pomeridianam* ſummô totius Regni luctu diem ſuum obiit, annô ætatis ſuæ *tertio ac ſexageſimo*, ſepultus in *Eccleſia Metropolitana Pragenſi* in reconditorio Regum die 14. *Decembris.* Anniverſarium ejus magno ſacrorum, & officiorum cum vigiliis & commenda apparatu commemorat vetuſtus diſtributionum *Eccleſiæ Metropolitanæ* Codex. *III. Cal. Decemb. Eodem die obiit Carolus Imperator, in cujus anniverſario Præcentor dat 2. Sexagenas ad portionem. Item Canonicus, qui tenet Vorvvicz, dat 3. marcas montanas ad portionem, & 4. ad ſervitium. Item de villa Tuhan dicta dantur 3. Sexagenæ, & hoc intereſſentibus miſſæ & commendæ.* Alterum luctum eodem Anno ſenſit Eccleſia, quando mortuo *Dominicâ Lætare Gregorio Papa XI.* contra *Urbanum VI.* ſtatim menſe ſequenti Aprilis à potiori Cardinalium numerô canonicè electum, & in feſto Paſchæ, quæ erat dies 18. *Aprilis* coronatum factio Gallica *Robertum Cardinalem Gebenenſem* indito *Clementis VII.* nomine *Avenione* menſe Septembri in Pſeudo-Papam eligit. (uu) Afflixit hoc graviſſimum ſchiſma orbem Chriſtianum eò vehementius, quo importuniori tempore Imperator *Carolus* hujusmodi turbarum præſentiſſimus mediator è vivis ſubtractus erat.

(ss) Carol. in Commentar. vitæ ſuæ. poſt inic.

(tt) M. Boregk Chron. Bojem. fol. 332.

(uu) Platina in vit. Pontif.

14. WENCESLAUS porrò *Romanorum Imperator*, & *Bojemiæ Rex* poſt mortem Parentis ad gubernacula admotus omnes boni Principis aſpectu recreabat, ſedit videlicet viva adhuc Parentis virtus impreſſa animo. Quo & alluſiſſe videtur *Joannes Archi-Epiſcopus Pragenſis* in oratione funebri *Caroli* quam in exequiis habuit, dum pro defenſione Sanctæ Matris Eccleſiæ alium loco defuncti *Caroli* adjutorem & advocatum exoptando ſubjungit. (xx) *Quod & factum eſt, quia licèt Pater mortuus ſit illius, Sereniſſimus Princeps noſter Carolus, attamen eſt quaſi non eſſet mortuus, ſimilem enim reliquit poſt ſe, quem in vita ſua vidit & lætatus eſt in illo in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus coram inimicis, reliquit enim defenſorem domûs contra inimicos & amicis reddentem gratiam.* At non diu perſtitit hæc boni Principis effigies, brevì poſt mutatus fuit color optimus. Quamdiu demum *Joannis à Wlaſſim*, *Archiepiſcopi Pragenſis*, & *Joannis Nepomuceni Confeſſarii & Eleemoſynarii* Regii autoritas in aula *Wenceslai* valebat, & quamdiu eorum ſanis conſiliis ex mandato Patris ſui benignas aures præbebat, tamdiu res optimè ſtabant. Inde ex optimis horum conſiliis graviſſimum ſub id tempus in Eccleſia de quo ſuprà, ſchiſma, nè *Germaniam* & *Bojemiam* traheret in errorem, *Galliæ*, *Hiſpaniæ*, *Apuliæ*, & *Angliæ* exemplô, maturè providit, habitis ea de cauſa *Norimbergæ* An. 1379. Comitiis (yy) Inſuper vicinis quoque Regibus & Regnis *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Daniæ*, & *Sueciæ*, ut authoritatem *Urbani VI.* tanquam legitimi Papæ agnoſcerent, miſſis ad eos legatis, ſuaſit & perſuaſit, *Theodoricum*

(xx) Joan. Archiepiſc. orat. funebr. apud Freher.

(yy) Raynald. in Annal. Eccleſ. Tom. XVII. An. 1379. & ſeq.

cum verò *Decanum Wratislavienſem* tunc à Capitulo in *Epiſcopum Wratislavienſem* electum, eo quod Pſeudo-Papæ adhæreret, & ab illo confirmationem petiiſſet, accepiſsétque, prorſus rejecit, eíque per traditionem ſceptri, ùt tunc moris erat, conferre regalia ſeu Principatum nullâ ratione voluit: ſed datis *Norimbergâ* ad Capitulum literis, die 6. Novembris An. 1379. (zz) illum non tantûm ab introductione in Epiſcopatum, ſub ſeveriſſima comminatione prohibuit, verùm etiam pro hæretico & ſchiſmatico publicè declarari juſſit. In Eccleſiam quoque *Metropolitanam Pragenſem* egregiam monſtravit munificentiam, dum conceſſa olim ab anteceſſoribus ſuis privilegia, libertates & indulta ſanè eximia omnia confirmavit, inſuper in transgreſſores, & alios omnes, quicunque *Archiepiſcopum*, vel *Capitulares* dictæ Eccleſiæ in hujusmodi libertatum uſu moleſtare vel impedire præſumerent, ſeveriſſimam pœnam adjecit, *mille* videlicet *marcarum argenti puri* mulctam, cujus medietas ærario regio ſive fiſco reliquum Eccleſiæ cederet (aaa) Anniverſaria pro *Carolo* Patre, & *Anna* Matre, inſtituit. Altaria item aliquot in *Eccleſia Pragenſi*, uti *SS. Philippi* & *Jacobi*, *S. Materni*, *S. Laurentii* & alia vel ipſe de novo dotavit, vel dotem priorem de ſuo adauxit. Imperii quoque curam egit usque huc ſat diligentem. Libet initium decreti ſuper teloniis *Rheni* eodem Annô 1379. *Pragæ Indict. 2. 5. Cal. April.* Regnorum Annô *Boemiæ* ſexto decimo, *Romanorum* verò tertio, emanati audire (bbb) „ Wenceslaus Dei „ gratiâ Romanorum Rex ſemper „ auguſtus, & Boemiæ Rex. Notum facimus tenore præſentium „ univerſis. Ad hoc nos omnipo„ tens DEus auctor juſtitiæ, diſpo„ ſitor æquitatis & reipublicæ pro „ ſua voluntate, director Romani „ Regni faſtigio licèt immeritos vo„ luit ſublimari, ut ipſam proſequa„ mur juſtitiam, æquitatem ſpecte„ mus, & quantùm ipſe conceſſerit „ in regno Romano rempublicam „ pro viribus dirigamus, eapropter „ advertentes &c. „ Ad ſtabiliendam ubique pacem publicam, & componendos diſcordes Principum animos Annô 1380. & ſequenti provincias Imperii peragravit ùt innuit *Trithemius* (ccc) *eodem Annô* (nempè 1380.) „ Wenceslaus Rex „ Romanorum venit Coloniam, & „ cum honore magno ſuſceptus eſt. Et rurſum. *Anno 1381. Wenceslaus Rex Rom. cum Pileo Cardinali* cognomento *de pratis*, tituli *S. Praxedis*, qui erat tunc legatus à latere *venit Moguntiam*, *& per Rhenum deſcendens Coloniam*, *ulteriùs per terram Aquisgranum profectus eſt*, *ibique reſedit.* Et inter *Wenceslai* diplomata Cæſarea legitur. *Anno* 1381. *Datum Norimbergæ die Purificationis*, *& deliberatione conſilii Conradus Epiſcopus Lubecenſis.* Item *Anno* 1381. *de mandato Domini Regis*, *Domino Duce Teſchinenſi referente*, *Conradus Epiſcopus Lubicenſis.* Hæc non inertis, ſed boni Principis hactenûs fuêre ſpecimina. Nemo denique repente fit peſſimus. Sed ſenſim virtute labente. Nec hominem malum imperium emendat. Et honores paſſim mores in deterius immutant. Catalogus Principum adferri poteſt, quos imperium & ſumma rerum licentia corrupit; in ſumma enim fortuna, maxima ſolet eſſe improbis libido

- - - *Virtus & ſumma poteſtas*
Non coeunt. (ddd)

Ibi enim amici, qui verum dicere audeant pauci, adulatorum verò ingens caterva; paratæ & obviæ peccandi illecebræ cum impunitate rerum omnium. Eodem An. 1378. *Capitulum Metropolitanum* conſiderans exantlatos ſtudiorum labores, & literarum profectum quem primi illi *Carolinæ Academiæ* Profeſſores per plures annos docendo expenderant,

(zz) MS. Codex ſeu Copiarium lit. publ. Archiv. Capit. Prag.

(aaa) Archiv. Capit. Scrin. Diplom. Reg.

(bbb) Jacob. Wenker in not. ad Bernand. à Mallenkrot.

(ccc) Trithem. in Cron. Sponheim. ad An. 1380. & ſeq.

(ddd) Lucan. lib. 8. Pharſal.

rant, dum certè jam egregia & qualificata ſubjecta in Eccleſia, curiiſque Boemia numeraret die 6. Novembris Venerabilem Virum *Hermannum de Wintersvvik* in ſacra Theologia & artibus Magiſtrum, die verò 20. Decembris Honorabilem Virum *Fridmannum de Praga Nicolai de Usk* Civis Pragenſis filium in Theologia Baccalaureum ambos Carolini ſtudii Profeſſores emeritos, & ad *omnes Sanctos* in *caſtro Pragenſi* Canonicos in gremium ſuum capitulare unanimibus votis ſuſcepit (eee) *Hermannus* brevì poſt diem ſuum obiîr, utpotè provectæ ætatis, & viribus docturæ lucubratione fractis. *Fridmannum* adhuc poſt Martyrium *S. Joannis Nepomuceni* in Capitulo vixiſſe lego. Par beneficium An. 1380. die 6. *Novembris* a capitulo obtinuit Magiſter *Jenko* aliàs *Joannes Wenceslaus* de *Praga*, Magiſter Artium, & Baccalaureus in Theologia, tertius Profeſſor emeritus ſtudii *Carolini*, hactenus Canonicus *Pragenſis*.

(eee) Act. Capit. & Protocol. ad A. 1378. fol. 13.

NOTÆ IN CAPUT VI.

Juvat pro meliori antiquitatis notitia brevem ſyllabum Eccleſiarum à fidei Chriſtianæ exordio in *Boemia* ædificatarum juxtà annorum ſeriem annectere.

Ordo Eccleſiarum à fidei Chriſtianæ initio in Regno Bojemiæ erectarum.

1. ECcleſia *S. Clementis Pontificis & Martyris* à *Borzivvogio* primo Chriſtiano Duce in Caſtello *Hradecz* ſeu *Reginæ Hradecii* circa An. Dom. 864. erecta, in qua etiam *Paulus Kaichus* Presbyter *SS. Cyrilli & Methudii* diſcipulus *Borzivvogio* in *Bojemiam* Comes additus, primum Miſſæ ſacrificium celebravit. *Manè facto* (ait *Chriſtiannus* primus Bojemiæ ſcriptor in vita *S. Ludmillæ*) *ipſum Ducem* (Borzivvogium) „ Methudius cum ſuis „ triginta, qui advenerant, catechi„zans, peractis jejuniorum ex more „ ſolemniis, ſacroſanctô baptiſma„tis fonte innovavit, pleniterque „ eum de fide Chriſti inſtruens, mul„tis locupletatum donis, ad pro„pria redire conceſſit, tribuens ei „ venerabilis vitæ Sacerdotem no„mine Kaich, qui reverſi in ſua, in „ caſtello, cui vocabulum inerat Hra„decz, ſupradictum Sacerdotem ſta„tuunt, fundantes Eccleſiam in ho„norem B. Clementis Papæ & Mar„tyris, multa detimenta Satanæ in„gementes, populum Chriſto Do„mino acquirentes. „ Ad hanc ſacram ædem, quæ ad ſeptentrionem verſa eſt, poſt plura ſæcula *R. R. P. P. Ordinis S. Domin.* habuêre cœnobium, ut ex *libris Erectionum* conſtat, at Huſſiadum turbis, quorum *Regino-Hradecium* perpetuus erat nidus, hoc *S. Dominici* habitaculum exuſtum, & à Senatu Huſſitico in curiam converſum fuit, ut de facto cernitur. Ideò versùs curiam ante nuperam adhuc reſtaurationem è muro pergula prominebat, qua Patribus è cœnobio aditus interior patebat. Hanc ſacram Capellam (quæ merito inter ſacroſancta *Bojemiæ* loca numeranda eſt) poſt multiplices tam olim *Huſſitarum*, quàm recentius *ſuecorum* in armamentarium eam vertentium, profanationes & ruinas, è cineribus Annô 1715. ſuis ac Patronorum ſumptibus levavit, & conſecravit „ Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus „ Dominus, Dominus Joannes Ada„mus Comes Wratislavv è S. Me„tropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis „ Præſato Scholaſtico Epiſcopus „ ſextus Reginæ - Hradecenſis & „ Præpoſitus VViſſehradenſis, „ qui priùs Annô 1714. ad impetrandum cælitùs Patrocinium in fatali peſtilentiæ lue *S. Clementis* diem feſtam, *Reginæ-Hradecii* ſub *ritu duplicis primæ claſſis & Feſto fori*, *chori* verò per *Diœceſim Reginæ - Hradecenſem* perpetuis temporibus, celebrandam honoravit, & opem ſancti civitate præſervata ſenſit.

2. Eccleſia *B. Mariæ Virginis* in cœlos aſſumptæ ante *lætam curiam* vulgò in *Tein*, quam itidem *Borzivvogius* in domo ſeu aula ſua regia propè muros veteris urbis Pragenſis circa Annum 869. juxta reſtauratam chronologiam erexit.

3. *S. Clementis* iterum in caſtro *VViſſehradenſi* ab eodem An. 870. ædificata, inſtitutô ibi Sacerdotum cœtu, qui ſacris operarentur. Ubi

deìn

dein An. 1068. *VVratiſlaus* Primus Rex *Boemiæ*, Præpoſitum, Decanum & Capitulum Canonicorum immediatè ſedi Apoſtolicæ ſubjectum fundavit.

4. *SS. Petri & Pauli* in *Zderas* ab eodem *Borzivvogio* Annô eodem.

5. *SS. Petri & Pauli* in urbe literarum *Budecz* excitata à *Spitignevo* filio primogenito *Borzivvogii* An. 905.

6. *S. Mathæi Apoſtoli* ante portam *Hradcznenſem* ab eodem paulò ante obitum An. 906. propè hanc Eccleſiam impiiſſimam *Drahomiram* terra abſorbuit. Erat Parochia Capituli Pragenſis.

7. *S. Joannis Baptiſtæ* in eremo *S. Jvani* à *Borzivvogio* An. 909. appoſito etiam certo Sacerdotum numero, qui ibi aſſiduò ſacris operarentur.

8. *S. Michaelis Archangeli* iterum à Duce *Borzivvogio* &

9. *S. Catharinæ* à Conjuge ejus *S. Ludmilla* ambæ ædificatæ in oppido *Tetin* An. 910.

10. *S. Georgii* in caſtro Pragenſi à *VVratiſlao* Patre *S. VVenceslai* An. 912. Quo loco multis poſt annis *Boleslaus pius Boemiæ* Princeps cum *Maria* ſorore *S. Benedicti* ſacrum Parthenonem fundavit, & dotavit.

11. *SS. Cyrilli & Methudii* à *VVratiſlao Boleslaviæ* ante fores novæ ſuæ cortis An. 915. additis è *VViſſehrado* Presbyteris, ut locus eò frequentioribus perſonaret ſacrorum exercitiis.

12. *S. Viti* in monte *Suilo* propè ædem *divo Georgio* ſacram à *S. VVenceslao* M. An. 936. adjunctis Sacerdotibus, qui divinis operarentur, è *VViſſehrado* petitis. Ad eam *Boleslaus pius* Epiſcopum, & Canonicorum Capitulum fundavit.

13. *SS. Coſmæ & Damiani Boleslaviæ* ad baſilicam *SS. Cyrilli & Methudii*, de ejus fundatore quidem non conſtat: putatur tamen ſub hæc tempora à *S. Wenceslao* extructa, ante januam idem Martyr An. Dom. 939. occubuit, & in ea triennis quievit. Tandem *Brzetiſlaus* Dux Bojemiæ ruinoſam An. 1039. magnificè è Polonicis manubiis reſtauravit & ampliavit, ac etiam Canonicorum Capitulo exornavit.

Sub eodem tempore nempe An. 936. plures adhuc aliæ Eccleſiæ in diverſis locis à *S. Wenceslao* ædificatæ ſunt. Velut *S. Antonini* ad portam *Scharkenſem*, *SS. Petri & Pauli* ad *Moldavam*, *S. Laurentii vetero Pragæ*, ubi nunc eſt monaſterium *S. Annæ*, *SS. Coſmæ & Damiani* inter *Pragam* & *Wiſſehradum*, *S. Michelis Archangeli* ſub monte *Petrzin*, quarum extructiones fusè deſcribit *Hagek.*

Annô Domini 939. Martyriô præventus. Hic fixa chronologiæ ſedes hiſtoriæ *Bojemiæ* incipit, quam *Chriſtannus* primus *Bojemiæ* ſcriptor, & *Boleslai Sævi* filius *Ord. S. Benedicti* in vita *S. Wenceslai* expreſſit. Habet quidem *Balbinus* in ſuo edito exemplari *Chriſtanni* annum priorem 938. at in membraneo vetuſtiſſimo Codice Metropol. Eccleſiæ, qui autographum quodammodo *Chriſtanni* agere poteſt, habetur annus ſequens D CCCC XXXVIIII. in verbis, „tunc etiam ſancta anima in campo certaminis hujus vitæ „liberata ergaſtulo, ſanguine laureata, migravit victrix ad Dominum IIII. Cal. Octobrium, cœlo „gaudente, terra plorante Annô „Dom. Incar. D CCCC XXXVIIII. *Hagek* ſecutus *Pulkavam MS.* qui X. annos omiſerat, ponit Annum 929. At aſſentiendum eſt *Chriſtanno*, velut antiquiori, & Martyrio *S. Wenceslai* viciniori, ac S. Martyris ex fratre Nepoti. Dixi, *hìc fixam cronologiæ*

 ſedem

ſedem incipere, primus enim hic, & certus ab autore primo, fido, & certo expreſſus eſt Annus & Ducatûs, & Martyrii *S. Wenceslai.* Etsì quidem alii à baptiſmo *Borzivvogii* non incertum chronologiæ Bojemicæ ſyſtema deſumant, verùm & ille ab Autoribus non levis notæ diſceptatur. Et optandum, ut tam vicinè in Anno baptiſmi, *Borzivvogii* ac in anno Martyrii *S. VVenceslai* convenirent; Quidam enim triginta, alii quadraginta, & ultrà annis eundem in vetuſtatem retrotrudunt, ut videlicet cum Ducibus illis gentilibus in plura ſæcula retrò exſpatiari queant. Certè cum illis gentilium umbris colluctari operæ pretium non videtur, cùm & ipſe *Coſmas Chron. lib.* 1. primus eorum nomina prodens narrationem ſuam, poëſi plurimum addictus, in hæc claudat: *Et quoniam hæc antiquis* (Gentilium Ducum) *referuntur eveniſſe temporibus, utrum ſint facta, an ficta lectoris judicio relinquimus. Nunc ea, quæ vera fidelium relatio* (videlicet à *Borzivvogii* Baptiſmo) *commendat, noſter ſtylus, licet obtuſus, tamen devotus ad exarandum digna memoriæ ſe acuat.* Certum igitur eſt nos nihil certi & evidens de numero & geſtis Principum Gentilium habere. Ecquis enim aſſeverare audeat non plures in *Bojemia* Ethnica Principes extitiſſe, quàm qui paſſim nominantur? *VVnyslaum* & *VVlademarium* aut *VVladibojum Bojemiæ* Principes *Hagecius* & plures alii Scriptores neſcierunt, qui è vicinarum *Germaniæ* gentium chronicis eruti fuerunt. *Crugerius* (inquit *Balbin. Dec.* 1. *l.* 7. *cap.* 17. *fol.* 65.) *VVladibogio uxorem appoſuit VVladibogkam, qua authoritate neſcio, ſuſpicor hoc nomen ex VVladibogio marito fictum eſſe. Chriſtannus* primus *Bojemiæ* ſcriptor nihil habet de Ducibus Gentilibus ſolo *Przemislao* & *Libuſſa* exceptis. *Coſmas* quidem & *Jaroslaus* eorum nomina & inter ea *VVnyslai* commemorant. At in examen vocantur à recentioribus, audiamus ex MS. Metropol. Biblioth. utrumque: *Przmisliam* (ait *Coſm. lib.* 1. *chron.*) „ plenus dierum, poſtquam jura inſtituit legum, quem „ coluit vivus ùt DEum, raptus eſt „ ad cereris generum. Cui Nezamysl ſucceſſit in regnum. Hunc „ ubi mors rapuit, Mnata principales „ obtinuit faſces. Quo decedente „ ab hac vita Vogin ſuſcepit regni „ gubernacula. Hujus poſt fatum „ Unislaus rexit Ducatum. Cujus „ vitam dum rumpunt Parcæ, Crezomysl locatur ſedis in arce. Hoc „ ſublado è medio Neklam Ducatûs „ potitur ſoliô. Hic ubi vita diſceſſit, Hoſtivit throno ſucceſſit. Horum igitur Principum de vita & „ morte ſiletur, tum quia ventri & „ ſomno dediti, inculti & indocti „ aſſimilati ſunt pecori &c. „ Et infrà. *Hoſtivit autem genuit Borivvoy, qui primus Dux baptizatus eſt à Venerabili Methodio Epiſcopo in Moravia.* Et *Jaroslaus* MS in fine chronici: *Primus Dux Bojemiæ Przemysl.* 2. *Nezamyſee* 3. *Mnata.* 4. *Vogin.* 5. *Unislavv.* 6. *Creſomysl.* 7. *Neklan.* 8. *Hoſtivit.* 9. *Borivvogi primus Chriſtianus baptizatus à Methodio primo Epiſcopo Moravienſi. Annô Dominic. Incarnationis DCCCLXXXIIII.* His è diametro contrariatur *Pulkawa*, qui in ſuo cronico MS. apud me *fol.* 10. & 13. omiſsô *Hoſtivitô*, *Borzivvogium* fingit eſſe filium *Neklani*, poſt *Unislaum* ponit quoque Ducem anonymum, qui filius fuiſſet *Unislai* & Pater *Kreſſomyſsli*: *Przemysl*, inquit, „ Princeps primus, magnus „ vates, cum per multa tempora rexiſſet populum Bojemicum, mortuus eſt. Cui ſucceſſit filius ſuus „ Nezamysl, quod nomen Nezamysl nil excogitans interpretatur. „ Ipſe enim nil excogitavit novi, ſed „ in lege paterna manſit diebus vitæ „ ſuæ, in pace populum ſuum rexit. „ cujus filius Mnata ſibi ſucceſſit, & „ ſimiliter in pace regens defunctus „ eſt. Cui etiam ſucceſſit filius ejus „ VVoim, qui VVoim filios duos „ ha-

„habuit, videlicet Unislaum & „VVladislaum, inter quos Bojemiæ terram dividens, Unislao „Pragam & Bojemiæ Ducatum do„navit. VVladislao verò Lucen„ſem, aliàs Zatecenſem provinciam „diſtribuit. De quo VVladislao „poſtea VVlatislaus proceſſit, qui „ſucceſſu temporis cum Neklan „Duce Bojemiæ, plura (ut in ſe„quentibus tractabimus) bella „commiſit. Hinc itaque Unislao „filius ejus ſucceſſit, poſt quem „ſucceſſit eidem filius ejus Kreſo„mysl. Iſti omnes in pace rexe„runt terram Bojemiæ, nec inve„niuntur in cronicis acta eorum „quæcunque magnalia conſcripta. „Poſteà verò filius Kreſomyslii di„citur Neklan rexit terram, cujus „nomen non perunctus interpreta„tus. Et quidem nomini ſuo benè „competebat talis interpretatio „nominis, nam adeò timidus erat, „ut in nullo uſu armorum intereſſe „poterat.„ Et infrà. „Poſt„quam Dux Neklan dies ſuos com„pleſſet, mortuus eſt, cui ſucceſſit „filius ſuus Borzivvogii, primò „paganus, ſed poſteà Chriſtianus.„ Hæc Pulkavva. Aliter iterum enarrat MS. Teutonicum hiſtoriam Ducum Boemiæ rhythmis deſcribens de An. 1389. *Biblioth. Capit. Prag. G.* 33. *fol.* 1.

Der erſte Hertzog his Przemicl
Nag dem raicht Nezamicl
Bnatha, und Woyt dar nog drot
Zely das war ihr Got
Unieclaus Creſomisl
Di verbiren do ihr cyl
Darzu Neclan und Hoſtivik
Den es ibel auch ergick
Den ſie Heiden varen
In die Hell ſie miſten varen
Borzivvoy der erſte Kriſtin
Do mette wol cein ceil uriſtin

Deinde ſequitur hiſtoria Ducum Boemiæ per ordinem. Pro fine legitur

Di hat ein ende
Das ſcouwen ſich nun hende
Die Bömiſch Kronik gnant
Anno Domini MCCCLXXXIX.

Recentiores rurſus ſcriptores in Gentilium Ducum recenſione non parùm variant. *Æneas Hiſt. Bojem. cap.* 10. *Neklan* cum *Creſomyslo* confundens, cum ex *Unislao* progignit. *Ex Unislao*, ait, *natus eſt Grezomyslaus, qui & Neklan dictus eſt, unicum timoris & pavoris exemplum. Cromerus*

rus Crezomyslum filium vocat *Wogent*, omiſsô *Unislao*. *Pontanus Bojem. piæ cap. lib. 2. fol.* 12. *Unislaum* patrem conſtituit *Neklan*, præteritô *Crezomyslo*; *Neklan ex Unislao*, ait, *Nepote Primislai*. *Welesſlavinus* agens de *Neklani* imperio, multùm ſibi ipſi contradicit (indignante *Balb. Epitom. lib. 1. cap.* 10. *in not. fol. 84.*) nam cum in Calendario ſcripſiſſet *Neklanum* regnâſſe An. 869. poſtea in Genealogia ſcripſit *Hoſtivitum Neclani* filium regnare cæpiſsè An. Chr. 823. Et Nonas Martii *fol.* 131. ſcribit eundem obiiſſe 890. Regnâſſet igitur *Hoſtivitus* non tantùm ante ſuum parentem *Neklanum*, ſed etiam vixiſſet integris 101. annis. Cùm tamen in eadem Genealogia ſcripſerit *Borzivvogium*, primum Chriſtianum Ducem poſt mortem patris ſui *Hoſtiviti* in *Boemia* regnare cæpiſſe 856. *Paprocius* tandem (*Balb. loc. cit.*) „ cum Czechi adventum & prima Boemiæ & Moraviæ fundamenta examinat, ſic omnia præſertim tempora confundit, & quadrata rotundis permiſcet, ut riſum apud Chronologos mereatur. „ *Paprocius* quæcunque invenit omnia ſinè delectu conſarcinavit, criticæ artis penitùs exſors. Denique in tanta vetuſtatis caligine, ſcriptorum pugna, monumentorum penuria (cùm & *Chriſtannus*, & *Coſmas* ſe à fama ſolùm, & ſenum fabuloſa relatione, pauca illa de primis terræ incolis accepiſſe fateantur) quid certi & indubitati de præcenſitorm Gentilium ducum regimine adferri aut ſtatui poterit? Ut meritò grande periculum veritati objicere videantur illi recentiores, qui prædictis Gentilibus Ducibus, non modò determinatum annorum numerum, quibus in Boemia rexerunt, verùm & certa bella, legationes, ædificationes urbium, inventiones metallorum, erectiones arcium, donationes familiarum, ſacrificia, ſepulchra & nomina etiam uxorum cum genealogiis ſuis, tam firmâ certitudine affingunt, quasì cuncta è regni tabulis excerpiſſent, contra manifeſtè obſiſtentibus: *Chriſtanno* primô Boemiæ hiſtoricô *in vit. S. Ludmil.* & *Wencesl.* *At verò homines Boëmi* (malè *Balbinus Epit. Hiſt. cap.* 10. *fol.* 43. poſuit *Slavi Boemiæ*, recito enim verba ex vetuſto codice membraneo *Biblioth. Eccleſ. Metrop.*) „ ipſo ſub Arcturo poſiti, cultibus idololatriæ dediti, velus equus effrœnis, ſinè ullo Principe, vel Rectore, vel urbe, uti bruta animalia ſparſim vagantes terram ſolam incolebant. „ *Coſma* in *Chron. Boem.* *Non erat illô in tempore, qui ſtilo eorum* (videlicet Principum Gentilium Boemiæ) „ acta commendaret memoriæ, quia ventri & ſomno dediti, inculti & indocti, aſſimilati ſunt pecori. „ *Pulkavvâ* ſuprà cit. *fol.* 10. *Iſti omnes* (Gentiles Duces) „ in pace rexerunt terram Boemiæ, nec inveniuntur in Chronic. acta eorum, quæcunque magnalia conſcripta. „ Quid igitur certi, de his omnibus ſtatui poteſt? Et fatetur id candidè *Balbinus in diſſertat. de advent. Czechi*: *incerta*, inquit, „ eſſe omnia exiſtimo, quæcunque de ætatibus Principum noſtrorum traduntur hunc ſcilicet 39. hunc 50. annis, hunc 19. imperâſſe &c. quæ Weleslavinus aut Stransky Principibus attribuit. „ Verùm non regiminum anni modò, ſed & ipſa ducum nomina non in paucis litem pati videntur. Appoſitè in rem *Peſſina*, qui poſteaquam in *Mart. Morav. lib. 2. cap. 6. fol.* 177. ex annalibus *Francorum* retuliſſet: „ Quidam deſtinantur contrà Bojemos, qui DEI adjutorio freti Duces quinque, quorum iſta ſunt nomina, Zvventislavv, Witislavv, Heriman, Spoitiman, Moyslavv, cum maxima multitudine ſibi rebellare nitentes in fugam verterunt, & alios quidem occiderunt, alios verò in fluvio Fludana (Muldava) ſubmerſerunt: qui autem evadere

„ po-

„potuerunt in Civitate„ (ſcilicet *Pragenſi*) „ defecerunt. Deinde „parte non modica illius Provinciæ „depopulatâ incolumes reverſi ſunt. In hac expeditione Luitbertus [Ar-„chiepiſcopus primatum tenuit.„ ſubjungit. „Hic autem (ut obiter „id perſtringam) meritò quis mi-„rari poſſit, cur nulla fiat mentio „Borzivvogii Bojemiæ Ducis? qui „ut jam anteà meminimus Hoſtivi-„to Patri ſuo Annô 856. mortuo „concordibus populi votis ſucceſſe-„rat. Dubitare etiam, num vera „ſit Bojemiæ Ducum à Bojemis ſcri-„ptoribus tradita ſeries & ſucceſſio? „Cum Bojemia tunc non unum „ſupremumPrincipem,ſed complu-„res Duces abſolutè imperantes ha-„buiſſe videatur: prout ſuprà allati „Hiſtorici præſertim VValafridus „Strabo, manifeſtè teſtantur.„ Hæc *Peſſina*. Nec res ulli mira videatur. Nam ſi *Bojemiæ* hiſtoriæ conditores diligentiori indagine vicinarum gentium maximè *Germanorum* Chro-„nica conſuluiſſent, omnium judi-„cio accuratiorem, veriorémque rerum ſeriem reliquiſſent. Et nisi recentiores id egiſſent, ac *Teutonum* annales velut *Jornandis*, *Procopii*, *Vitikindi*, *Hermanni*, *Sigeberti*, *Nonnoſi*, *VVisponis*, *Frodoardi*, *Reginonis*, *Dithmari*, *Helmoldi*, inſpexiſſent, nihil haberemus de bellis *Boemorum* cum *Carolo Magno*, ejusque filiis, nihil de bellis Francicis, nihil de *Celedrub*, nihil de *Itzo*, nihil de *Lechone*, nihil de *Waldemaro* (quos inter *Bojemiæ* duces magnæ notæ ſcriptores nominant) nihil de *Slavvicza* & *Weitracho*, ſeu *Vitztracho Bojemiæ* Ducibus, ſimul eodem tempore (ùt bene colligit *Goldaſtus lib. 2. de Boem. Jur. cap. 2.*) ſupremô jure dominantibus, nihil de *Moravia* & Rege *Samone*, nihil de Rege *Roſtizize*, & aliis quàm plurimis, quæ omnia illi è vicinorum Germanorum libris pro clariori Bojemicarum rerum cognitione eruerunt. Non igitur temerè *Maximilianus Rudolphus Proto-Epiſcopus Litomericenſis*, die 3. Junii Anno 1673. *Thomæ Peſſina* ſuper edito Phoſphoro gratulabundus ſcripſit: „ Accepi Dominat. Veſtræ „Reverendiſſimæ nuperrimas per-„humanas, unà cum radio primo „pulcherrimi illius Phosphori verè „ità dicendi, tum quia Metropo-„litanam illam Eccleſiam multò „ſplendidiùs, quàm antea erat, „illuminat, tam quia & hiſtorias „noſtras, non unâ fabulâ dudum „cæcutientes, non unô locô irra-„diat, lucíque ſuæ rurſum reſtituit. „Utinam præterita ſæcula ejusmodi „plures aliquando tuliſſent Phos-„phoros, non legeremus, credo „in hiſtoriis noſtris, vel volâſſe ali-„quando in Bojemia boves per ae-„rem, vel ſtimulos aliquos arato-„rios dudum jam arentes, & ſiccos „(renovato penè ex ſcriptura ſacta „illo Aaroneæ virgæ miraculo) evi-„ruiſſe repente recentes avellanes „in nuces aliáque commenta ejus-„modi riſu potiùs, quàm fide digna. „Gratulor libello igitur, & ex ani-„mo gratulor. „ Hactenus *Schleinicz. Archiv. Capit.* At quoniam de gentilium Ducum geſtis deficientibus viris literatis, ùt fatetur *Coſmas*, nihil annotatum erat, ad quorundam narrationes incertas ſe convertere opus agnoſcebat. *Igitur hujus narrationis* (ait in *præfat. ad Gervaſium*.) „ ſumpſi exordium à primis incolis „terræ Boemorum, & perpauca „quæ didici, ſenum fabuloſa rela-„tione non humanæ laudis ambi-„tione, ſed nè omnino tradantur „relata oblivioni pro poſſe & noſſe „pando omnium bonorum dile-„ctioni.„ Et infrà. „Continet „autem hic liber primus Boemo-„rum geſta, prout mihi ſcire licuit, „digeſta usque ad tempora Bratizlai „filii Ducis Oalrici, Annos autem „Dominicæ incarnationis, idcircò „à temporibus Borzivvogii primi „Ducis Catholici ordinare cœpi: „quia initio hujus libri nec fingere „volui, nec Cronicam reperire po-„tui, ut quando, vel quibus geſta „ſint temporibus, ſcirem.„ Ità

Co-

Coſmas. Recentiorum nihilominus aliqui ficta pro factis accipientes antiquorum omnia ſuſtollunt in veri-„tatem acerbè indignantes, ſi à quopiam fides diſſimuletur. „ Nonnulli in patria „ (verba ſunt „ Balb „ Miſcel. lib. 7. cap. 8. in Not.) ii „ præcipuè, qui alium de Boemia „ ſcribentem præter Hagecium legerunt neminem, ægerrimè ferunt, „ ſi Hagecius vel uno apice lapſus eſ-„ſe dicatur; ſtatim clamorem ſuſtollunt, & penè ad furorem vociferantur: Tune Hagecium, quo „ omnis patriæ hiſtoria nititur, er-„râſſe audebis dicere? „ Nec hæc ſunt quæ ità mentem percellere debeant, dum quorundam Ducum ambigua gubernacula traduntur, majus eſt, quod nec Patriæ conditoris (cujus, & nomen veteribus velut *Chriſtan. in vit. S. Ludmil. Coſm. lib.* 1. *Jarosl. fol. ult.* incognitam fuit, ætas, adventus, conditio & reliqua ſinè lite teneantur. *Chriſtannus* Ord. *S. Benedicti* primus *Boemiæ* ſcriptor in vita *S. Wenceslai* & *Ludmillæ*, primum *Slavicæ* gentis in *Bohemia* Principem nominat *Przemyslum*, ait enim: „ At „ verò homines Boemiæ ipſo ſub Arcturo poſiti cultibus idololatriæ „ dediti velut equus infrœnis ſinè lege, ſinè ullo Principe vel Rectore, „ vel urbe, utì bruta animalia ſparſim vagantes, terram ſolam incolebant. Tandem peſtilentiæ cladibus attriti, quandam Pythoniſſam, ùt famâ fertur, adeunt poſtulantes ſpecie conſilii, reſponſúmque divinationis. Quo accepto Civitatem ſtatuunt, noménque imponunt Pragam, poſthinc „ inventô quodam ſagaciſſimô atque „ prudentiſſimô Virô, cui tantùm „ agriculturæ officium erat, reſponſione Pythoniſſæ Principem ſive „ gubernatorem ſibi ſtatuunt, vocitatum cognomine Przíemysl, junctâ ei in matrimonio ſuprà memorata Pythoniſsâ ſcilicet Libuſſie „ Virgine. Cod. MS. Membran. „ Eccl. Prag. Lit. G. S. „ *Coſmas Bohemicæ* hiſtoriæ conditor ſe ignorare dicit, quis primus *Bohemiæ* regionem intraverit, tandem putat, attamen incertè, eum nomen geſſiſſe, *Boemus*, & circa montem *Rzip* inter duos fluvios *Egram*, & *Moldavam* conſediſſe, & ab eo terram nominatam fuiſſe *Bohemiam*, verba ſunt: „ Has ſolitudines, quiſquis fuit hominum ille, incertum eſt, & quot „ in animabus intrauit. Et, (ùt „ reor) circa montem in Rzip inter „ duos fluvios, ſcilicet Ocram, & „ Vultavam primas poſuit ſedes. „ Dein hunc primum hominem ità „ loquentem inducit: O! ſocii non „ ſemel mecum graves labores per „ devia nemorum perpeſſi, ſiſtite „ gradum &c. Cùm hæc talis, tam „ pulchrà, ac tanta regio in manibus „ veſtris ſit, cogitate aptum terræ „ nomen, quod ſit. Qui mox „ (*continuat* Coſmas) quaſi ex divino „ commoniti oraculo, & unde, inquiunt, melius vel aptius nomen „ inveniemus, quàm quia tu Pater „ diceris BOEMUS, dicatur, & terra BOEMIÆ. „ Idem ex *Coſma* repetit continuator ejusdem *Jaroslaus Strahovienſis* ſui Chron. fol. ultimô, in cod. *Cod. Eccl. Prag.* dum ait: „ quia multorum hominum animos „ turbat ſollicitatio de inveſtiganda „ ſerie, & deſcenſione propaginis „ Ducum, ac Regum Regni Bohemici, qualiter primo Duce Przíemysl, usque ad hæc tempora, „ quot fuerint (*incompletus ſenſus*) & „ quis cui in Ducatu ſucceſſerit, ubi „ etiam Regiæ Majeſtatis dignitas „ exordium ſumpſit, omiſsâ prolixitate verborum, quæ ſapientibus „ diſplicere, nonnullis etiam & faſtidium generare conſuevit, prout „ compendioſiùs potero, nitar explicare. Ea tamen emendatione „ relictâ, ut ubicunque in iis ſcriptis „ Lectori nodus dubietatis occurrit, „ ad depellendum errorem recurrat „ ſuperiùs ad ſcripta „ (nempe ad *Coſmæ* Chronica, quæ in eodem Codice membraneo continuationi *Ja-*

roslai

roslai ſunt præfixa) „ibi enim plenius inveniet annotata. In diviſione orbis ſecundum Geometricos Aſia ſub ſuo nomine dimidium mundi obtinet, & dimidium Africa & Europa„ (*America* adhuc tum erat incognita) „In Europa ſita Germania, cujus in partibus verſus Aquilonalem plagam invenitur locata eſſe BOHEMIA, quam fertur inveniſſe homo nomine BOHEMUS cum paucis animabus, à quo tota terra vocata eſt BOHEMIA. Hic homo Bohemus circa montem Rzip inter duos fluvios ſcilicet Ohram & Ultavam primas poſuit ſedes. „ Hæc *Jaroslaus.* Multò ſagaciùs ac veriſimiliùs *Pulkava* Scholæ ad Collegiatam Eccleſiam *S. Egydii Pragæ* Rector, qui tempore *Caroli IV.* Imperatoris *Bohemicam* ſcripſit hiſtoriam, quæ apud me eſt. Ille enim animadvertens *Sarmatico* principi teutonicum *Bohemi* nomen, à teutonico der Bojen Heimed in latio, *Bojorum patria*, ineptè poſſe congruere & ſimile illi eſſe *Taciti Hiſtor. lib. 5. Judæos* à monte *Ida*, inſulæ *Cretæ*, quaſi *Idæos* vocitantis, eorúmque exundantem per *Ægyptum* multitudinem, Ducibus *Hieroſolymo* & *Juda* proximas in terras exonerantis, Poetico *Coſmæ* genio hac in parte minùs tribuendum ratus, non à provincia, ſed à populo Duci nomen derivavit. *In Charvvatia* (inquit *fol.* 1. ſui Chronici MS. („fuit quidam homo nomine Czech, qui propter homicidium perpetratum in quemdam Magnatem partium earundem Charvvatiam derelinquens cum fratribus, & conſortibus ſuis ivit quærere, in qua ſecurus poſſet exiſtere, patriam ſibi novam, & de loco in locum progrediens tranſivit Danubium. Abinde venit in patriam, quæ modò Bohemia in latino, & in teutonico Böhmen vocatur, dicitur enim Bohemia à Boh, quod DEus interpretatur in lingua Sclavonica. Hac itaque interpretatione à nomine Bohemi dicti ſunt. Bohemia vero in lingua Sclavonica Czechia, ſecundùm nomen primi habitatoris dicta eſt. Qui Czech cum fratribus, & conſortibus ſuis dictam terram absque habitatore & incola, imò patriam eandem repletam memoribus, & feris reperiens, locavit ſe ſuper quemdam montem, qui communi vocabulo Rzip nominatur, quod in latino reſpiciens dicitur. Nam ab eodem monte magna terrarum circumquaque planities cernitur. Eſtque ſitus montis inter fluvios Albeam, Ultavam, & Ægram, ibi primùm incepimus colere & inhabitare terram Bohemiæ. „ Hactenus *Pulkava.* Porrò *Czechicæ* genti ante adventum in has *Hercyniæ* ſylvæ oras ad fluvium *Phaſis* olim confidentis teſtimonium reddit *Procopius* inſignis ſcriptor ævo *Juſtiniani* Imperatoris *lib. 2. de bello Perſico. Boas fluvius* (id eſt eodem *Procopio* teſte *Phaſis* fluvius) „extra zanorum fines exit in Armeniis, qui circa Phrangium habitant, ac primùm dextrorſus, ùt plurimùm fluit, brevis quoque vadis nulloque labore omnibus permeabilis exiſtit usque ad locum, ubi dextrorſus quidem Iberorum ſunt fines, contra verò definit mons Caucaſus. Hìc gentes quàm aliæ multæ, tum Alani, ac Abæsgi habitant, Chriſtiani quidem, ac jam dudum Romæorum amici. Inſuper ZECHI, & poſt eos Hunni, qui & Saberi nominantur. „ Et *Suidas* Author Græcus in Lexico viciniùs rem tangit: *Sclavi* (inquit) „ex regione trans Danubium primò venêre, cúmque finitimis ſæpe veniſſent auxilio, terræ melioris capiendæ gratiâ tandem populariter tranſeuntes in Illyrico conſederunt, párſque eorum deinde Bohemiam occupavit, & regionem proximam, quam à Maravaha flumine Maravaniam appellant. „ Tandem longè major ac intricatior de primo in hanc pa-

triam adventu inter ſcriptores maximæ authoritatis usque in hodiernum lis eſt, & concertatio. Súntque in hac re tam acriter diſcrepantes ſententiæ, ut non centum, ſed quingentis annis a ſe diſcrepent. *Chriſtannus*, *Coſmas*, *Jaroslaus*, *Pulkava Dubravius* Annum conſultò omittunt. *Procopius Lupacius Calendar. Hiſtor. Martinus Boregk Chron. Boem. fol.* 4. *Cuthenus* ponunt *ANNUM* 639. *Wencesl. Hagecius Chron. fol.* 1. *Theobaldus Junior in Genealog. & Chronolog. Regum Boemiæ impreſ.* Wittemb. 1612. *ANNUM* 644. *Daniel Weleslavinus* & cum eo recenter *Mich. Adam Frank. in Syntag. Hiſtor. Famil.* Woraczicz. *fol.* 195. *ANNUM* 278. *Paulus Stransky. ANNUM* 452. *Pontanus in Bohem. Pia. lib.* 1. *f.* 1. *ANNUM* 645. *Shleinicius in Vandalo Bohem. ANNUM* 814. *Bohus. Balbinus Miſcel. Hiſtor. Decad.* 1. *lib.* 7. *diſſert. de adventu Czechi fol.* 42. *ANNUM* 315. *Georg. Crugerius Sacr. Memor. Boem. Idibus Julii*, & *Thomas Peſſina Marte Morav. lib.* 1. *cap.* 3. rem indeciſam & cujusvis arbitrio relinquunt. *Petrus Codicillus* in *Epiſt. ad Procop. Lupac.* è Collegio Angelico *Omn. Sanct.* die 28. Febr. An. 1584. ad finem ait: „ In choavi quædam „paulò altiùs ſupra Marobudum, & „Tudrum nobiliſſimos, atque ve„tuſtiſſimos noſtrorum populorum „Duces, Hercyniæ Sylvæ dominos, „qui ſe Bojos nominârunt, ſive à „bellis, ſive à divis. Boji ſiquidem „illorum idiomate bellum, Bog ve„rò ſignificat DEum.„ Quomodo hoc ſubſiſtere poſſit, non video. Ecquis enim hiſtoricorum ignorat *Marobudum* fuiſſe Regem *Marcomannorum*, & *Tudrum Quadorum*, populorum non *Sclavicorum*, ſed *Teutonicorum Peſſ. Mart. Morav. lib.* 1. *cap.* 2. quomodo igitur Duces ſeu Conditores gentis *Slavicæ* in *Bojohemia* eſſe potuerunt? Denique audaciſſimè litem definire audent *Lupac.* locô ſuprà citatô, & ex eo *Theobaldus Junior. Cruger. loc. cit.* *Weleslav. Calendar. Hiſt.* *XV. Jul.* qui adventûs *Czechi* in *Boemiam* diem ſtatuunt *XV. JULII.* Ut meritò exclamet *Balbinus Miſcell. l.* 11. *cap.* 9. *Unde iſtud quæſo unde?* Annus in incertum per ſæcula vagatur, & dies debet eſſe certa, & determinata? Quibus veterum tabulis ſinè anno adſignata hæc dies reperitur? *Czecho* attribuunt alii fratres, uxorem, & liberos & Genealogias deducunt. Alii hæc omnia negant, ùt *Paprazky diadag. cap.* 5. *fol.* 9. *Dubrav. lib.* 1. *defuncto ſinè liberis Czecho Bohemi ex vetere gentis inſtituto, popularem ſtatum amplectuntur.* Alii eum in monte *Rzip*, alii in pago *Ctinovves*, alii in monte *Budecz* ſepeliunt. *VVeleslav. Calendar. Geneal. Duc. fol.* 1. Ut exinde magnæ notæ autoribus, velut *Cranzio*, qui primus hiſtotiam *Germaniæ* à fabulis purgare connifus eſt, *Hornio* tit. *Slavonia* fol. 319. *Helvico*, *Brunneri* S. J. in *Annal. Bojem.* res videatur eſſe talis, cui legitimè appropiari queat id *Ciceronis* de *Clar. Orat.* „Quid eſt ſuperioris ætatis, „quod ſcribi poſſit de iis, de qui„bus nulla monumenta loquuntur, „nec aliorum, nec ipſorum.„ Inde etiam exprobrat *Paprocio* & omnibus iis, qui familiarum origines usque ad *Czechi* adventum in vetuſtatem fabularum nebulis palleſcentem retrò procul, & procul trudunt. *Matthias Boleluczky* Parochus ad *S. Adalbertum Neo-Pragæ*, in rebus patriis valde eruditus, dum in vita *S. Adalberti cap.* 1. *fol.* 27. ità inquit: „Crediderim Paprocium plures fami„lias, quarum originem, & fontes „ipſos aſſequi non potuit ad illam „primam cum Czecho, & Lecho „transmigrationem reduxiſſe, & „ejusmodi difficultates à ſe procul in „Croatiam & Sarmatiam usque ab„egiſſe.„ Mihi demum in hac ambiguitate præ cæteris ſemper placuit, „ac placet ſententia *Thomæ Peſſinæ* Decani Metropolitani Viri in hiſtoria patriæ expertiſſimi, qui in Analectis ſuis MS. ad *Martem Moravicum*, *Biblioth. VValdſtein.* inter varias ibi re-

rum

rum memoriâ dignarum annotationes, quas hinc inde addebat, etiam habet ſequentia. Poſtea quam priùs dixiſſet, quod tum ob rei vetuſtatem, tum ob hiſtoricorum diſſidentia judicia res ità anceps ſit, & perplexa, quandonam primùm *Slavi* natione *Sarmatæ* has oras ingreſſi fuerint, ut ediſſere & ſtatuere quid certum impoſſibile ſit, in margine per ſpecialis modum commenti adjungit. *Crediderim candidè majores noſtros è Sarmatia primùm Europæa in Illyricum transgreſſos, inde ſe per intervalla temporum in Moraviam, ac tandem poſt Attilæ ætatem circiter in Bohemiam etiam inſinuâſſe, non vi, aut armis, ſed populariter, ac cum incolis in ſocietate fortunæque communione tamdiu vixiſſe, quouſque illi generationibus, ac novis fortè etiam imigrationibus auctiores facti, dominatum arriperent, & veteres incolas cedere loco juberent. De Duce quid referret? dummodò partis potiti fuerint.* Hæc *Peſſina.* Demum pro fine hìc appoſitè valde *Bohuſ. Balbinus Epit. Rer. Bohem. lib.* 1. *cap.* 10. *in not. fol.* 76. *Et quis amabo, in gente adhuc barbara, ac anilibus ſuperſtitionibus, ac dæmonum ſacris dedita, armorum unica admiratrice, literarum prorſus ignara, hiſtoriæ locus? tum primum inclytis Bohemicæ nationis facinoribus conſignata ſunt hiſtoriæ, cum Bohemi Chriſtianâ Religione initiati, à vicinis Germaniæ populis exculti, exutis barbaris Ethnicorum moribus Europæ innoteſcere, ducésque noſtri ob virtutem bellicam, & fidelem imperio præſtitam toties operam, titulis augeri, atque inter Imperii Principes eminere cœpiſſent.* Atque ità vera, ac genuina Chronologiæ ratio á tempore Chriſtianæ fidei habetur, ac çerta ejus ſedes Martyrio *S. Wenceslai* An. Dom. D CCCCXXXVIIII. per *Chriſtannum* primum *Bohemiæ* ſcriptorem deſignari optimè cœpit. Hactenus Exegeſis hiſtorico-critica.

Decimo Calendas Octobris, Eccleſia Divi Viti conſecrata eſt. Hanc diem ponit *Coſmas lib.* 1. *Cron.* nempe diem 22. *Septembris*, eum ſequi videntur *Peſſina in phoſph. rad.* 2. *fol.* 17. *Balb. in vitâ Arneſt. lib.* 2. *cap.* 3. *in not.* Ubi per extenſum *Coſmæ* verba referunt. Sed his contrariantur *Hagek cron. Boem. fol.* 74. *Weleslav. Cal. Octob. Cuthen. Cruger. ſacr. pulv. Octobr. fol.* 1. qui omnes diem dedicationis Eccleſiæ *S. Viti* reponunt ad *Calendas Octobris*, & accordat Calendarium *Miſſalis Pragenſis* antiquiſſimi, quod annô 1498. in urbe *Lipſienſi* typis excuſum eſt, ibi ad *Calend. Octobr.* ſonat rubrica: *Dedicatio Eccleſiæ Pragenſis IX. lect.* Item conſignatio Feſtorum & præpulſationum & officii cujusque ſecundum rubricam & conſuetudinem *S. Met. Eccl. Prag.* in ſacriſtia affixa. 1. *Octobris dedicatio Eccleſiæ ſolemne chori præpulſ. major campana S. Sigismundi. Officium Celſiſſimi Matutin. Prælatorum, proceſſio ante miſſam per cœmeterium col. Alb. Thurificatio in utrisque veſperis.* De conſuetudine rurſus non ipſis *Calendis Octobris*, ſed Dominicâ proxime ſequenti memorata dedicatio quot annis celebrari ſolet. Quid igitur ad Autorum diſſonantiam? *Coſmæ* ac etiam *Peſſinæ* Decanorum in cognitione rerum propriæ Eccleſiæ inſuperabilis certè eſt autoritas. Judico igitur, Eccleſiam *S. Viti* omnino *decimo Calend. Octobris* fuiſſe conſecratam, quemadmodum *Coſmas*, & ex eo *Peſſina* annotavit, anniverſariam verò feſtivitatis hujus diem ad *Calendas Octobris*, ex rationabili cauſa, quemadmodum & nunc iterum ad *Dominicam proximam* fuiſſe relocatam. Ex ſic utrorúmque ſalvatur Autoritas.

Sedes Archiepiſcopalis direptis omnibus bonis vacavit. Menſa Archiepiſcopalis Pragenſis opimis certè latifundiis à *Ducibus* & *Regibus*, ac ab ipſis etiam *Præſulibus* ſtetit inaucta. Et antequam *Wikleffi* lue infeciſſet *Bojemiam* Huſſus, bonáque immobilia Clero ademiſſet, *Archiepiſcopatus Pragenſis* primarium

 locum

locum non auctoritate modò, verùm & reditibus in Regno ſinè diſceptatione tenuit. Libet ex MS. oblongo *Codice Eccleſiæ Pragenſis fol.* 54. & ſequentibus eorundem ſyllabum memoriæ gratiâ annectere.

Bona Archiepiſcopatûs Pragenſis.

PRzibram XLI. laneos X. jugera.
Duben 15. Lan.
Duznik 8.
Oſtrovveez 3.
Drevvnik 6.
Ubinicz 1.
Konecap 6.
Radieticz 4.
Broda 5.
Zdoborz 5.
Trechnicz 9.
Kameni minor 2.
Laſſovvicz 9.
Coſſotud. 1.
Kameni major 6. Lan.
Zavvrziž 3.
Nariſlyrovv 3.
Oſstravv 2
Bohuticz 13.
Tyſſovva 2.
Cozyczin 4.
Orlovv 6.
Chraſt 3.
Namnicz 5.
Poržiecz 1.4.
Porzieež 2.5.
Stražicže 2.
Raſtil 1.
Pohorzie 1.
Pliſtovvicz 1.
Oſſiecz 4.
Horrzedek 17.
Rakovvicz 29.
Radelietecz 8.
Jaroticz 3.
Wadkovvicz 2.
Borzicz 6.
Malczicz 7.
Podole 4.
Dyedovvicz 3.
Roſſieyovvicz 26.
Kyrzicz 8.
Zyvvuticz 37.
Przelipsko 2.
Smoloticz 6.
Kozarovvicz 4.

Roſsmthal.

Wyeſſyn 11. Curiæ.
Bukovva.
Sedlez. 4. Laneos.
Hodyemysl 2.
Srahrovv 2.
Sadenicz 3.
Wſſyevvyle 5.
Procziev vilus 4.
Leſſeticz 4.
Mlczovv 4.
Chlum 13.
Hudczicz 12.
Czyſskovv 10. hæred.
Przycſſyn 11. hæred.
Mylovv 3. hæred.
Kyptovv 1. Lan.

Tyn Bechinenſis.

Przedřzicz.
Bohunicz.
Zvvrczovvicz
Dubravva.
Hoſtych.
Kolymirzicz.
Drazicz.
Zakorzie.
Niemiez.
Koliſovv.
Oleſſna.
Podolie.
Levvcze.
Smolcz.
Kleczy.
Giczenicz.
Bielina.
Slabczicz.
Gyſtrzebicz.
Brzienovvicz
Hroznycyovvicz.

Zvvozdna

Zvvoždna.
Wſtrp.
Maſſicž.
Barkovvicž.
Kdeſſicže.
Tuklok.
Gieyovvicz.
Poržiežoy.
Knyczcklad.
Spole.

Chynovv.

Sahoſtyé.
Zalavvecz.
Kladneb.
Zhorovvicž.
Wrzeſſež.
Zelzyn.
Hietovv.
Hrotuň.
Maſſovvicž.
Nova Wes.
Blanycz.
Lazan.
Koſſyna.

Řeczicž.

Popeliczna.
Brtna.
Myloticže.
Lypieczie.
Rubrik major.
Onoſſovvicž.
VVytonicz.
Pyſkovv.
Stanovvicž.
Pobyſtricž.
Oſtrzietecž.
Tiechorari.
Rovvny.
Detharž.
Czayle.
Hnutovv.
Saezenicž.
Bietetiež.
Myſlovv.
Marquartz.
Mednycze.
Hodyoyovvicž.
Czaſtonicz.
Czozczicz.
Zyrovv.
Rubnik minor.
Rzeczenzicže.
Kleteczna.
Ruſſinovv.
Chvvalovv.
Lhota Tremata.
Proſiecz.
Kamenyczka.
Korzek.
Peterkovv.
Jurzicze.
Rzemenovv.
Hoycovvecž.
Pilgerem antiquum.
Svveprovvicz.
Kraſſitovvicz.
Branſſovv.
Lotha dotalis.
Lotha Michaël.
Lhota Vitkonis.
Chvvonovv.
Sluſeticž.
Porziecz.
Uliechonicž.
Skržiſſovv.
Oleſſna Teutonicalis.
Radietyn.
Putynovv.
Oleſſna Boemicalis.
Tiechoracz.
Nemoyovv.
Pavvlovv.
Zniſſonicze.
Chrzyelonicže.
Leſtkonicže.
Zahradka.
Gyſtebnyk.
Tyeſſynovv.
Zagiecžovv.
Craſtovv.
Strzietecž.
Suzavva.
Leſſovv.
Czyztovv.
Czyetovv.
Hoyczovv.
VVietrovv.
Miliczovv.
Novva Platna.
Moravvicze.

Rychnovv.
Rzeczicz.
Miryſſovv.
Borziſſovv.
Stirzmiech.
Zachotyn.
VVyskyhora.
Rohozna.
Nova Eccleſia.
Porzicze.
Czaconicze.
Slabiborz.
Rudikovv.
Lydmaus 1.
Lydmaus 2.
Pilgerem Civitas.
Myſsletin villa pleb.
Kraſsna Hora.
Czokonovv.
Bezdekovv minor.
Bratranovv.
Dyeduchovv.
Brzicznika.
Zdar.
Koyczovvicz.
Sdislavvicz.
Dubye.
Bonkovv.
Slavvnicz.
Pavvlovv.
Mykolaſſovva.
VVſobie.
Studenka.
VVeliſovv.
Dobroſtovv.
Chvvalkovv.
Skorkovv.
Herzicz.

Krzyvv Sudovv.

Lhota.
Czrnicz.
Stroyeticz.
Borovvniczie.
Lhota ultra flumen.
Budezicz.
Brziezyna.
Cziegeticz.
Lazaſtie.
Chraſtovvicz

Stiepanovv Oppidum.

Dubeionicz.
Mnychovvicz.
Zavvornik.
Keblovv.
Lhota.
Dalkovvicz.
Chlum.
Kalna.
Suticz.
Hulicz.
Neſnieyeczicz.

Hactenus MS. Codex.

Archiepiſcopus & Capitulum jam olim in Provinciæ diætis votum & ſeſſionem habuit. Probatur ex multiplicibus antiquitatis monumentis. Et primò ex tabulis Regni veteribus, quarum antiquiſſimum Copiarium vel potiùs extractum latinè & ſclavicè ſcriptum; nam hæc utraque lingua ad eas in uſu erat, habeo. Ibi non modò *Archiepiſcopus* in judiciis terræ, & diætis præſidet, ſed & præter *Præpoſitum VVyſſehradenſem*, qui erat *ſupremus Regni Cancellarius*, etiam *Canonici Pragenſes* varia politica Regni officia utiliter obiiſſe, ac in judiciis & diætis aſſediſſe leguntur.

Libro Zdislai K. IV.

Anno Domini 1345. ſequenti die poſt Hieronymi Dominus Joannes Rex Bojemiæ præſidens in judicio cum Domino Petro de Rozmberg, ſummo Cammerario, Andrea

drea de Dube Judice, HENRICO PRÆPOSITO PRAGENSI NOTARIO TERRÆ, cæteríſque Pragenſibus Beneficiariis & Baronibus Wilhelmo de Landſtein, Zavviſſo de Ugezdecz, Hynkone de Nachod, Joanne de Michalovvicz, Joanne de Weſſele, Wilhelmo de Strakonicz, Wilhelmo de Skali, Zbinkone de Hazmburg, Alberto de Kryr, Genzone de Framburg Judice Curiæ Regalis, & aliis Baronibus terræ inveneruut pro jure &c.

Tertio Zdislai. M. XIX.

CAuſa quæ inter Dominam Maraskam &c. Actum An. Domini 1350. Die Dominico poſt Feſtum S. Hieronymi coram Dominis Joanne de Weſſele, ſupremo Camerario. Andrea de Dube Judice, STEPHANO CANONICO PRAGENSI NOTARIO TERRÆ, cæteríſque Pragenſis Beneficiariis & Baronibus Wilhelmo de Landſtein. Burggravio Pragenſi Wankone de Wartmberg.

ARCHIEPISCOPUS ET EPISCOPI SUFFRAGANEI.

Libro Stephani K. XVII.

ANno Domini 1402. Sabbato quatuor temporum quadrageſimæ judicium generale Banitum per Dominos Barones judicio præſidentes. Dominus Sigismundus, Rex Ungariæ, Hermannus de Chuſtnik, ſupremus Regni Boemiæ Camerarius, Hinko Bersca de Honſtein, ſupremus Jndex, Smilo de Richtnburg, Proto-Notarius Regni Boemiæ tabularum. Dominus OLFFRAINUS, ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS, DOMINUS JOANNES, EPISCOPUS HOLOMUCENSIS, DOMINUS JOANNES, EPISCOPUS LITHOMYSLENSIS, Raczko de Svvamberg, Boczko de Bodiebrad, Burkhardus de Janovvicz, Henricus de Lazenbok, Henricus de Nachod, Otto de Bergavv, ſenior, Zdeslaus de Sternberg, Ioannes de Michalovvicz, Henricus ſenior Berka de Husky, Wilhelm de Zvvierzeticz, Ioannes de Fridenburg, Iaroslaus de Zlebovv, Alſſo Skopek de Cubee, Henricus, & Ulricus fratres de nova domo, Puota de Czakclavvicz, Theodoricus de Nachod, Beneſſius Fortis de Duba, Alſſo de Sſamburg, Joan-

Joannes de Svvamburg, Hinko de Zagecziz Pihle Thas de Rozkoſs, Joannes de Wartmberg, Herbordus de Kollovvrat, Albertus ~~de~~ Konopiſt. Joannes de Wlaſſim, Beneſſius de Dieczin, Nicolaus de Zbraslavicz Kollovvrat, Henricus de Wartmberg, Wenceslaus de Wartmberg, Henricus Berka junior, Janko de Wyſſenburgo, Joannes Boczko de Bodiebrad, Hynko de Wyſſenburg & de Czervvene Hory, & Henricus Sſopek de Dubee & alii quàm plurimi Barones eodem judicio præſidentes.

Primo Mauricii G. VIII.

BArones judicio præſidentes Annô Domini 1404. Sabbato quatuor temporum Adventûs. DOMINUS SPINKO, ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS, Joannes de Lichtnburg dictus Kruſſina Burgravius Pragenſis Aleſs de Dubee, & de Drazicz ſupremus Camerarius, Hinko Berka de Honſtein, ſupremus judex, Boczko de Bodiebrad, Proto-Notarius Tabularum Brzenko de Sſvvihovv curiæ Regalis Judex &c.

Eodem Libro P. VI. & VII.

BArones judicio præſiderunt. Annô Domini 1406. Sabbato quatuor temporum quadrageſimæ REVERENDISSIMUS IN CHRISTO PATER DOMINUS ZBINKO, ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS, Alſſo de Dubee, Sskopek, ſupremus Camerarius, Hinko de Honſtein, ſupremus Judex, Boczko de Bodiebrad, Proto-Notarius tabularum terræ, Ioannes Kruſſina de Lichtnburg, Burgravius Pragenſis, Brzenko de Svvihovv, Judex Curiæ Regalis &c.

Tertio Wenceslai G. XXV.

BArones judicio præſidentes DOMINUS ZBINKO, ARCHIEPISCOPUS PRAGENSIS, CONRADUS, EPISCOPUS OLOMUCENSIS, Laczko de Kravvarcz, ſupremus Burgravius Pragenſis, & Magiſter curiæ Regalis, Alſſo de Drazicz, ſupremus Camerarius, Berka de Honſtein, ſupremus Iudex, Ioannes de Michalovvicz, ſupremus Proto-Notarius tabularum terræ &c. A Regiis quoque Scriniis, recognitionibus ac munio Proto-Notariatûs *Canonici Pragenſes*, ab omni antiquitate leguntur quàm plurimi. Privilegium *Eccleſiæ*

Pra-

Pragenſis, quo eam *Przemyſl* Hæres Regni *Bojemiæ*, Dux *Auſtriæ*, Dominus *Styriæ*, & *Marchio Moraviæ* ab omnibus ſordidis muneribus angariis & perangariis eximit Annô Domini 1253. *XII. Cal Decemb.* finit. *Datum per manus Guillelmi Proto-Notarii*, *Pragenſis Eccleſiae Canonici.* Idem privilegium confirmatum ab *Ottokaro* DEI gratiâ quinto Rege *Boemiæ*, Duce *Auſtriae*, & *Marchione Moraviae* Anno 1262. Idus Januarii. *Datum per manus Magiſtrorum Arnoldi & VVilhelmi Proto-Notariorum*, *Pragenſis Eccleſiae Canonicorum.* Item *Joannes* DEI gratiâ Rex *Eccleſiam Pragenſem*, *ut matrem & Magiſtram caeterarum Eccleſiarum totius Regni Boemiæ* humilito capite venerans pro ſtructura novi chori dat decimas in montibus *Kuttnis* & *Brzenicz* &c. An. Domini 1341. die 23. Octobris. *Per manum VVelezlai Pragenſis & VViſſehradenſis Canonici Notarii Regii.*

Tandem ſub *Carolo IV. Rom. Imperatore* & *Bojemiae* Rege Proto-Notarii ac à ſacris recognitionibus recenſentur *Nicolaus* & *Joannes Militius* ambo de *Kremſyr*, ac *Henricus Theſauri*, Canonici Pragenſes: Sub W*enceslao Beneſſius de VVeitmil*, *Jacobus* & *Franciſcus*, *Canonici Pragenſes*: Sub Sigismundo denique *Michael de Paceſt Pragenſis* & *VVratislavienſis Canonicus*, & ſub aliis alii.

Bona Capituli &c. ad manus Laicorum diſtracta.

Invenitur eorum ſat longus Catalogus in MS. codice Archivi Capitularis quem memoriæ causâ, ut ex ruinis magnitudo veteris Coloſſi perſpiciatur, exſcribo.

Bona Capituli Pragenſis.

E manu-ſcripto cod. qui dicitur *regiſtrum fundationum fol.* 108. *& ſeq.*

Bona Præpoſituræ Eccleſiæ Pragenſis.

Oppidum Zvvolyna cum infra ſcriptis villis propè Prachaticz.

Prachaticz.
Strumkovvicze.
Marczovvicze.
Starovv.
Zar.
Zerzecz.
Stadnolka cum propugnaculo.
Przechovvicze.
Radcze.
Nuzyn.
Neſpicze.
Peklovv.
Litochovvicze.
Niniſſevvicze.
Zbudovvicze.
Puothovv.
Buk.
Cakovvicze.
Zechovvicz.
Honſiedey.
Radſſovv.
Bagicze.
Libovvicze ultrà Slanam.
In Nehahózevves propugnacul.
In diedibab fortalitium.
Duſſnik propè Lusdnam.
Geſſin propè VVelvvar.
Srczechovv.
Ducznik.
Nizebohy.
Tiſſicze.
Semucze fortalitium.
Branik.
Czimicze.
Sſarka ad Pragam.
Radecz cum telonio.
VVolſſany propè Slanam.
Hobſſovvicze.

Lobczek.
Klenecz.
Limbky.
Kudecz v. Koſtelicze.
Buthovvicze.
Znoyczicze.
Dehnize ad Pragam.
Weprzec.
Krcze.
Ovvenecz.
Sedlecz pod babu.
Weticze.
Lhota niemczka circa Luſtievves.

„Item domos plures in nova civitate. In Obora, ſub Strahovv. In Ugezd.

„Collationem ſeu jus Patrocinatûs in Eccleſia S. Galli antiquæ civitatis.

„Item in Eccleſiis Ovvenecz, „Weprzek, Hoſtaun, Przeſtupenii.

„Item jus Patrocinatûs ad S. „Joannem in Augezd.

Fol. 112.

Bona Decanatûs Pragenſis.

Curia in Unieticz.
Curia in Wrſſovvicz, & vinea.
Curia in Policzanech ſex lanei agrorum cum molendino.
Curiam in Polyhrad donavit Decanatui Bohuslaus de Hor.
Curia in Zaribi cum villa. Sedlczanky.
Czerny Hay circa Kamyk in territorio Boznenſi XVI. laneos, quorum laneorum quilibet continet 72. ſtrichones.
Morzinam circa Karlſtein, quam emit Decanus Pragenſis p. CC. ſexag. Gr. *à Conventu Slavorum, & dedit eam Regi Carolo per commutationem pro Czerny Hay.*
Curiam ſub monte Petrino, pro qua tenetur dare refectionem hebdomadariis quatuor, & ſcholaribus, & campanatoribus octo.
Item V. ſexag. cenſus de agris & vineis retro Wiſſegradum poſt curiam in Wrſſovvicz.

Fol. 112. & 115.

Bona Archidiaconatûs Pragenſis.

„Villa Zvvozd prope Rakonik „6. ſexag. groſ. Ad Feſtum „Paſchæ 10. Sexag. ovorum. Idem „ibidem in die S. Viti 30. caſei. Ad „feſtum nativitatis Chriſti 60. pulli. „Collatio ibidem quæ eſt de 30. ſe„xag. in abſenti.

„Malepopovvviczky propè „Rziczanum duobus milliaribus à „Praga 7. ſexag. groſ. Item bulli „& ova. Collatio ibidem Eccle„ſiæ eſt Archid. Prag. Eccleſiæ de „ſexag. in abſenti.

„Villa Odolenavvoda propè „Pragam ſunt duo ruſtici Archidia„conici & tertius homagialis, qui „nihil cenſuat, ſed tenetur ſervire „cum equo, & baliſta. Item col„latio ibidem, quæ melior quam „30. ſexag. in abſenti. Item decimæ „dantur Archidiacono de curia „unius obedientiarum. Pulli & „ova dantur in eadem.

„Archidiaconus Pragenſis ha„bet tres collationes ad S. Benedi„ctum in Hradczano. Ad S. Mi„chaelem in Opatovvicz novæ civi„tatis Pragenſis pro media parte. Ad „S. Adalbertum curiæ Ablodialis in „villa Czeh propè Rokyczan. f. 111.

„Hanc curiam Czek dein aba„lienavit Sigismundus Imperator & „dedit Ulrico de Rokyczan pro dua„bus marcis, & uno lapide ſævi - & „decima parte fori in oppido Ro„kyczam. Ita Regiſt. Bonor. Eccl.

abalie-

„abalienat. à Sigismund. Ladisl. & „Georg. fol. 3.

Cenſus Scholaſtriæ Pragenſis.

„QUi eſt Scholaſticus Eccleſiæ „Pragenſis ille eſt Cancella- „rius Capituli, & habet emolumen- „ta omnia ſigilli.

„Pro ambobus terminis S. Geor- „gii, & Galli & duabus villis Miro- „vvicz & Curze cenſus 19. ſexag. „groſ. 35. Gr. gallinæ de utraque „villa 21. 3. ſexag. ovorum & 11. „ova.

„Duæ piſcinulæ in Mirovvicz „& duæ araturæ cum curiis pratis, „rubetis, robetis & rivulis.

„Item Scholaſticus Pragenſis „regit obedientias diverſas Canoni- „corum. *fol.* 112. hæc. MS. Codex.

Præter hæc bona ſpecialia præbendarum, corpus capitulare etiam habuit bona communia, quàm plurima, quæ enumerat *Peſſina in phoſph. rad. 7. fol.* 684.

Recenter Clemens XI. felic. Recordat. Iſtam Apoſtolicæ ſedis gratiam, quia nondum typis vulgata eſt, ab ipſo membraneo originali exſcribo, & omnium notitiæ communico ùt ſequitur:

Clemens Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI ad perpetuam rei memoriam.

„IN Apoſtolicæ Dignitatis ſolio „Divinâ diſponente clementiâ „meritis licèt imparibus conſtituti, „ad ea libenter intendimus, per quæ „Metropolitanæm Eccleſiæm, & „Miniſtrorum in eis inſervientium, „& laudes Altiſſimo pſallentium de- „cor & honor ſemper augeatur, & „majoribus ſemper prærogativis, & „honoribus condecorentur, ut ex- „inde divinus cultus magis accre- „ſcat, & cum à nobis petitur, li- „benter officii noſtri partes favora- „biliter impertimur, prout conſpi- „cimus in Domino ſalubriter expe- „dire. Exhibita ſiquidem Nobis „nuper pro parte dilectorum filio- „rum modernorum Capituli, & „Canonicorum Metropolitanæ Ec- „cleſiæ Pragenſis, ac dignitates in „ea obtinentium petitio contine- „bat, quòd cùm Capitulum, & Ca- „nonici dictæ Eccleſiæ conſtans ex „quatuor dignitatibus, videlicet „Præpoſiturâ poſt Pontificalem ma- „jori, Decanatu, Archidiaconatu, „& Scholaſteriâ, nec non quatuor „Canonicatibus, cujus pro Tem- „pore exiſtens Archiepiſcopus Pri- „mas Regni Bohemiæ, & ſedis Apo- „ſtolicæ legatus natus exiſtit, ac in- „ter Romani Imperii Principes nu- „meratur, ejusque Eccleſiæ Cano- „nici in Regni Comitiis poſt Epiſco- „pos, & ordinis Divi Joannis Hie- „roſolymitani magnum Priorem, „locum habent, & ex Apoſtolicis „& Imperialibus indultis, pluribus „aliis honorificentiis, atque præro- „gativis gaudent, potiuntur, atque „fruuntur, ut divinus cultus & de- „bitus Altiſſimo famulatus magis in „dies in dicta Eccleſia ſuſcipiat in- „crementum, aliquo inſigniori Pri- „vilegio condecorari plurimùm cu- „piant. Quare pro parte moderno- „rum Capituli, & Canonicorum „dictæ Eccleſiæ ac dignitates in ea „obtinentium prædictorum, Nobis „fuit humiliter ſupplicatum, quate- „nus ejusdem Eccleſiæ decori in „præmiſſis opportunè providere de „benignitate Apoſtolica dignare- „mur. Nos igitur modernos, Ca- „pitulum, & Canonicos, ac digni- „tates in ea obtinentes præfatos, & „eorum quemlibet ſpeciali gratiæ „favore proſequi volentes, & à qui- „busvis Excommunicationis, ſu- „ſpenſionis, & interdicti, aliîsque „Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, „& pœnis à Jure, vel ab homine

„quavis occaſione, vel cauſa latis, „ſi quibus quomodolibet innodati „exiſtunt, ad effectum præſentium „tantùm conſequendum, harum „ſerie abſolventes, & abſolutos „fore cenſentes, hujusmodi ſup- „plicationibus inclinati, ex voto „Congregationis Venerabilium Fra- „trum Noſtrorum ſanctæ Romanæ „Eccleſiæ, Cardinalium ſuper riti- „bus Eccleſiaſticis Præpoſitorum, „eisdem modernis Capitulo, & Ca- „nonicis dictæ Eccleſiæ ac dignita- „tes in ea obtinentibus ipſis, eo- „rúmque ſucceſſoribus pro tempo- „re exiſtentibus pro majori dictæ Ec- „cleſiæ decore, & ſplendore, ac „in ea Divini cultûs incremento, ut „ipſi de cætero Rochetum, & ma- „gnam Cappam ad inſtar Canoni- „corum Baſilicæ Divi Petri in Vati- „cano nuncupati de Urbe, tam in „dicta Eccleſia, quàm extra eam in „Proceſſionibus, & Funeralibus, „aliisque actibus, & functionibus „publicis & privatis quibuscunque, „in quibus Capitulum, & Canoni- „ci dictæ Eccleſiæ intereſſe contige- „rit, ac etiam extrà Civitatem, & „Diœceſim Pragenſem, ac ubique „locorum, ubi Capitulum, & Ca- „nonici dictæ Eccleſiæ convenerint, „etiam in Synodalibus, Provincia- „libus univerſalibus, & Generali- „bus Conciliis, ac etiam in præſen- „tia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardi- „nalium, etiam de latere legato- „rum, Archiepiſcoporum, Epi- „ſcoporum, & Ordinarii & pro- „prii, & aliorum quorumcunque „quibusvis anni temporibus, & „diebus deferre, & geſtare, illis- „que uti libenter, & licitè poſſint, „& valeant, Apoſtolicâ Authori- „tate perpetuò concedimus, & in- „dulgemus, ac modernos Capitu- „lum, & Canonicos dictæ Eccleſiæ „ac dignitates in ea obtinentes, eo- „rúmque ſucceſſores pro tempore „exiſtentes prædictos, deſuper à „quoquam quavis auctoritate mo- „leſtari, inquietari, perturbari „vel imperdiri nullatenus poſſe, vel „debere, & ità per quoscunque „Judices ordinarios, vel delegatos „quavis auctoritate fungentes, „etiam cauſarum Palatii Apoſtolici „Auditores, ac prædictæ ſanctæ „Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & „de latere Legatos, vice Legatos, „ſedísque Apoſtolicæ Nuntios ju- „dicari, & definiri debere, & ſi „ſecùs ſuper his à quoquam quavis „auctoritate ſcienter, & ignoran- „ter contigerit attentari, irritum, „& inane decernimus, non ob- „ſtantibus conſtitutionibus, & or- „dinationibus Apoſtolicis, dictæ- „que Eccleſiæ etiam Juramentô, „confirmatione Apoſtolicâ, vel „quavis firmitate aliâ roboratis ſta- „tutis, & Conſuetudinibis, Privi- „legiis quoque, indultis, & literis „Apoſtolicis illi, illiúsque Præſuli, „Capitulo, & Canonicis quomo- „dolibet conceſſis, quibus omni- „bus, & ſingulis & ſi de illis eorùm- „que totis tenoribus ſpecialis ſpeci- „fica expreſſa & individua, non au- „tem per clauſulas generales idem „importantes mentio ſeu quævis „alia expreſſio habenda, aut aliqua „alia exquiſita forma ad hoc ſervan- „da foret, eorum tenores ac ſi de „verbo ad verbum nihil penitus „omiſſo, & forma in illis tradita „obſervata, & inſerti forent, præ- „ſentibus pro expreſſis habentes, il- „lis aliàs in ſuo robore permanſuris „latiſſimè, & pleniſſimè hac vice „duntaxat ſpecialiter & expreſsè „harum ſerie derogamus, cæteris- „que contrariis quibuscunque. „Nulli ergò omninò hominum li- „ceat hanc paginam Noſtræ abſolu- „tionis, conceſſionis, indulti, De- „creti, & derogationis infringere, „vel ei auſu temerario contraire, ſi „quis autem hoc attentare præſum- „pſerit indignationem omnipoten- „tis DEI, ac Beatorum Petri & „Pauli Apoſtolorum ejus ſe nove- „rit incurſurum. Datum Romæ „apud Sanctum Petrum Annô In-

„ carnationis Dominicæ, Milleſimo „ ſeptingenteſimo ſexto; pridie „ Idûs Februarii; Pontificatûs no- „ ſtri Annô ſeptimô.

Noviſſimè Benedictus XIII. ſummus Pontifex. Hoc quoque Apoſtolicæ Sedis privilegium Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis Canonicis, ob gratiam *S. Joannis Nepomuceni* glorioſi ſui Anteceſſoris, & collegæ conceſſum, quia in paucorum hactenus conſpectum venit ex Authentica Romana Copia decerptum, typis vulgò, ùt ſequitur:

Benedictus Papa XIII.

„ AD perpetuam rei memoriam; „ Romanus Pontifex Univerſa- „ ſalis Eccleſiæ Regimini præpoſitus „ ad ſingularem Eccleſiarum ſtatum „ reſpiciens, perſonas in eis aſſi- „ duè Altiſſimo famulantes ſpeciali- „ bus quandoque favoribus, & gra- „ tiis exornat; prout locorum & „ temporum ratio ſuadet, & expe- „ dire in Domino arbitratur. Ex- „ poni ſiquidem nobis nuper fecit „ dilectus filius Joannes Rudolphus „ ex comitibus de Sporck, Canoni- „ cus Metropolitanæ Eccleſiæ Pra- „ genſis in Regno Bohemiæ; quòd „ cùm luctuoſis illis temporibus; „ dùm dictum Bohemiæ Regnum „ nefariâ hæreſi, aliiſque gravibus „ turbis miſerè afflictaretur; Capi- „ tulum, & tunc exiſtentes Canoni- „ ci ejusdem Metropolitanæ Eccle- „ ſiæ ob eximiam eorum in Catho- „ lica Religione; & Apoſtolicæ ſedis „ dignitate tuenda conſtantiam, ac „ robur nedum condignis laudibus „ commendari; ſed nonnullis etiam „ gratiarum muneribns & privilegiis „ ab hac ſancta ſede decorari me- „ ruiſſent; Nunc verô cauſa cano- „ nizationis ſeu declarationis Marty- „ rii Beati Joannis Nepomuceni; qui „ dum in humanis ageret, dictæ Me- „ tropolitanæ Eccleſiæ Canonicus „ exiſtebat; crudeliter in flumen „ projecti, quòd nulla ratione ad Sa- „ cramentalem; quam exceperat; „ confeſſionem manifeſtandam ad- „ duci potuerat; coram nobis agi- „ tetur; ipſe Joannes Rudolphus „ ejusdem cauſæ Poſtulator in Ro- „ mana Curia; à dilectis filiis Capi- „ tulo & Canonicis prædictis pro „ ſincero; quem ergà eundem Bea- „ tum Joannem Nepomucenum olim „ Collegam ſuum gerunt devotionis „ affectu; Crucem cum imagine „ ipſius B. Joannis Nepomuceni in „ pectore geſtandi facultatem tribui „ plurimùm deſiderat; Nobis pro- „ pterea humiliter ſupplicari fecit; ut „ præmiſſis opportunè providere; „ & ùt infrà; indulgere de Benigni- „ tate Apoſtolica dignaremur. Nos „ igitur prædicti Joannis Rudolphi „ votis hac in re, quantùm cùm Do- „ mino poſſumus; annuere cu- „ pientes, ipsísque Capitulo; & „ Canonicis ſpecialem gratiam face- „ re volentes, & eorum ſingulares „ perſonas; à quibusvis Excommu- „ nicationis ſuſpenſionis & interdi- „ cti; aliisque Eccleſiaſticis ſenten- „ tiis; cenſuris & pœnis à jure vel „ ab homine; quavis occaſione, vel „ cauſa latis, ſi quibus quomodo li- „ bet innodati exiſtant, ad effectum „ præſentium tantum conſequen- „ dum harum ſerie abſolventes, & „ abſolutas fore cenſentes; hujus- „ modi ſupplicationibus inclinati, „ omnibus; & ſingulis dignitates „ obtinentibus ac Canonicis dictæ „ Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis „ præſentibus & futuris, ut ipſi ex- „ trà eandem Eccleſiam ac chori ſer- „ vitium crucem cum imagine ſeu ef- „ figie ipſius Joannis Nepomuceni „ in pectore privativè quoad quos- „ cunque alios deferre, ac geſtare „ liberè, & licitè poſſint, & valeant; „ Auctoritate Apoſtolica, tenore „ præſentium perpetuò concedi- „ mus, & indulgemus. Decer- „ nentes easdem præſentes literas „ ſemper firmas, validas & efficaces

„exiſtere, & fore, ſuosque plena- „rios & integros effectus ſortiri, & „& obtinere, ac illis ad quos ſpectat, „& pro tempore quandocunque „ſpectabit in omnibus & per omnia „pleniſſimè ſuſtragari, ſicque in „præmiſſis per quoscunque Judices, „ordinarios, & delegatos etiam „cauſarum Palatii apoſtolici Audi- „tores judicari, & definiri, debe- „re, ac irritum & inane, ſi ſecus „ſuper his à quoquam quavis au- „ctoritate ſcienter, vel ignoranter „contigerit attentari, non obſtan- „tibus Apoſtolicis, ac in univerſa- „libus, Provincialibúsque & ſyno- „dalibus Conciliis editis generali- „bus, vel ſpecialibus conſtitutio- „nibus & ordinarionibus, nec non, „quatenus opus ſit dictæ Metropo- „litanæ Eccleſiæ etiam juramentô „Confirmatione Apoſtolicâ, vel „quavis firmitate aliâ roboratis ſta- „tutis, & conſuetudinibus, pri- „vilegiis quoque indultis, & literis „Apoſtolicis in contrarium præmiſ- „ſorum quomodo libet conceſſis, „confirmatis & innovatis, quibus „omnibus & ſingulis illorum teno- „res præſentibus pro plenè, & ſuf- „ficienter expreſſis, ac de verbo ad „verbum inſertis habentes, illis „alias in ſuo robore permanſuris, ad „præmiſſorum effectum hac vice „duntaxat ſpecialiter & expreſsè de- „rogamus, cæteríſque contrariis „quibuscunque. Datum Romæ „apud S. Petrum ſub annulo Piſca- „toris die 22. Decembris 1728. „Pontificatûs noſtri Annô quintô.

Sumptum ex Minuta Originali Brevium Secretorum *Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti P. P. XIII.* collatum concordat.

Mentis ſuæ Arbitrum habendum Joannem. Alium hujuscemodi ſanctitate fulgentem Spiritûs directorem dedit ſacris Virginibus ad *S. Georgium Capitulum Metropolitanum* centum & ſeptuaginta aliquot annis poſt, videlicet circa An. 1550. *Adalbertum S. Metrop. Eccleſiæ Prælatum Scholaſticum*, qui magna etiam vitæ morúmque ſanctitate præfulſit, & ſalutaria Aſceticæ inſtitutionis documenta ante mortem ſuam epiſtolâ ſat longâ, quæ ſingulari ſolatio & profectu ſpirituali in conventu prælegi dicitur, ſanctimonialibus tranſcripſit: corpus quoque ſuum in earum monaſtario ſepeliri juſſit. Et jacet quidem in ambitu cœnobii propè januam ad Eccleſiam ducentem cum ſequenti epitaphio: *Hìc jacet Reverendiſſimus Dominus Dominus Albertus ad S. Vitum Prælatus infulatus, & Scholaſticus, quondam Confeſſarius in hoc monaſterio ſacrarum Virginum, qui circa An.* 1550. *vixit, & piè in Domino obiît, ac ad petitionem ſuam Zelo pietatis hîc ſepultus, & ob præclara ſanctitatis viſa hîc ſigna ab omnibus hactenus in magna veneratione cultus fuit. Cujus ſepulchrum renovatum eſt An.* 1675. referunt Analecta monaſterii, cum quodam tempore familia Cœnobii nocte in cellario neceſſarium haberet laborem, lumen illis extinctum fuiſſe, illi cum trepidi neſcirent, unde lumen peterent è cellario emergentes ſuper hunc tumulum cum admiratione lumina vidiſſe & reperiſſe, & ibi candelâ accensâ ad laborem rediiſſe, retroſpicientes verò nulla ampliùs ibi offendiſſe, ſed lumina omnia ſubitò evanuiſſe. Igitur ſacer locus & cratibus cinctus, & appenſis anathematis piè fuit honoratus.

Annô 1361. natum. Autenticum nativitatis *Wenceslai* teſtimonium cum penitioribus circumſtantiis ab ipſa Matre confectum ex Archivo *Civitatis Argentinenſis* in lucem protraho ſequens:

ANNA DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATRIX SEMPER AUGUSTA, ET BOHEMIÆ REGINA.

F*Ideles dilecti auxiliante altiſſimo, qui Regibus dat ſalutem, die Veneris ante Dominicam oculi* (id eſt die 26. *Februarii*) *horâ quaſi tertiâ prolem maſculinam corpore, & membris ſingulis elegantem, in lucem mundi produximus, & poſt partum unà cum prole felici ſanè jocundæ, & incolumes permanemus. Et quia ſalutem Noſtræ Celſitudinis vos ſincerè zelare cognoſcimus, hæc vobis per pincernas noſtros dilectos, & eorum ſodalem exhibitorem præſentium, pro ſpeciali ſolatio annutiamus, deſiderantes vos noſtrorum participes exiſtere gaudiorum. Datum Nürmbergæ, Vigeſimâ Septimâ menſis Februarii, Regnorum Annô octavô, Imperii verò Sextò.*

Magiſtro Civium Conſilio, & univerſitati Civitatis Argentinenſis ſincerè nobis dilectis. (L.S.)

Ex his literis duplicem Autorum errorem refello. Primum circa diem Nativitatis *Wenceslai.* Alterum circà obitum *Annæ Imperatricis. Balbinus Miſcell. decad.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *Lupac. ad* 16. *Cal. April.* Nativitati diem 17. *Martii*, alii 23. 25. *Febr. Cuthenus* diem 4. *Martii* conſtituêre, *Cuſpianus, Eberus, Peucerus, Beutherus* habent 28. *Septembr.* Igitur, ut hæc lis ſententiâ tandem deciſoriâ finem habeat, ex allegatis literis pronuncio, *Wenceslaum* ab *Anna Svvidnicenſi* uxore tertia *Caroli IV.* natum eſſe, *Norimbergæ* An. 1361. die 26. *Febr.* quæ erat dies Veneris poſt Feſtum *S. Mathiæ*, & ſimul dies Veneris ante *Dominicam Oculi*, *tertiam* in Quadrageſima, eô An. 1361. die 28. *Febr.* celebratum. Baptiſmi gratiam accepit *Wenceslaus* in Eccleſia Parochiali *S. Ubaldi Norimbergæ*, die 4. *Martii*, quæ erat translationi *S. Wenceslai* ſacra, & ideò occaſione feſti nomen ſortitus eſt. Levârunt eum è Baptiſmo *Gerlacus Moguntinus*, *Adolphus Colonienſis*, & *Arneſtus Pragenſis Archiepiſcopi*, ſex item Epiſcopi, & quinque Abbates. Quod attinet obitum *Annæ* Imperatricis, quidam illam doloribus partûs extinctam ſcripsêre. At contrarium è literis ante recenſitis clarè etiam evincitur, ubi ipſa fatetur: *& poſt partum unà cum prole felici ſanè jocundæ, & incolumes permanemus.* Itaque non dolore partûs, ſed alia infirmitate die 11. *Julii* An. 1362. obiit. Sepulta in Baſilica *S. Viti Pragæ.* Et epitaphium, infrà *cap.* 7. recenſendum.

In prato Renſee deſignari.

Hic rursùs malè conciliata lis eſt inter Autores occaſione Electionis *Wenceslai.* De Anno 1376. plerumque omnes conveniunt, de die non item. *Cuſpinianus Funkius*, *Lupacius*, *Weleslavina*, *Borogk*, & *cronicon Colonienſe*, diem 12. *Junii* ſtatuêre. *Balbinus*, & eum ſequentes electioni diem 12. *Januarii* An. 1376. Coronationi verò 6. *Julii* An. 1386. aſſignat. Hanc itidem litem literæ Coetanei, & dum Electio fieret *Francofurti* præſentis ſinè ulteriori ambiguitate apud *Wenker. apparat. Archiv. cap.* 39. è veteri teutonicò à me translatæ, decidunt, & Electionem *Wenceslai* die 10. *Junii* An. 1376. factam enarrant. Sonant verò ut ſequitur:

Fragmentum literarum *Jekelini Ientzelin*, quas occaſione electionis *Wenceslai Francofurtô* miſit ſuis ſuperioribus.

Infrà. *Notificio, quòd filius Imperatoris electus ſit, & nominatus Francofurti duntaxat Rex Romanorum die Martis ante feſtum Corporis Chriſti, & aderant omnes Electores, & alii Principes & Domini, & hoc publicè promulgatum fuit. Nunc omnes abituriunt, ut Regem Aquisgrani coronent, nam dicitur quod Rex ante Francofurtum caſtra metari nolit, eò quod nullus contra illum hoſtis ſit.*

Circumſtantiæ electionis magìs patent è literis *Joannis Pffaffenlapii* Senioris ad Dominum *Joannem Schilt*, Magiſtrum Civium.

„Dum

„ Dum electio Regis Wenceslai „ in Regem Romanorum fieri debuit, convenerunt Imperator, & „ Electores in Renſee ad habendam „ electionem, eò autem Elector „ Moguntinus, qui eſt Epiſcopus Babenbergenſis venire non voluit. „ Principes deliberârunt, utrum eligere debeant, & non fecerunt; „ quia nullum alium Electorem Moguntinum ſcirent, quam illum. „ Igitur Rupertus Dux Bavariæ perexit pro eo Oppenheimium, & „ adduxit illum in Renſee, die Pentecoſtes manè. Tunc Principes „ conſilium inierunt cum Imperatore, & quidam velut Trevirienſis, „ & Colonienſis erant Imperatori „ contrarii, & id ſtatim fuit compoſitum; & Rex non fuit electus in „ Renſee, ſed factâ ei ſecurâ promiſſione, electio traducta fuit Francofordiam. Deinde Dominicâ „ poſt Pentecoſten veſperi Imperator, & Rex, Dux Bavariæ, Marchio Brandeburgenſis, Dux Saxoniæ, Epiſcopus Moguntinus advenerunt Francofordiæ. Et Francofordienſes volebant more conſueto Regem Romanorum beneventare & Dux Bavariæ renuit; eò „ quod nondum foret legitimè Electus. Denique die Lunæ advenerunt Epiſcopi Trevirenſis, & „ Colonienſis, & die Martis ſummô „ mane Imperator & Rex, & Electores intraverunt Parochiam „ Francofordiæ, & in choro Eccleſiæ elegerunt unanimibus votis „ in Regem Romanorum Imperatoris filium, & facta dein ſunt ei „ omnia, quæ Regi Romanorum fieri „ debent. „ Hactenus Coëtaneus.

Ex ſimplici hac, & vera narratione diem Electionis *Wenceslai* absque ulteriori controverſia certam habemus, nempe 10. *Junii.* Nam cùm eô Annô 1376 *Pentecoſtes* fuerit 1. *Junii*, *Corporis Chriſti* Feſtum 12. *Junii*, clarè ſequitur, diem *Martis* ante *Corporis Chriſti*, qua fuit celebrata electio, fuiſſe 10. *Junii.* Et ità ulteriori liti finis imponitur.

CAPUT SEPTIMUM.

S. Joannis Nepomuceni vitæ probitas, & virtutum zelus.

Ejus directione Joanna Regina ad omnem pietatem incitatur. Epiſcopatus Litomyſslenſis, & Præpoſitura Wiſſehradenſis quo tempore S. Joanni oblata. Officium Eleemoſynarii. Munus Decani Collegiatæ Eccleſiæ ad Omnes Sanctos. VVenceslai Cæſaris immutati mores, ebrietates, luſus, vagæ libidines, & exantæ inde tyrannides. De quibus eum admonet Joanna Conthoralis.

CRevit cum annis *Joannis* virtus, & majores in dies emiſit radios ſplendor Sanctitatis. Etenim quia caſtitatis pollebat vigore, quia abſtinentiæ gloriabatur anguſtiis, quia blandimentis erat prædıtus lenitatis, omnium in DEum provocabat affectum. Summi imíque cælicam reſpicientes vitæ ſanctimoniam, æmulabantur chariſmata meliora, & morum errata pænitudine ſubigebant. Inter tanta tamen incitamenta virtutum, quibus aulam pravis pedetentim infectam moribus curabat, ſubmiſſæ humilitatis ſenſu ità abundabat ut regnare in eo videretur neglectus honoris, ac ſpecialis patientia ſubmiſſionis. Nihil in Regio illo *Confeſſarii* munere, undequaque ad aulas grotioſo unquam ſingularitatis, aut elationis adhæſit, ſed nec in alia, quàm quæ ſalutem animarum morúmque ad innocentiam dirigendorum ſtudium attinerent, ſe immiſit. Quotidianis ità profectibus inter virtutes gradiendo facilè fiebat ut cogitatione ſanctus, actione præcipuus, diſcretus ſilentiô, utılis in verbo, ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatiône ſuſpenſus, bene agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ exiſteret erectus. *Joanna* Imperatrix, Matrona candore animi, morum innocentiâ, pietate & cæteris Reginarum virtutibus ſpectatiſſima, *Sancti Joannis* dictionibus ac interiori etiam directione, validiſſimè ad omnem virtutem incitata avitam *Bavaricæ domûs pietatem*, novis exornabat profectibus, ſpeculum Auguſtarum effecta. Ea enim (quam *Hagekus* probam & virtuoſam, *Paprocʒkius* DEum timentem, *Weleslavina* ſanctam religioſámque, *Krancius* optimæ vitæ fœminam nominant) ab omni aulæ voluptate, & aſſuetis Regum deliciis abhorrens nihil ſuperfluum, ſed ſolam vitæ modeſtiam curans, imperiale faſtigium devotæ mentis humilitate ſuperabat. Modum amabat in omnibus, & directoris ſui monitis intendebat attentè. Pia, atque manſueta, magnis benevolentiæ, & miſericordiæ fructibus referta, eleemoſynis profuſa, oratione prolixa, charitate fervida, humilitate copioſa, ſacras Tutelarium ædes, & *Bojemiæ Patronorum* lipſana frequenti viſitatione honorabat, Regni, Regis, ſuámque ſalutem ſubmiſſis DEO precibus commendans. Sub hæc inter tot virtutum, & bonæ vitæ progreſſus in ſublime pietatis & ſanctimoniæ elata, Mater fiebat orphanorum, conſolatrix viduarum, & pauperum Patrona.

2. *Joannes* porrò in *Wenceslai* Imperatoris gratia, priusquam malitia mutaret intellectum, multùm profecit.

fecit. Sanctioris vitæ norma, prædicationis ferventia, & ad cœleſtia animas dirigentis ardor, Cæſarem movit. Adeò ipſe Conthoralis nutu cælica ſervi DEI cônſilia auſcultavit libenter. Inde tanta apud *Wenceslaum Joannis* excrevit autoritas, ut ad Epiſcopales & Præpoſitales infulas ſublevandum putaret. Vacavit nempe die 14. *Jan.* An. 1380. (a) poſt obitum *Alberti à Sternberg Epiſcopatus Litomyslenſis*, & Cæſar in eo munere *Joannem* libenter vidiſſet, at ſubmiſſa humilitas honorem deprecata, nec denique induci potuit, ut Præpoſitalem infulam *Eccleſiæ Wiſſehradenſis*, cui *ſupremi Cancellariatûs Bojemiæ* munus adjunctum erat, à *Joanne Sobieslao Præpoſito Wiſſehradenſi* in *Epiſcopum Litomyslenſem* nominato reſignandam acceptaret. Proventus annui Præpoſituræ hujus ad octoginta florenorum Hungaricorum ſeu aureorum millia aſcendiſſe dicuntur. (b) Summa profectò. ætate illâ immanis prorſus, atque maxima! nondum *Indis* atque ultimis Occidentis plagis inventis, unde magna auri atque argentis vis ab *Hiſpanis* in *Europam* continentur conjecta, & numerum pecuniæ nobis, & libidinem auxit. Hîc non prætereundus error eorum, qui hujuscemodi dignitates tardiùs velut An. 1382. *Joanni* oblatas enarrant; conſtat ex *Archivo Wiſſehradenſi* ulteriore tempore *S. Joannis Nepomuceni* nunquam vacâſſe *Præpoſituram*; quare ad *Joannis Sobieslai* reſignationem in favorem *S. Joannis*, poſt acceptum *Epiſcopatum Litomyslenſem* faciendam recurrendum. Equidem poſt *Wilhelmum à Landſtein*, qui obiît An. 1361. *Idibus May*, evectus eſt ad *Præpoſituram Wiſſehradenſem Lambertus à Buren* Nobilis *Alſata*, & manſit in ea dignitate usque ad An. 1368. quo ad *Epiſcopatum Brixienſem* fuerat promotus. (c) Ei ſucceſſit *Joannes* hujus nominis *IV. Præpoſitus*, cognomine *Sobieslavvek Jodoci* & *Procopii Marchionum Moraviæ* frater, & nepos *Caroli IV.* ex *Henrico* fratre, & ceſſavit eſſe Præpoſitus An. 1388. ab *Urbano VI.* ad *Aquilegienſis Patriarchatûs* apicem evectus (d). Eô tempore *S. Joannes* jam glorioſô martyriô ad ſuperos erat translatus. Sed de his, & aliis *Rebus Wiſſehradenſibus* plura in Notis. Ubi Præpoſitorum, & Decanorum accuratè elaboratam ſeriem pro meliori narratorum intelligentia adpono. Non diſſimili modô circa *Epiſcopatum Litomyslenſem* (cujus originem & vaſtationem cum Epiſcoporum ſeriè itidem in notis dabo) ſe res habet. Hic æque non vacavit unquam tempore *S. Joannis*, nisì poſt obitum *Alberti à Sternberg* à die 14. *Januarii* An. 1380. quem deprecatum à *S. Joanne*, ſuprà memoratus *Joannes Sobieslavek* unà cum *Præpoſitura Wiſſehradenſi* retinuit, quo usque extra Regnum An. 1388. (poſt martyrium adeò *S. Joannis*) ad patriarchatum ſublimatus fuiſſet. Etſi quidem nonnulli (e) *Alberti* obitum ad finem Anni 1378. retrò locent. verùm hæc opinio non ſubſiſtit, eò quòd *in curia Litomyslenſi originale inſtrumentum* aſſervetur adhuc hodie, quo eodem An. 1378. 5. *Auguſti*, *Joannes à Wlaſſim*, *Archiepiſcopus Pragenſis* inter *Albertum à Sternberg*, *Epiſcopum Litomyslenſem* & ejus *Capitulum Cathedrale* arbitramentum ſuper quibusdam controverſiis occaſione redituum ortis pronunciat, ut ità è vivis eò Annô migrare non potuerit. Et è *Codice diſtributionum* (f) conſtet non in fine, ſed initio Anni videlicet die 14. *Januarii* obiîſſe. *Die 19. Cal. Febr.* „ Obiît Venerabilis Pater Dominus Adalbertus de Sternberg, „ Epiſcopus Litomyslenſis in cujus „ Anniverſario de Thullecz dantur „ 2. Sexag. de quibus abſtrahantur „ 6. Gr. pro officio & candelis, & „ pro fabrica 30. Gr. „ Hæc ibi. Rectè igitur ad memoratum Annum 1380. *Epiſcopatûs* & *Præpoſitura* oblatos à *Wenceslao* honores conjicimus.

(a) Cod. Diſtrib. 19. Cal. Febr.

(b) Hammerſchmid. Hiſtor. Wiſſehrad. lib. 1. cap. 14. fol. 284.

(c) Archiv. Capit. Wiſſehrad. Flor. Hammerſchmid. Hiſtor. Wiſſehrad. fol. 258. & ſeq. Cruger. 12. Martii.

(d) Peſſin. Mart. Morav. lib. 4. c. 3. fol. 439.

(e) Epit. rer. Bojem. fol. 233. & 392.

(f) MS. Cod. Membr. diſtrib. fol. 1.

3. *Utut* verò *Joannis* humilitas præmentionatas infulas effugit, evitare tamen non poterat *Regii Eleemoſinarii* officium, quod magis ad ejus pietatem & miſericordiam accordaret, nec eum à vitæ inſtituto & animarum lucris averteret. Volebat ſcilicet Rex honori Reginæ incrementum adjicere, ut ſicut *Reginæ Confeſſarius*, ità *Regis Eleemoſinarius* eſſet. (g) Et profectò erat munus aptiſſimum *Joanni*, ùt qui omnem ætatem in optimis artibus egerat, benefacere jam ex conſuetudine in naturam vertit. Igitur

(g) Math. Ferd. Archiepiſcopus in theſaur. ſacr. fol. 134. Macar. à Merfeliz. in gall. can.t fol. 91.

- - - Infirma agmina
Omnéſque, qui poſcunt ſtipem
Cogens in unum, & congregans,
Illis utriſque obtutibus
Orbes cavatos præferens
Baculo regebat prævio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu
Vel crure trunco ſemipes
Breviórque planta ex alterâ,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt ulceroſus artubus
Qui tabe corruptâ fluat.
Eſt cujus arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.
Tales plateis omnibus
inquirit. (h)

(h) Prudent. in hymn. de S. Laurent.

Et ante fores Atrii Regii, aut templi januam ex ordine collocatos, ſtipe reficit, neminem à facie ſua inconſolatum abire ſinens. Inter hæc unicum erat, quod *Joannæ* Reginæ pientiſſimæ transfigebat animam, conthoralis ſui quotidie in pejus lapſus. Annus agebatur 1380. & primis ſtatim menſibus grandes fiebant terræ motus, incolis formidine marceſcentibus, quos æſtate inſolita excepit murium copia, quæ & frumenta, & gramina abroſit, deſuper ſecuta peſtilentia usque ad hyemem per totum Regnum (i). Annô non minùs alterô, tanta imbrium & exundationum violentia, ac frequens cœlo tempeſtas, ut frumenta mergitibus quidem jam diſtincta, ad horrea invehi nequiverint. Exinde in Regno cariſtia, fames, hominum, pecorúmque clades. Addit *Hagekus* ſpectrorum mira portenta è figuris hominum pecudúmque per vicos, & oppida apparentia, terrorem incolis incutientia, & mortem (k). Nihil hæc prænotare aliud potuêre, quàm ſubſequos Regni, Regisque caſus. Incepit nempe jam licentia vitæ fermentare in *Wenceslao*, & velut *Neronis* quinquenniô boni Principis finitô feralem ſcelerum aperire ſcenam. Retinuêre *Neronem* in modeſtia *Afranius Burrhus*, &

(i) Hagek. Chron. Bojem. fol. 351. & ſeq. MS. Barthol. à Drahonitz fol. ult.

(k) Hagek loc. cit.

(l) Tacit. Annal. lib. 13.

& Annæus Seneca (l) pari in ſocietate potentiæ concordes diverſâ arte, ex æquo imperatoriam regentes juventam. Cohibuêre *Wenceslais* ferociam *Joannes Wlaſſim Pragenſis Archiepiſcopus*, & *Joannes Nepomucenus Eleemoſynarius Regius*, & *Confeſſarius*. At ubi Annô 1380. die 14. *Januarii* prior diem ſuum obiiſſet (m) nec alterius auctoritas ampliùs proficiebat. Ut plurimùm *Joannis Archiepiſcopo* benè monenti libenter auſcultabat, modúmque aliquem cupiditatibus ſuis illo interveniente (ùt refert *Dubravius* (n)) ſtatuebat, & rectè, nam, & ei Pater ſollicitudinem *VVenceslai* commiſerat. Sublatô verò *Archiepiſcopô*, velut aggere ruptô, licentiæ libidinúmque fluctus *VVenceslaum* ſubmerſêre, & aurea *Caroli* ætas paſſim deſinebat in plumbum. Impoſterum homines nauci, ludiones, præſtigiatores, helluones, ganeos, paraſitos, & alios id genus vitiis infames nullo delectû in aulam admittere, â curis Regnorum abhorrere, nihil niſi lætum audire, otiari, ſcortari, helluari, & ſaltu vinóque inſomnes noctes ducere. Nec hæc ineptè ab obſcænis infantiæ factis prægnoſticando prædixêre ſapientes. Dum enim An. 1361. *die 4. Martii* in Parochia *S. Sebaldi Norimbergæ* levantibus *Moguntino*, *Colonienſi*, & *Pragenſi Archiepiſcopis*, ſex item Epiſcopis & quinque Abbatibus, ſacrô fonte ablueretur, aquam lutô infecit, & paulò ante, dum aqua pro baptiſmo calefieret, Parœciæ culinam ignis corripiens, vix domum ipſam ab incendio reliquit. (o) Item nondum biennis Altare *S. Mauritii* in *Eccleſia Pragenſi* ſub coronationis ceremoniis lotiô conſperſit, penes in tanto honore ſingultibus modum nullum ponens, donec piſtor placentâ in os injectâ lacrymantem componeret (p) id verò quod quidam addunt; Matrem doloribus partûs extinctam fuiſſe, minimè probatur. Conſtat ex Autoribus fide dignis (q) *Annam Svvidnicenſem Caroli IV.* conjugem Annô primùm ſequenti poſt *VVenceslai* partum 1362. die 11. *Julii* in octava *S. Procopii* fatis ceſſiſſe, id evincente publicâ *Annæ* litterâ ad civitatem Argentinenſem (r), ac etiam Mauſoæi Regii epitaphio in *Eccleſia Pragenſi*, quod ſic habet:

(m) Boregk cron. Bojem. fol. 334.

(n) Dubrav. Chron. Bojem. lib. 23. Pontan. Bohem. piæ. lib. 3. fol. 45.

(o) Christoph Manlius MS. in commentar. Rer. Luſat. apud me fol. 143.

(p) Paul. Zidek. MS. lib. 3. in vit. Wenceslai.

(q) Hagek fol. 336. Lupac. ac Weleslav. in Calend. Hiſtor. 11. Id. Julii.

(r) Suprà in not. c. 6.

„ Carolus IV. Rom. Imp. Boem.
„ Rex natus An. 1316. coronatus
„ 1348. mortuus & ſepultus An.
„ 1378. Blanca filia Philippi Comi-
„ tis Valeſiæ Uxor prima Caroli IV.
„ Reginæ Boemiæ mortua & ſepulta
„ An. 1348. Anna filia Palatini ad
„ Rhenum Comitis Uxor ſecunda
„ Caroli IV. Regina Boemiæ mor-
„ tua & ſepulta An. 1353. Anna fi-
„ lia Bulconis Ducis Svvidnicenſis
„ uxor tertia Caroli IV. Regina Boe-
„ miæ mortua & ſepulta An. 1362.
„ Eliſabetha filia Ducis Stetinenſis
„ Bogislai Uxor quarta Caroli IV.
„ Regina Boemiæ mortua & ſepulta
„ An. 1393. Peſſima

4. *VVenceslai* ſigna vitam quaſi digitis præmonſtrantia plurimos Aulæ, & potiſſimùm *Carolum* ipſum cogitationibus ſuſpenderant. Quare ad mitiganda ſiniſtra omina, placandúmque pro filio Numen, munus regium ad Aram *Divæ Aquisgranenſis* miraculis claræ deſtinavit *Carolus*. *Poſt hæc* (inquit eorum temporum ſcriptor (s)) „ Carolus Imperator diſponit viſitare limina B. „ Virginis Aquisgranum, & delibe- „ rat mittere offertorium illuc pro filio ſuo nato Norimbergæ VVenceslao, unde jubet filium ponderari in ſtatera cum auro, qui ponderavit ſexdecim marcas auri, quæ „ mittit Aquisgranum. „ At malitia brevì ſuperans omnia, ſopivit *VVenceslaum* inertiæ dulcedine. Hactenus *Carolus* in *caſtro* ſuo *Pragenſi*: *ubi* (ùt ait (t)) *de novo palatium magnum & pulchrum cum magnis ſumptibus ædificari procuravimus*, & tota Aula habitaverat, & taliter ob Sanctorum ibi Patronorum lypſana dilexit lo-

(s) Rebdorff in Annal. An. 1362.

(t) Carol. IV. in Comentar. de vit. ſua.

locum, ut nè tempore, quo ædificabatur, inde aliò migraret, ſed in antiqua domo Burggraviatûs, aliquot annis manſionem ſtatueret (u), non attento; quòd tribunalia, & judicia terræ in *Regia veteri Urbis majoris* ad regias tabulas (quæ non ità pridem ex juſſu ejusdem *Caroli* de antiquo comitio è regione *Beatiſſimæ Virginis ad lacum* eò majoris ſecuritatis gratiâ translatæ fuerant) celebrari conſueverint. *In ſtuba majori Aulæ regiæ* (narrat fragmentum veterum tabularum (x)) „ Dominus Carolus „ Rom. Imp. & Boemiæ Rex; & „ omnes Domini Barones judicio „ præſidentes generali Anno 1365. „ Infrà tempus quatuor temporum „ quadrageſimæ &c. „ Longè ſecùs *Wenceslao* res viſa. Nulla ei in *caſtro Pragenſi* reſidentiæ commoditas; infudit ille ſe Annô 1380. Wiſſehradum, ac tandem ad Aulam regiam urbis veteris, amavit nempe ad Pragenam cererem nocturna diverticula, & veſte ſervili in diſſimilitudinem ſui compoſitas evagationes (y) comitantibus, qui paſſim ad lupanaria ducerent. Non vidit ejusmodi in *Pragenſi caſtro*; ubi rariores plebis turbæ, & infrequens bacchantium multitudo.

(u) Carol. in cit. commentar. vit.

(x) Vet. Copiar. Tabul. apud me primô Daczcz. T. VI.

(y) Vet. Cron. Bojem. MS. apud nos.

ſ. Per idem tempus cùm *Præpoſito & Crucigeris Zderasdenſibus* ad cedendum ſibi locum propè *Moldavam* (ubi nunc *P. P. Auguſtinianorum diſcalceatorum* ad *S. Wenceslaum* novitiatus exiſtit) *Brzeska* dictum egit, ſe ſitûs amœnitate allectum ibi Regiæ diverſionis domum; quam poſt obitum fundi Domino cederet, excitare cupere, nec reniſum paſſus; eò confeſtim An. 1380. machinam inchoavit (z) quæ tamen fatis intervenientibus non niſi An. 1399. perfecta eſt. Intentio fuit Regis in hoc Urbis angulo quaquaverſum excurſionibus in novam veterémque Urbem apto voluptatibus indulgere, & libidines ibi exercitas deſcribit *Hagek* (aa). Interea dum ædiles inſtant, operi *Palatium vetus*, vulgò *Aula Regalis* nuncupatum, antiquum *Boleslai Sævi* opus (bb) ad finem Anni 1380. quò ex imperio rediverat, cordi deſtinat. Nec erat locus deſideriis ineptus. Facilis itidem in utriúsque Urbis fora & plateas excurſus, & crebri compotantium & bacchantium tumultus. Hìc Majeſtatis Regiæ depoſitô habitu turpitudinum ſcena omnis aperta eſt. Noctes atque dies ludionum, & combibonum conſortiis impendens, nihil in eo hominis manſit ſimile præterquam ſpecies, quamquam & ea dicatur fuiſſe diſtorta atque deformis *Therſiti* quàm Principi ſimilior. Turpiſſimæ parti corporis inter obſcænas libidines, quibus nè quidem ab alienis thoris abſtineret, operam navans illaudatam ætatem egit. (cc). Inde ad Maritos, & Patresfamilias ſubortus clamor, civium animos in deteriùs quotidiè traxit. Et ille velut ob laſciviam muliebriter infamis, ſuſpicionibus & enatis inde crudelitatibus gravis ac intolerabilis toti Regno fuit. *Audivi etiam dici de eo* (verba ſunt coetanei, & qui Regem familiariter noverat (dd)) „ cum videret in parie„ te ſcriptum: VVenceslaus alter „ Nero; mox adſcripſiſſe: ſi non „ fui, adhuc ero. „ Nec abluſit à factis nomen. Effuſione humani ſanguinis ſuprà modum delectatus, ſinè diſcrimine ſæviit in omnes, quos vel timebat, vel quibus vitam ſuam non placere ſuſpicabatur. Nullus erat in eo Sacerdotum aut Procerum reſpectus:

- - - dapibus crudelis in ipſis
Emicat ad nutum ſtricto mucrone miniſter.

Quem adeò propè latus perpetuò habuit, ac ut in lanienis exequendis promptior ageret, ſe *compatrem* reddidit; filium de ſacro fonte levando (ee) nunc hos nunc alios ſocordiæ ejus infeſtos palam ac per inſidia ſtra-

(z) Hagek fol. 351. & fol. 360.

(aa) Hagek cit. fol. 360.

(bb) Idem ad An. 944. fol. 78.

(cc) Dubrav. Hiſt. Bojem. lib. 23. Jac. Picolom. Comentar. lib. 6.

(dd) M. Edmund. in Cron. magn. Belg.

(ee) Hagek fol. 356. Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 4. fol. 176.

ſtravit. Nec ſatis illi, ſuppliciô affeciſſe, quos metuebat, ſed ſua manu, vel ad menſam jugulabat multos, vel è balneo aut ponte præcipites in flumen quaſi per ludum & jocum agebat: præſidium probè ratus Principi firmius barbarorum ſtipatorum agmen, quàm civium benevolentiam. Ad quam ſævitiam mulierculárum amoribus delapſum non vanè plerique ſuſpicati ſunt, cùm ex ignavo otio, & impuris amoribus naſci feritas ſoleat. Ideò *Imperii Principes*, quorum legationem per ignaviam ſpreverat, *matronas*, *cerevíſiamque Pragenſem* per ludibrium paſſim exprobrant: *Si mulieres* (inquiunt) *Pragenſes, Cerevíſiámque in Imperio haberemus, & VVenceslaum hîc videremus* (ff). Utrique ad dementiam deditô, quid mirum ſi ingeniô enituit ſordidô, & crudeli, & ad nullam reipublicæ gubernationem aptô. Inde adminiſtrationem & curam regni paterni, & Imperii, tanquam ad ſe non pertinentem ità neglexit, ut, cùm latrociniis infeſta redderentur itinera, & graſſatoribus impleretur *Bojemia*, & paſſim in civitatibus ſeditiones orirentur, inſurgente adverſus magiſtratum inſanâ plebe, ipſe tamen aliud nihil ageret, niſi volutaret ſe in cœno vitæ flagitioſæ. Ad hæc Anno 1381. exundatione imbrium frumenta deperdita diram in Regno cariſtiam, famémque cauſaverant, ac itinera latrociniis paſſim fervebant.

(ff) Hagek fol. 355.

6. Regni Proceres clam congregati, Regis ſui ſocordiam ac reipublicæ neglectum penſi habentes conſiliis agebant, qua via potiſſimùm malis remedium adferrent. Prævaluit tandem eorum ſententia, qui Regem per Amicos monendum cenſerent. Quod & factum eſt, *VVenceslaus* quaſi paulìſper è ſopore levatus, ſaniora promittere viſus. In imperium *Norimbergam*, *Moguntiámque* excurrens per *Rhenum* deſcendit *Coloniam*, & ulteriùs per agrum Aquiſgranenſem profectus eſt (gg). Quid utilitatis præſentiâ ſuâ attulerit, ab Authoribus proditum non eſt. Narrat etiam ad eundem Annum *Miechovius* (hh) *VVenceslaum* Cæſarem *VVratislaviam* adveniſſe, & cùm Civitatem turbatam, & Cives interdictô Eccleſiaſtico innodatos accepiſſet, ad Canonicos ejus Eccleſiæ miſiſſe oratum, ut in ſui gratiam Cives abſolverent, id cùm impetrare non potuiſſet, omnes Canonicos Urbe ejeciſſe, eorúmque pagos, & villas diripiendas in *Sileſia* dediſſe, & alterô primum Annô pacem & oblivionem præteritorum conſtitutam fuiſſe. Minatus fuit & *Italiam* accedere, de quo *Franciſcus Petrarcha* ridiculè in hunc modum: „VVenceslaus Caroli filius vivente „Patre electus eſt Imperator & ad„huc regnat: hic juvenis robuſtus „venator, quid acturus ſit ignoro: „tamen minatur ſe venturum ad Ita„liam. Sed non venias, precamur „te, ſi non vincis laude Patrem „tuum, quanquan aliud de te ſpe„ramus. Nam præſentia primi Cæ„ſaris Julii vix ſufficeret ad compe„ſcenda mala, quibus miſera laceſſi„tur Italia temporibus tuis. Sic Im„perium orbis cælum verſat, ut il„lud quondam potens ac veneran„dum gentibus & Regibus Roma„num Imperium præfiguratum in ti„biis ferreis, cui nihil olim defuit, „niſi modicum orientis, nunc proh „dolor! nihil poſſideat, niſi modi„cum occidentis. „ Poſt hæc *VVenceslaus Pragam* reverſus, ut quid agere videretur, variorum privilegia confirmavit, & de *Metropolitanæ Eccleſiæ* libertatum confirmatione ſuprà dictum eſt. Cæterùm in antiquas voluptariæ vitæ ſordes paulò poſt prolapſus, otio, ſomnóque torpens, crapulis tantùm, & commeſſationibus, luſibúſque, ac ludicris comædorum, & præſtigiatorum ſpectaculis intentus, ab omni gubernationis cura alieniſſimus, quid apud ſubditos rerum geretur, nihil curæ habuit.

(gg) Trithem. in Chron. Spon-heim. ad A. 1381.

(hh) Miechov lib. 4. Hiſtor. Polon. cap. 35.

buit. De *Zittone* magicarum artium Principe, & phanaticis ejus comœdiis ad aulam *Wenceslai* productis multa *Dubravius* (ii) & de curribus ludionum & magarum caterva onuſtis à *Landgravio Rheni Pragam* ſubmiſſis *Hagekus* (kk). Non mirum igitur, his Regem infaſcinatum fuiſſe; dum tot magos inter ſe ſe committeret, eorúmque operâ in ſpectaculis, ac etiam in voluptatibus uteretur. Hic fructus ſceleratæ ac Dæmoniacæ ſocietatis, ut fortè ex iſtis aliquis maleficium illud perpetraverit, de quo *Paulus Zidek* (ll) quod *Wenceslaus* per magiam fuerit ligatus, ut *Joannæ* piiſſimæ conjugis abſentis deſiderium, & præſentis tædium ferre non potuerit. „Fuit etiam (inquit Autor coætaneus (mm)) bina „vice venenô intoxicatus, ſed gratiâ DEI & ope medicorum illico „curatus. Nihilominus propter „caloris & ſiccitatis ardorem, quem „poſtea ob toxicum continenter „ſentiebat, ſemper appetebat bibe„re, & bibit aliquando ſobriè ad „lætitiam, aliquando exceſſivè ad „ebrietatem. Quando ſobriè bi„bit, fuit optimæ converſationis, „prudens & diſcretus. Quando „verò bibit ad ebrietatem incurre„bat in furiam, & fuit tunc multùm „perverſus & perniciofus.„ Etſi demum *Wenceslaus* à natura quidem non mediocribus donis exornatus, artes liberales ſub optimis Magiſtris omnes perceperit feliciter, *& erat* (ait *Edmundus*) *bene literatus, & congruè loquens latinè;* inertia tamen munera corrupit, & malitia obruit. Ingenio valuiſſe, binæ evaſionis aſtutiâ docuit, qua *Pragenſes*, ac *Viennenſes* carcere deluſit. Annum 1382. penitus voluptatibus traduxit, in *aula Regali Urbis majoris* turpi torpens otio & imperium negligens. Latrocinia interea viarum ac agrorum depopulationes, ſuprà modum auctæ, Regnum fatigaverant. Circa *Teuto-Brodam & Czaslaviam* potiſſima ſpolia mercantium acta, quæ Rex ſubitâ excurſione prohibere properat, at prædones pericula prævertentes ſe in caſtra ſua includunt, & poſtea nunquam turbarum finis.

(ii) Dubrav. lib. 23.

(kk) Hagek fol. 356.

(ll) Paul. Zedek lib. 3. Conſil. in vit. Wenceslai.

(mm) M. Edmund. in cron. magn. Belg.

7. In hæc tempora reponenda videtur *dignitas* nova *decanalis*, qua *S. Joannes* ad *Capellam Regalem omnium Sanctorum Caſtri Pragenſis* honoratus legitur. Decanum ibi fuiſſe manifeſtè prodit *Paulus Zidek* (nn). *Cùm VVenceslaus* (ait) *haberet malam ſuſpicionem de ſua Domina, & illa fuiſſet confeſſa Magiſtro Johankoni Decano omnium Sanctorum, venit ad illum Rex, ut ipſi diceret, cum quo cohabitet?* De Anno ambiguitas movetur. In Decani munere adhuc An. 1381. die 13. *Octobris* deprehendo vixiſſe *Ulricum à Sulzbach Canonicum Pragenſem* (oo) qui *Franciſcum* itidem *Canonicum Pragenſem* in eo Decanatu ſecutus fuit, & quoniam *codex anniverſariorum* refert eum obiiſſe 7. *Cal. Febr.* non adjectô Annô, puto id Annô ſequenti 1382. contigiſſe, verba Codicis ſunt: „7. Cal. Febr. Eo„dem die de Korzen dantur 13. ſe„xageſ. de ſumma miſſa pro anima „Decani Ulrici omnium Sanctorum „in commenda de Tullecz dantur 2. „ſexag. de quibus dantur 4. **Gr.** „pro officio & candelis 1. **Gr.** pro „pane pauperibus,„ (pp) ab eo igitur tempore (niſi *Ulricus* tardiùs diem ſuum obiiſſet) *Joannes* Capellam Regiam *omnium Sanctorum* Regius & ante hac *Confeſſarius & Eleemoſinarius*, velut Capituli *Decanus* curavit. Exinde putant quidam *Joannem* ejus Capellæ antea *Canonicum*, ac è numero *Magiſtrorum Collegii Carolinæ* fuiſſe, quòd nemo Decanus niſi è Capituli gremio, & in Capitulum omnino nemo, niſi è magiſtris Carolini juxta *diploma Regium CAROLI IV. cum Serie Decanorum* in notis recenſendum, aſſumi poſſet, quam rem in arbitrio cujusque relinquo. An. 1382. *Urbanus VI.* Pontifex Romanus

(nn) Zidek loc. cit.

(oo) Act. Capit. Protocoll. ad A. 1381. & ſeq.

(pp) MS. Cod. membr. Diſtrib. & Anniverſ.

nus datis ad *Wenceſlaum* literis, vehementer illum hortabatur, ut ad ſuſcipiendam imperialem coronam *Romam* veniat, ſubjungens, nè fortè longiori morâ porta aperiatur, tam ſublimem Cæſareæ Majeſtatis apicem, Teutonicæ nationi ab antiquo attributum, in gentem aliam transferendi. (qq)

(qq) Lupac. Calend. die 23. Julii.

8. An. 1383. *Wenceſlaus* Cæſar quotidie ſe deterior, ac in malitiæ barathrum feſtinans, nec finem nec modum ponit libidinibus, fidei conjugalis pene oblitus, promiſcuis fœdatur amoribus, ac inſanâ efferaſcit tyrannide. *Joanna* Regina probitate vitæ ornatiſſima malis remedium adferre ſtudioſa, id quod hactenus ſilentiô preſſerat, anxia & gemebunda palam prodit, ac Conthoralem ſuum ſecretò tamen, officii ſui commonefacit (rr). Nec ſemel contenta, ſed verba repetit, orat, atque obſecrat, quin & lachrymis obteſtatur, occaſiones vitet, mores emendet, virtutes Patris recolat, vitæ turpitudine, ſe ac Regnum ſollicitare in ruinam, incolas latrociniis, Proceres ſeditionibus diſtendi, Imperii Principes obedientiâ nutare. Suprema Patris monita revocet, quibus Rege dignas virtutes, ac illecebrarum odium altis rationibus inculcâſſet (ss). Nec hominem plebejum, minùs Regem talia decere, qui exemplo ſuo peſſimo alios quàm plurimos corrumperet. Curam adeò Regni aſſumat, ſævitiam ponat, laſciviam temperet (tt). Verbis exempla vitæ probæ adjecit, pietate, caſtimoniâ, abſtinentiâ, aliisque virtutibus deſidem viri animum ad frugem reducere intenta (uu). Preſſit *Wenceſlaus* primùm ſilentiô Conjugis hortamina, at acris, quam reliquerant, memoria torquebat admonitum, nec animus ſcelerum conſcius ſepoſuit vindictam, quam ad tempus diſſimulabat. Interea *Joanna* Mariti turpitudinibus, & calamitatibus inde enatis fatigata, Confeſſarii ſui directione potiſſimùm conſolatur, ferventes ad DEum preces, & crebra ad ſanctos indigetes vota effundens maritum cælitùs emolliri, ac ſaniora cogitare procucuraret.

(rr) Hagek. fol. 353. Sim. Flagell. ac Georg. Pontan. in hymn.

(ss) Carol. IV. in Comment. vit. ſuæ dedicat. fil. Sigiſm. & Wenceſl.

(tt) Dubrav. lib. 23. Boregk fol. 335.

(uu) Fam. Poſthum. Wenceſl. à Merſeliczin vit. fol. 29.

9. *Wenceſlaus* inter vitæ illecebras graves quodammodo oculos ad munus Regis conatus attollere, at paulò graviùs inde devolutus, Procerum, civiúmque animos, vitæ flagitiis exaſperatos demulcere ſtudet favoribus. Patris ſui virtutes ſæpiùs ad æmulandum exprobratæ, induxêre torpentem, Carolina privilegia, quibuscunque poſſet novæ confirmationis robore de certa ſcientia, quæ ſedulitatem indicaret, reſtabilire (xx). Inde *Majoris, minoris* & *novæ Urbis* aliarúmque Civitatum *Wenceslaina* diplomata, Proceribus quoque Regni multa indulſit, aut antiqua confirmavit. *Neo-Pragenſium* jura fori, ac vectigalia portarum, & inter ea jus fœni & avenæ in foro ad Eccleſiam *S. Henrici* liberè vendendorum in vernacula lingua datum legimus (yy). *Ex Aula noſtra Regali, Urbis majoris die* 8. *Menſis Februarii An.* 1383. Alias ad *Beneſſium à Liebuſſycz* aulæ regalis judicem in cauſa devolutionum ab inteſtato ad Regis Cameram. *Dat. Ex Aul. Regia. Urb. Majoris die* 4. *May An.* 1383. Item ad *Wilhelmum ab Hazmburg* in cauſa *Leopoldi ab Oſeka* officialis *Præpoſiti VViſſehradenſis. Ex aula veteri Urbis majoris die* 7. *May An.* 1383. horum quoque mentio fit in *tabulis Regni antiquis* (zz). Refert ad eundem Annum *Manlius* (aaa) ex *annalibus VVratiſlavienſibus*, *VVenceslaum*; ut negotioſus videretur, ſe etiam in Eccleſiaſtica immiſiſſe, *Pragæ* & *VViſſehradi* per ſingula templa, & cœnobia Clerum reformâſſe, in pagis etiam ſingulas inſpexiſſe paræcias, & quoscunque reperiſſet Sacerdotes concubinarios, eos *Pragæ* ad ſtatuam, in qua flagris cæduntur flagitioſi, ſtare coëgiſſe, cujus rei &

(xx) Kapihorsky hiſtor. Sedlecz. fol. 34.

(yy) Vet. Cod. MS. privilegia triurbis continens.

(zz) Tabul. Regn. Antiq. Lib. Procopii V. VIII. & S. J.

(aaa) Manl. Comment. Rer. Luſat. MS. fol. 144.

(bbb) Joach. Curæ ad A. 1383. & *Curæus* (bbb) meminit. Ipſe tamen à cæptis non remiſit, fruſtra in aliis corrigens, quod ille patrare non ceſſaret. Et hujus Anni 1383. luxus & ſegnities tanta erat, ut ad peregrinas quoque, & procul diſſitas nationes percrebreſceret. *Eliſii Calentii Amphratenſis* Poetæ exempla imprimis jocoſa ſatis ſuperque oſtendunt (ccc) Manl. ad A. 1383. (ccc) jubet *Calentius Rutilium* quemdam dies, atque noctes dormientem *Bojemiam* petere, ubi deſidiæ præmia poſita ſint, & nomen pro victoria celeberrimum. „ Ferunt (inquit) à Rege (Wenceslao) novum hominum ordinem „inſtitutum, qui ætatem omnem „in cubilibus degant, eosque re„gios deſides nominari. Electi „primùm, qui ſe ſe ultrò ei ſupplicio „addixerint, quorum mos eſt, vel „dormire perpetuò, vel ſaltem cu„bare, neque quidquam præter lin„guam, aut oculos habere, qui„bus imperent, ut neque pedem „movere neque manum niſi adjuti „poſſint, neque cervicem flectere, „aut in alterum declinare. Ciban„tur autem delicatiſſimis epulis, „abundéque victitant. Adhibiti „qui eos diligentiſſimè curent, nul„lâ unquam licentiâ ſurgendi, aut „abeundi, dum vivunt. Horum „autem, qui dormiendo cæteros ſu„peraret, Principem deſidiæ nomi„nârunt. Tu autem Rutili, ſi af„fueris, citò te principem collegii „perpetuò futurum volo. „ Hæc *Calentius* apud *citat. Manl.* quidquid demum ſit, veri non modicum ſubeſſe, ejus temporis collectanea perſuadent. Etſi *Wenceslai* nonnulli (omnes tamen hæretici, quorum ſtudiis favere per inetiam videbatur) excuſare nitantur, ùt *Curæus*, *Franciſcus Faber*, *Troilus* & alii. Erat nihilominus vitæ ſegnities, & voluptatum in eo ſtudium ultra finem, & modum. Geniales *Bacchi* ferias eodem Anno celebratas per Laconiſmum exprimit vetus ſcriptura (ddd) (ddd) In membranea theca veteris Cod. Biblioth. Capit. Prag. „An. Domini 1382. multa facta ſunt „furta & latrocinia in viis. An. „1383. Dominus Rex (Wenceslaus) tenuit in foro majori ante „carnis privium luſus per machinas, „& ſaltus & pitantias in Aula per „plures dies & noctes. „ *Pitantia* terminus barbarus compotationem denotat. Hanc unicam Regis curam neglectis cæteris, indigitat *Comeri* (qui tamen malè ibi *Carolum* vocat) ac etiam *Dubravii* narratio. *Venerat ad illum* (ait) *nuntius, arcem Wiſſehradenſem incendiô ferè totam abſumptam nuntians. Etiámne inquit cella vinaria exuſta eſt? ut incolumem audiit, ardeat inquit, vel denuò arx, totáque pereat, dummodo ſalvam nobis cellam ſiſtat cum vino noſtro Rhenano.* (eee). (eee) Dubrav. cit. lib. 23. enatæ ex ebrietatibus ferales prorſus ac barbaræ truculentiæ *autores fatigavêre ſcribendo: in vetuſtô quodam codice* (refert *Cochlæus*) *de eo ſcriptum reperio, quòd juſſerit Cocum quemdam, qui ſibi cibum petenti denegaverat, veru transfigi, & in modum aſſaturæ torreri. Et quòd canem quemdam habuerit ſibi charum & pretioſum; ob id maximè; quia mordendo invaderet, quemcunque ille digitô demonſtraret.* (fff) Confirmat Autor Coætaneus (fff) Cochl. hiſt. Huſſit. lib. 4. fol. 176. (ggg) *dicitur quadam vice Cocum ſuum qui cibos ad appetitum non paraverat, ad veru ligatum aſſari juſſiſſe. Et amâſſe Regem maximos canes, qui ad ejus pedes nocte jacebant, & ab uno eorum nocte ſurgentem Reginam ſuffocatam eſſe.* (ggg) Edmund. in Cron. magn. Belg. Quod poſtremum tamen verum non eſſe infrà oſtendemus. Nunc ad paſſionem *S. Joannis* & ſecuta inde tormenta, & martyrium arctiùs accedamus.

(o)

NOTÆ IN CAPUT VII.

B*Avaricæ domûs pietatem.* Veterana *Sereniſſimæ domûs Bavaricæ* pietas, Religio, & devotio Orbi Chriſtiano ſatis ſupérque nota eſt, nec eget meô calamô. Si DEO dedicata loca Monaſteria, Eccleſias, Sacerdotia perquirimus, ingentem reperimus Catalogum huic domui debitum.

Theodo I. Dux *Bavariæ* celebrem erexit diœceſim *Juvavienſem* ſeu *Salisburgenſem.*

Theobertus octo dotavit monaſteria.

Theodo II. fundavit *Ratisbonæ* monaſterium *S. Emerami.*

Utilo filius *Huigberti* tres itidem diœceſes, *Friſingenſem*, *Ratisbonenſem* & *Paſſavienſem* & plura monaſteria erexit. *Bruner. Annal. Boic. p.* 1. *l.* 1. & *l.* 5.

S. Henricus Imperator liberaliſſimè providit *Epiſcopatui Bambergenſi. Catholicas dedit Eccleſias quaſi mille, pauperibus viduis, ſpes, via, vita fuit. Godefrid Viterb. in Chron.* Super hæc perenne decus ac immortalis gloria per Sereniſſimam domum increſcit toti genti, eam velut fidelem *S. Matris Eccleſiæ* filiam ab omni hactenus hæreſeos labe immunem manſiſſe, nec enim in conſilio *Huſſi*, *Lutheri*, *Calvini*, *Zvvinglii* unquam abiît, aut in via Heterodoxorum ſtetit, ſed Cathedras vendentium nova dogmata viriliter ſemper evertit, conqueritur non ſinè amaritudine ipſe *Lutherus*, dum *Wilhelmum V. Bavaricæ Principem* infenſum novi Evangelii hoſtem debuccinat. Tiſch-Red von der Sünde. 9. *fol.* 99. Quotiescunque armatæ hæreſes Religioni Catholicæ negotia faceſſerant, inter primas acies hæc domus heroicè decertabat. Denique *Joanna Romanorum Auguſta*, & *Bojemiæ Regina*, *Alberti* Ducis *Bavariæ* & Comitis *Hollandiæ* è *Margaretha* filia *Ludovici I.* Ducis *Brigenſis* & *Lubenſis* filia, *S. Joanne Nepomuceno Chriſti* Martyre in Confeſſionibus ſacris uſa æviternum *Bavaricæ gentis* decus & gloria, vehementer Ducalis proſapiæ adoreas prudentiæ, continentiæ, pietatis, & ſanctimoniæ ſplendoribus inaugeſcit. Ut probè cecinerit ille, qui Martyrium Joanneum Metro Sapphico dedit An. 1702.

Im-

Imperatoris fuit hæc marita
Moribus caſtis, niveáque vita
Non vagi cordis, ſine labe fœdæ
neſcia tædæ.
Gloria Gentis nituit vetuſta
Plùs piæ mentis ſpecie venuſta
Addidit fulgur radians Avorum
ſtirps Bavarorum.

Inde & *Sanctum Joannem*, cujus manuductionibus *Joanna* ad perfectionis Chriſtianæ tam inſigne faſtigium evolaverat, tota hæc natio ſpecialiter pridem in ſuum Tutelarem & Patronum aſſumpſit & devotâ mente honoravit, & honorat, ut vix in tota provincia reperiatur Eccleſia, ubi hujus ſancti Martyris icon, aut ſtatua piè non coleretur. Libet nunc Genealogicum *Joannæ* ortum in *Sereniſſimæ domûs* perennem gloriam ſubnectere.

SYSTEMA GENEALOGICUM.

Joannæ Reginæ Wenceslai Imperatoris

Conthoralis è Bavariæ Ducibus.

Otto I. Comes à VVittelsbach. ✝1101.	Richardis.	Boleslaus Altus Dux Lignicz. & VVratislav. ✝ 1201.	II. Adelheis Conradi Suevi Imp. Conjugis ſoror.
Otto Comes à VVittelsbach ✝ 1148.	Holica à Langenfeld.	Henricus I. Barbatus Dux Sileſiæ Infer.	S. Hedvvigis.
Otto maj. Primus Dux Bavar. è domo VVittelsbach. † 1183.	Agnes Comitis Theod. à VVaſsrb. F.	Henricus II. Pius à Tartaris cœſus † 1251.	Anna Przemyslai Ottogari III. Bojem. Reg. F.
Ludovicus Dux Bavar. Palat. Rheni. †1231.	Ludmilla VVladislai II. Reg. Bojem. F. ✝1240.	Boleslaus Calvus Originarius Ducum Lignicenſium.	Hedvvigis ab Anhalt.
Otto Illuſtris Dux Bavariæ †1253.	Agnes Henrici Palat. Rheni. F. † 1262.	Henricus Craſſus Dux Lignicenſ. VVratislaviæ & Jauroviæ † 1296.	N. N.
Ludovicus Severus Dux Bav. Palat. Rheni † 1294.	III. Mechtildis Rudolphi Imp. F. ✝1304.	Boleslaus III. Dux Lignicii & Brigæ † 1342.	Margaretha VVenceslai II. Reg. Bojem. F. † 1322.
Ludovicus Bavarus Rom. Imperator. † 1347.	I. Beatrix, Henr. III. Glogov. F. I. Margaretha, VVilhelm. III. Holland.	Ludovicus Dux Brigen. & Luben. † 1396.	Hedvvigis Hen. IV. Ducis Glogov. F.
Stephanus Fibulatus, frater Alberti.	Albertus Senior Dux Bavar. & Comes Holland. † 1404.	Margaretha Duciſſa, Brigen. & Luben.	

Linea recta Ducum Bavariæ per undecim deſcendentes usque ad modernum Sereniſſimum Principem Electorem *Carolum Albertum.*	JOANNA, VVenceslai Imp. & Bojem. Regis *Uxor Prima,* † 1386. ſinè prole.	VVilhelmus Com. Holland. † 1417. Margaretha Phil. Auda. Ducis Burg. F.	Albertus † 1388.	Joannes Epiſ. Leod. † 1428.	Margaretha † 1426. Joannis Ducis Burg.	Sophia Alberti IV. Auſtr.	Cath[illegible] Edua[illegible] Duci[illegible] driæ.

Nota: *Joannam* ternis vicibus *Regum Bojemiæ* ſanguinem è Gente *Przemislæa* per fœminas participâſſe. Semel in linea *Paterna* per *Ludmillam* W*ladislai II. Regis Bojemiæ* filiam conjugem *Ludovici* Ducis *Bavariæ*. Bis in linea *materna*, velut per *Annam Przemyslai Ottogari III. Bojemiæ Regis* & *Margaretham* W*enceslai II. Regis Bojemiæ* filias. Ideò verò propter vicinitatem ſanguinis cum W*enceslao IV. Bojemiæ Rege* diſpenſatione Pontificiâ opus erat, quam ab *Urbano V. Sum. Pontifice* An. 1370. obtinuit. Etenim W*enceslaus* & *Joanna* è duabus Sororibus *Margaretha* & *Elizabetha* W*enceslai II. Regis Bojemiæ* & fundatoris monaſterii *Aulæ Regiæ* filiabus deſcenderant, & adeò in quarto gradu lineæ transverſalis mixto cum tertio ſanguine jungebantur.

De Rebus Wiſſehradenſibus plura in notis.

Pro meliori ſupra dictorum intelligentia libet de Eccleſia, & Capitulo W*iſſehradenſi* quædam fuſius commemorare.

DE FUNDATORE EXEMPTÆ ECCLESIÆ COLLEGIATÆ WISSEHRADENSIS AD PRAGAM.

EſT hæc Eccleſia in Caſtro W*iſſehrad* ad *Pragam*, quod Ducum olim, ac Regum *Bohemiæ* perpetua ſedes erat, in honorem *S. Clementis* Pontificis, & Martyris à *Borzivogio* primo *Bohemiæ* Chriſtiano Duce (qui juxta probatiores Autores Anno *Christi* 864. W*elehradii* in *Moravia* ſacrum Baptiſma ſuſcepit) Annô Chriſti 870. regiis ſumptibus ædificata, ac certô ſacerdotum numerô, ſeu cœtu, qui pro converſione gentilis plebis ſacris operaretur, ab eodem proviſa, & decorata. Imô deſtinaverat hancEccleſiam in totius *Bohemiæ* Cathedralem, nisì mors *B. Methudii* ùt obſervat *Peſſina Phoſph. Rad.* 3. *fol.* 129. interveniſſet. Eapropter maximô ſemper ſacerdotum numerô hæc Eccleſia abundàvit, ut ab ea ad reliquas *Bohemiæ* Eccleſias Coloniæ ductæ fuerint. Inde Dux *Spitigneus* An. 905. ad Eccleſiam *SS. Petri* & *Pauli* in *Budlecz*, Dux W*ratislaus* An. 912. ad Eccleſiam *S. Georgii. S.* W*enceslaus* An. 936. ad Eccleſiam *S. Viti* ſacerdotes tranſtulerunt. Celebres hìc etiam pro literarum ſtudio Ducum *Bohemiæ* ſumptibus erant ſcholæ, quarum *lib.* 13. *Erect. c.* 6. mentio habetur, in quibus & *S. Procopius* literis operam dedit, Presbyter dein præbendatus W*iſſehradenſis* Eccleſiæ, priusquam Ordinem *S. Benedicti* in monaſterio *Brzevnovienſi* profeſſus fuiſſet. Tandem primus *Bohemiæ* Rex W*ratislaus* eodem, quo ad Regium faſtigium aſcenderat, annô, nempe 1068. veterem *S. Clementis* Eccleſiam diruit, & novam in honorem *SS. Petri* & *Pauli*, nec non *S. Clementis* concepto ad DEum votô, magnis ſumptibus ædificavit. In ſummam DEI, ac SS. Apoſtolorum venerationem duodecim cophinos lapidum ad fundamenta ſuis humeris, Conſtantinum magnum imitatus, inſpectante, & mirante *Bohemia* deportavit. *MS. Pulkava fol.* 43. Locum ut celebrem redderet, Canonicorum Capitulô infulis redimitô, ac Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubjectô, cujus Præpoſitus Princeps, ac *Bohemiæ* Regni ſupremus Cancellarius perpetuò foret, exornavit. Ipſe quoque W*ratislaus* ob indefeſſum fidelitatis ſtudium Apoſtolicæ ſedi plenô corde exhibitum, *uſum mitræ* Laicis hactenus inconceſſum, ſub Divino officio obtinuit, *Baron. ad An.* 1068. & *geminas Papatûs claves* Eccleſiæ W*iſſeh-*

radenſi ad ſcutum Pontifex addidit, quòd non tantùm Ducis, quàm Epiſcopi munia (ait *Raymundus tom. 17.*) *VVratislaus* populo præſtaret. Habet igitur hoc ſuum & ſummum *VViſſehradenſis* Eccleſia, ut ſummum Pontificem, DEI in terris Vicarium, quem omnes Eccleſiæ per Orbem Caput agnoſcunt, ipſa etiam peculiariter Gubernatorem, & Rectorem agnoſcat, & à prima ſua fundatione infularum decore honorata exiſtat. Ut autem *VVratislavæ* Munificentiæ, & in Divini cultûs augmentum profuſæ largitatis ſplendor, gratæ poſterorum memoriæ omni ævô commemorandus perſeveret, Regiæ fundationis literas ex ipſo membraneo autographo (quod duplici exemplari æqualiter ſonante pro ſecuriori rei actæ conſervatione, ùt obſervat *Mabillon de Re Diplom. lib. 3. cap. 5.* in fine, providè reliquit antiquitas) fideliter excerptas hiſce damus. Aſpicum quoque ævi illius tractus in gratiam antiquitatis amatorum ad primas litteras apponimus.

In Nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis.

NOtum ſit cunctis ſanctæ Eccleſiæ filiis, eandem ſanctam Trinitatem confitentibus præſentibus ſcilicet, quam futuris:

Qualiter ego Wratizlaus dei gratia princeps et monarcha Boemorum ob spem remunerationis eterne et ob indulgenciam et absolutionem in hac vita omnium delictorum, quedam proprie ditionis in dicta iure hereditario a fidelibus et nobilibus heredibus eorum beata et absque ullius contradictione taxato precio in presentia multorum nobilium

imo veridicorum teſtium à me coëmpta absque ſolii conterminio cum omnibus ad hæc pertinentibus manſis, curtiferis territoriis, exitibus, & reditibus, vectigalibus, venationibus, piſcationibus, portibus, ſaltibus, vineis, pratis, paſcuis cultis, & incultis ad Eccleſiam *SS. Petri & Pauli*, ſanctique *Clementis* Martyris, atque Pontificis, in civitate *VViſſehrad* conſtructam manu poteſtativa in manus chariſſimi, & familiaris mei *Benedicti* ejusdem Eccleſiæ *defenſoris* & *Præpoſiti*, votô, fide, maxima devotione, ſpe vitæ æternæ contradidi, & ſigilli mei impreſſione inſignivi.

HÆc autem prædiorum atque villarum ejusdem Eccleſiæ ſunt nomina: *Zitenitz* tota villa cum vineis, & pomeriis, cujus meta à fonte, qui exit de monte *Libin*, usque ad foralem viam cum vinitoribus etiam *VViſſera*, *Straz*, *Zvvaton*, *Zvil*, *Necta*, *Gug*: *Tinecz* villa, *Jauraticzi* terra ad duo aratra. *Maleſſovvic*, de terra novem manſos. *Gotzeni* tota villa præter hoſpites Abbatis *Brzevvnovvienſis*, *Voykovici* tota villa prærer terram *ſancti Clementis* de opis. *Gagoliticz*, ſex manſos, *Kohovviticz*, de terra ad duo aratra cum *Koko* nomine *Koh vvbelce*. *Sihlicih* de terra ad duo aratra, in alia villa eodem nomine nuncupata terra ad aratrum cum vinitore nomine *Cojaticih* ab hoſpitibus per totam villam decima. *VVboleslawzee VVzkovvicih VII.* manſos, de terra cum miniſterialibus, quorum nomina ſunt iſta: *Radon*, *Zbor*, *Cekovvicih III.* manſos de terra cum Cocis. *Bezne* de terra ad tria aratra. *Lazenicze* terra ad aratrum cum fabro. *Badreh* de terra VII manſos cum vinitoribus, quorum nomina ſunt iſta: *Radon*, *Nuzeck*, *Kazka*, *Lubgoſt* habent duo Caſtra, ſcilicet *Grudim*, & *VVratizlavv*, *Janiſovicii* tota villa *Grirſi*, *nevizii* terra *Hrbok* ad duo aratra. *Naxacigore* terra ad aratrum


cum

cum Coco nomine *Odol. Setarih* terra ad aratrum cum Miniſtrale nomine *Radon. Na Necẓminie* terra ad aratrum cum Miniſterialibus, quorum nomina ſunt iſta: *Quek sobek. VVoderadeh* terra ad duo aratra cum Miniſterialibus aquariis, quotum nomina ſunt iſta: *Sbima. Bogſicih* terra ad aratrum, & Vinea cum Vinitore *Dobrota*: In Caſtro *Kaurim* Miniſteriales, qui dicuntur *Luẓe* VI. quorum nomina ſunt iſta: *Bohumil, Straẓ, Boſa, Teſen, Cimata, Martin.* Ibidem Piſtor *Juan*, *Notiſi* VIII. manſos quorum nomina ſunt iſta: *Leb, Vacena, JutrosSlugota, Sinacẓ,* terra ad IV. aratra cum lagenatiis, quorum nomina ſunt iſta: *Zdoben, Vaẓura, Slugacẓ. Pẓarih* terra ad IV. manſos cum ſcutellariis, quorum nomina ſunt iſta; *Ratibor, Goſtata, Sobata, Kriẓam*; *Leẓenior* terra ad V. aratra cum ſcutellariis IV. quorum nomina ſunt iſta: *VVrbkaicẓ,* terra ad aratrum, *Gradiſti* novem manſos cum Piſcatoribus, quorum nomina ſunt iſta: *Eẓerney, Grosnata, Zoben, Brẓemil, Rabeẓ, Budka, Dobros, Boẓteh, Nakeku, Rehen* Piſcator. *Brẓeẓacẓ* VIII. manſos, *Blagotiticẓ* terra ad aratrum cum Miniſteriali nomine *Biſek Hualah* terra VI. aratra. *Dubiẓi* terra ad duo aratra cum duobus ruſticis, quorum nomina ſunt iſta: *Neẓda, Martin. Gammaticẓ* terra ad aratrum cum figulo nomine; *VVrſſorvvichtih* terra ad aratrum cum duobus ſervis, quorum nomina ſunt iſta: *Maliska* cum fratre, *Hoſtuleh* duo ſervi, quorum nomina ſunt iſta: *Hrapa, Teſen. Bogumil*, cum omnibus hortis. *Baẓci* ad duo aratra cum duobus Cocis, quorum nomina ſunt iſta: *Teden Suoyboh*: *Lobci* terra ad III. aratra & tribus Piſcatoribus, quorum nomina ſunt iſta: *Tehan, Domagoſt, Vairrata. NaGoragnie* terra ad duo aratra cum Piſcatore *Zbud. Drahlicih, Uvval, VVoẓidinik* cum terra ad aratrum. *Kamenemoſtie* terra ad III. aratra cum Miniſterialibus, quorum nomina ſunt iſta: *Binka, Kvvietika, VVicka. Raſch* terra ad aratrum cum Miniſteriali nomine *Mareſs*; *VVogaca* Miniſterialis cum terra ad aratrum *Potlicimi* terra ad tria aratra cum Vinitoribus. *Pribiſa, Quas, VVivvca, Knoviſi* XI. manſos de terra cum Miniſterialibus, qui vulgariter dicuntur *Rudnici, Bikriſan, Ceca. Luboſinie* de terra ad ſex manſos cum vinitoribus *Orh*: *Zbor, Zamer* ibidem *Beevor, Letona* cum terra ad aratrum. *Ugercih* de terra III. aratra cum Vinitoribus *Pivona, Pac, Degnicih* de terra ad II. aratra cum tornariis *Bogdan, Prẓemil, Knaſavveẓi*, de terra ad II. aratra cum Miniſterialibus, qui dicuntur *Pomici, Hinek, Trebek, Luhucavetẓ, Bedan* ablutor veſtium. *Modriluẓeh* terra ad duo aratra cum Campanariis, *Kaſica, Hoten*: *Tineci* terra ad aratrum cum Campanariis, item cum filiis, *Crec, Otrod, Navoy, VVteſinſce, Nabrodie* de terra ad II. aratra cum Piſcatoribus *Kaka*, cum fratre. *Obrini* de terra ad duo aratra cum duobus piſcariis, qui dicuntur *Pkelnici*, *Seb* cum fratre ad Cuſtodiam. *Verigovvicẓ* de terra VII. Manſos. *Lethe* de terra ad duo aratra cum Campanariis. *Deca Lubgoſt, Ratara, Suchomaſtech* de terra ad duo aratra cum Campanariis, *Milon Slavva, Tronak. Svvinarih* terra ad aratrum cum Porcario, qui dicitur *Svvinak. Uẓdicẓ, Naẓhovie* V. manſos cum piſcatoribus *Boſce, Lethona, Milgoſt, Ceſtina. Bleſſivvecẓ* totus mons usque ad viam ibi de terra ad duo aratra. *Nabrodie* III. manſos cum piſcatoribus *Kata*, ſub ipſo monte *Tetin* ſtagnum, quod dicitur *Tona. Macropſi* duo manſos cum Piſcatoribus, *Modlata, Suma*; *Naguiviticẓ* terra ad aratrum cum piſcatoribus, *Sobata*, & fratribus ejus. *NaGolini* terra ad aratrum cum Cuſtode Eccleſiæ *Ola. Komaracẓ* terra ad aratrum cum piſcatore *Mıſka. Prannicẓe* III. manſos cum Miniſterialibus, *Chvval, Ses* cum fratribus, *Zluſak* cum fratribus; *Ninoniẓicẓ* terra

ra ad aratrum cum Caliciariis, qui dicitur *Caſnic*z*i*; *Luboſs*, *Benik*, *Kagek*. Ibidem terra *Kolue* ad aratrum. *Butovic*z*ic*z terra ad aratrum cum Caliciario *Milon*. *NaLetni* II. manſos cum Campanariis, *Stiepan*, *VVlk*. *Bubneh* VI. manſos cum cuſtodibus. *Milgoſt*, *Luba*, *Sara*, *Rados*, *Janis*. In Provincia *Boi*z*c*z *Sutic*z*h* II. manſos cum Plauſtrificibus, *Hotes*, *Raton*. *Ratileh* V. manſos cum Miniſterialibus, *Duta*, *Nadey*, *Mirata*, *Boſa*, *Boſe*. In *Satec*z, *Me*z*ica*, *Go*z*elui*, *Trebata* cum terra, *Caſnik* cum terra cum fillis. *Modlata* ferrarius cum filiis *Hotaka*, *Vat*z*eta*, qui ſolvunt ferramenta quater in anno. *Lumacicih*, *Bo*z*en*, *Pkelnie* cum terra ad aratrum. *Ugoſtac*z terra ad aratrum cum Miniſteriale nomine *Valara*. *Frninova* terra ad aratrum cum piſcatore nomine *Bo*z*ek* & filio *Budek*. In Pragenſi ſub Urbio *na*z*atone*, *Quas*, *Bogdan* *Ymbram*. *Crecetine* terra ad aratrum cum Cuſtode nomine *Klib*, Campanarii *Maluka*, *Lutos*, *Domamir* faber *Odolen*, *Caltardus*. Cuſtodes *Radovvan*, *Zbor*, *Petrata*, *Milovvii*. Sutores, *Vitkreikmci*, *Celac*; Cereviſiarii *Sopik*, *Seſur*, *Caſtan*. Kukularii, *Maliſa Zkorat*, *Driſet*z*i Zlabik*, *Scoroc*z*ka*, *Modlibogh Be*z*died*, *Bo*z*ata*. Fabri, *Mac*z*ek*, *Krec*z, *VVavvick*, *Bohumil*. Piſtores, *Quaſſek*, *Radovan*, *Palic*z*ka*, *Gro*z*nata*, *Biſek*, *Neſata*, *Pivona*, *VVratir*, *Rak*. Sylvas etiam addidi *Lubicas*, *Ba*z*ci*, *Reſetar*z*ih*, *ohvoyne*, usque ad viam & portus tres; *Nacitavie*, *Gogolit*z*ic*z, *Lumih*; decimam marcam de tributo per totam Bohemiam etiam *Zedlicih*; *Budiſinie* decima urna ultra montem *Oſce* decima urna de melle in omni Juſtitia Meſſariorum decima. De ſalutationibus decima, de pellibus Caprinis decimam, de Cereviſiariis decimam. Decimus Meſſor, decimus fœniſeca. In provincia *VVltavienſi* decimus denarius de venditione, *Brachatic*z*ii* via in omni juſtitia, à VVillico Pragenſe de venditione decimus denarius. In provincia *Tethinenſi* de venditione decimus denarius. In Provincia *Kamenc*z*enſi* de venditione decimus denarius. In via *Golotilenſi* de telonio octavus denarius. *Natreſtenic*z*i*, de decem lapidibus ſalis, duo lapides, decimus panis, piſcis ſecundus, de omni Juſtitia partem decimam, de Omulo per totam terram, qui pertinet ad Ducem. Tertia urna de Apibus ductricis ultra montem *Oſſek*, de uno quoque Caſtro ab avia menſale unum, & manuterium, unum omni anno. A Villico Pragenſe de Meſſoribus *Netolicenſibus*, & *Dutlebenſibus* Præpoſito decima ovis. In Feſto *Pentecoſten* Ancilla, ſive ſexingenti, in Feſto *S. Benedicti* bos, in Feſto *SS. M. M. Georgii* atque *Adalberti* bos, in Feſto *S. VVenceslai* ab Agazone poledrum, de avena XV. modii de frumento XIX. modii, à Celerario de melle in voto XVII. urnæ, *Zagradnego* XVI. *Okau*; ſuper hoc autem Pragenſis Epiſcopus ducentos homines, & Olomucenſis verò centum, in decima fratribus Regis præſentibus, *Conrado* videlicet, & *Ottone*, eidem Eccleſiæ perpetuô jure devoverunt. Ut autem datis ordinatio competentiùs rata ſervaretur, æquum duxi, fratribus meis præfatis laudabiliter, aſſentientibus, cæteríſque tam *Bohemiæ*, quàm *Moraviæ* Principibus ſuper memoratum templum Beati *Petri* Principis Apoſtolorum, cunctíſque ſuæ Cathedræ ſucceſſoribus patrocinio muniminique commendare. Propter quod etiam de eadem Eccleſia XII. Marcas ſingulis annis ad pedes univerſalis Papæ à *Paſcha* usque ad *Aſcenſionem* Domini de moneta noſtræ Provinciæ ſtatuimus offerendas. Ad hujus igitur laudabiliter noſtri operis ſuprà memorati confirmationem, teſtimonium adhibuimus Virorum Venerabilium, Domini videlicet *Joannis Tuſculanenſis* Epiſcopi, & Cardinalis Domini etiam *Egilberti Trevirenſis* Arahiepiſcopi, à quo ſimul & unctionem Regalis Conſecrationis accepi, Domini quoque *Pragenſis* Epiſcopi videlicet *Jaromiri*, & Domini *Olomu-*

cenſis

cenſis Epiſcopi *VVeczelonis*, & *Miſnenſis* Epiſcopi Domini *Bennonis*, qui Authoritate DEI, & Beati *Petri* & *Pauli* Principum Apoſtolorum, & ſanctorum Martyrum *Viti*, *VVenceslai* atque *Adalberti*, nec non & omnium Sanctorum, juſſuque Apoſtolicæ ſedis inſtructi ſub Anathematis vinculo quoslibet noſtræ Inſtitutionis quoquo modo immutatores ſive deſtructores fortè emerſuros cum cæteris membris Diaboli innodatas damnaverunt A M D Y.



Circum Inſcriptio

Wratislaus DEI Gratia Rex Bohemiæ.

Regiam *Wratislai* fundationem autoritate Apoſtolicâ acceptavit, ac formavit An. 1040. *Alexander II.* Rom. Pontifex, ac Eccleſiam *Wiſſehradenſem* ſacroſanctam, ac Provinciæ caput appellari ſancivit, concedens Capitulo uſum infulæ & pontificalium. De quo coëtaneum *Cuſmam* Decanum *Pragenſem Chron. Boem. lib. 2.* audiamus.

„ Annô Dominicæ Incarnatio-
„ nis *M*LXX. Dux Wratislaus in mo-
„ ribus DEO charus, & hominibus,
„ nec non in rebus bellicis miles
„ præclarus inſpiratione Divinâ
„ commonitus monaſterium „ (ità eo tempore domus Canonicorum vocabatur) „ in Metropoli Bohe-
„ miæ urbe Wiſſehrad vocata, quæ
„ omnium terræ illius civitatum
„ quaſì mater & domina eſt, DEO
„ juvante conſtruendum piâ mente
„ propoſuit, ad cujus propoſiti effi-
„ cientiam non mediocri animô,
„ conſilia pertractans, dignum du-
„ xit, quatenus monaſterium, quod
„ gratiâ DEI cooperante conficien-
„ dum devotè promiſerat, S. Roma-
„ næ Eccleſiæ Pontifici regendum,
„ omnique ab adverſitate diligenter
„ protegendum, ſimul cum Cano-
„ nicis ejusdem Eccleſiæ commen-
„ daret. Igitur Petrus Eccleſiæ S.
„ Georgii Præpoſitus Romam miſſus,
„ devota nuntia ſui Ducis Domino
„ Apoſtolico fideliter inſinuavit.
„ Quô auditô Venerabilis Papa Ale-
„ xander II. DEO gratias pro tam fe-
„ lici præfati Principis deſiderio re-
„ tulit, móxque Synodum convo-
„ cavit, in qua LXXII. Epiſcopi
„ fuerunt. Quibus poſtquam omnia
„ prædicti Ducis verba recitavit, cun-
„ cti unanimi corde, & voce glori-
„ ficantes DEum, qui S. ſuam Ec-
„ cleſiam in toto Orbe terrarum
„ dilatare non ceſſat: Reſponderunt:
„ Amen. Dominus ergò Papa,
„ Petrum Præpoſitum Domino ſuo
„ cum Privilegio in hæc verba re-
„ miſit.

ALEXANDER, Servus Servorum DEI, urbis *Romæ* Epiſcopis, & Papis ſuis Succeſſoribus, nec non Catholicis Epiſcopis, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ ſubjectis cunctis utriúsque vitæ proſperitatem, & Apoſtolicam Benedictionem à ſummo DEO cum omnibus Sanctis.

EA, quæ Dominus DEus ſuam per Clementiam ad Augmentum Apoſtolicæ ſedis condonare dignatus eſt, ad agntionem omnigenarum linguarum hoc ſub Chirographo propagari volumus, primum quidem Miſericordiam DEI ſuper nos diffuſam liquidè annuntiamus.

Bohemorum Dux WRATISLAUS vir Chriſtianus, fidei integerrimus amator, rebus in bellicis magnificus triumphator, quod ſereniſſimè ubique terrarum claruit, limina Apoſtolorum Petri, & Pauli honeſtos per nuntios quotidie viſitans, Nos, cæterosque in DEI ſervitio devotiſſimos omni beneficio non minimè præteriens, piæ mentis devotione innotuit. *Multa ante tempora votum DEO vovi, quod adhuc nequaquàm implevi,* Eccleſiam in honorem Salvatoris noſtri, cujus ubique protectione munitus, Veſtræ pietatis auxilio ædificare cupio. Dictis talibus auditis, Pontificalis apex, ut accreſceret, ſanctorum Patrum numerò ſeptuaginta duorum communi Conſilio, penitus collaudamus. Igitur ad hæc perficienda *Joannem* Epiſcopum *Tuſculanenſem*, fundamentum dare miſimus, cujus in præſentia ipſe præfatus *Dux cophinos terrâ onuſtos, duodecim propriis humeris portare videbatur.* Locus ergò, in quo erecta, *Wiſſehrada* cognominatur, quod ſonat liberaliter: *Altior Civitatibus.*

Quam *ſacroſanctam* Eccleſiam, totius *Provinciæ Caput* dici, venerari ſanximus, prædiis, mancipiis, Aurô, Argentò, cæteriſque ornamentis decenter ditatam comperimus, Epiſcopi ejus ſub Dominio ſuis de decimis trecentos homines ad eandem Eccleſiam ſegregaverunt. *Præſul Pragenſis ducentos, Olomucenſis centum* fratrum ſuorum *Conradi*, & *Ottonis* conſenſu. Hoc itidem aſylum tutamini beati *Petri* Principis Apoſtolorum, cunctiſque in ejus ſede ſeſſuris, firmiter commendavit. *Marcas XII.* de eadem Eccleſia ad pedes Univerſalis Papæ, quicunque erit, omni Annô offerendas ſub *Chriſti* teſtimonio deſtinavit.

Hujus vero conditionis gratiâ *cunctis celſior in eadem Regione, ut videretur Eccleſiis*, qualicunque apparamentô *ſeptem Cardinales* altari ſancti *Petri* miniſtrare ſtudent *Mitrâ, Sandaliis*; ſimilî modô ipſis Eccleſiæ *Præpoſitum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum* incedere præcipimus. Laudes, quas ſub Diademate ſtatutis diebus proclamare ſolemus, ſolummodò in iſta Eccleſia adſtante *Duce*, ſumma diligentia *Chriſtum* collaudare permittimus.

Chryſma baptizandi, conſecrationem Clericorum, Epiſcopus loci illius, invidia Diaboli attactus abnegare ſi præſumpſerit, Noſtri decreti judicio apud quemlibet Epiſcopum inveniat & accipiat. Nemine autem præpediente omnem injuriam in Romana Synodo liberè proclamet.

Scripta iſtarum literarum Sigillô impreſsô *ſupra venerandum Corpus Beati Petri Apoſtoli poſuimus*, maximè ea pro cauſa; ut ſi quis DEI inimicus, mandatorúmque ejus contemptor hoc divellere voluerit, ſciat ſe ab omnipotenti DEO in perpetuum condemnatum, ac cum Cœtibus Sanctorum nil commune fore, ſed cum Diabolo inextinguibibili gehennæ

hennæ incendio æternaliter concremari.

Data hæc in manus *Petri* Præpoſiti *Sanćti Georgii* in Palatio Lateranenſi ſub *Henrico* Rege filio *Henrici* Glorioſiſſimi Imperatoris VII. *Idûs May.*

Quidam in hac bulla legunt *ſeptem Candelabris*, ſed malè, nam *Alexander II.* idem privilegium mitræ, & Pontificalium conceſſit etiam Canonicis Eccleſiæ *Lucenſis B. Martino* dicatæ & *Paſchalis II.* Canonicis Eccleſiæ *Compoſtellanæ*, ubi utrobique ſeptem Canonicos, quos *Cardinales* in bullis vocant, inſtituunt, qui veſtibus purpureis, mitris, & ſandaliis ſub divino officio utantur. *Guil. Burius in Brev. Notit. Rom. Pontif.*

Hic eſt coloſſus regiæ pietatis, religionis, fidei, Divini cultûs, quem W*ratislaus* primus *Bohemiæ* Rex regalibus ſumptibus DEO omnipotenti & SS. Apoſtolorum Principibus *Petro* & *Paulo* in Regia ſua ſede *VViſſehradi* extruxit *ſacroſancta* videlicet *Regia*, *exempta* & *nullius Diœceſis Eccleſia Collegiata VViſſehradenſis*, pro qua ex univerſa *Bohemiæ* Provincia dona collegit, Romanam quoque *S. Petri* Cathedram annuô *XII. Marcarum argenti* munere honoravit. Sed eheu! inſigne hoc Catholicæ Religionis decus, Huſſiticæ hæreſeos furor maximâ parte delevit. Interea tamen regio fundatori æviterna manet memoria, quam gratô mentis affectu per cuncta ſemper ſæcula celebrabit *Bohemia*. Obiît piè in Domino *VVratislaus* in aula Regali ſua *VViſſehradenſi*, juxta autorem coevum in appendice ad *S. Adalberti* vitam An. 1093. Juxta *Coſmam* verò, & *Pulkavam* An. 1092. „ An. „ Dom. MXCII. die XVIIII. Ca„lendas Februarii (inquit Pulkava „ MS. Hiſt. Bohem. fol. 47.) Sere„niſſimus VVratislaus Regalibus in„ſiſtens agendis febre corripitur, & „viribus conſumptis in totum poſt „multa opera magnifica vocatus à „Domino mortem ſubiît, & in „VViſſehradenſi ſuæ fundationis „Eccleſia ſecundùm morem regium „ſepelitur; quem per multa tempo„ra planxit Regnum Bohemiæ dolo„roſiſſimis lamentis. „ Errant *Urſpergenſis* & *Marianus*, qui equo in venatione obtritum ſcripsêre, confundentes *VVratislai II.* filii obitum cum obitu *VVratislai I.* parentis; ita enim habet epitaphium in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi VVratislai filii*: „ Wratislaus Dux Primogenitus „ VVratislai primi Ducis Bohemiæ „ex Adelhaida Regis Pannoniæ ſo„rore, occiſus prope villam ſtamà „in venatione A. D. MCC. hîc ſe„pultus.

Ex his fundationis literis eruitur: Primò multùm erràſſe *Pulkavam*, & qui eum ſecuti ſunt, *Hagek Chron. Bohem. fol.* 141. *Dubráv. lib. 9. Boregk Chron. fol. 99.*

VViſſehradenſem Eccleſiam ex diſſidio fratrum ortum accepiſſe, quaſi *VVratislaus* Rex fratri ſuo *Jaromiro* Epiſcopo *Pragenſi* ſibi inſultanti per Præpoſitum *VViſſehradenſem* Principem, & ſupremum Cancellarium æmulationem excitare, & Eccleſiam *VViſſehradenſem Pragenſi* opponere cogitaſſet. Verùm ſuſpicio veritatis exſors liquet; quia ipſe quoque Epiſcopus *Pragenſis Jaromirus* ad hanc *VViſſehradenſem* fundationem contulit in verbis: „ Super hoc au„tem Pragenſis Epiſcopus ducen„tos homines, & Olomucenſis ve„rò centum in decima &c. eidem „Eccleſiæ perpetuô jure devove„runt. Quod certè non feciſſet, ſi in ſui contemptum fieri arbitratus fuiſſet. Sed & ipſe Pontifex *Alexander II.* fatetur in ſuis ſuprà recenſitis literis *VVratislaum* non alia de cauſa, quàm ex voto ad DEum concepto Eccleſiam *VViſſehradenſem* fundàſſe; ubi *VVratislai* verba refert: „ Multa

„ante tempora votum DEO vovi, „quod adhuc nequaquam inplevi; „Eccleſiam in honorem Salvatoris „noſtri, cujus ubique protectione „munitus, veſtræ pietatis auxiliô „ædificare cupio.„ Et *Coſmas* ſuprà citatus teſtatur: „inſpiratione Divi„nâ commonitus monaſterium in „MetropoliBohemiæ urbe Wiſſeh„rad vocata, quæ omnium terræ il„lius civitatum quaſi mater, & do„mina eſt, DEO juvante conſtruen„dum piâ mente propoſuit.

2. Eodem, quo VV*ratislaus* in Regem *Bohemiæ* coronatus fuerat anno, Eccleſiam VV*iſſehradenſem* fundatam fuiſſe, in verbis: „ad hujus igi„tur laudabiliter noſtri operis ſuprà „memorati confirmationem teſti„monium Virorum Venerabilium „Domini videlicet Joannis Tuſcula„nenſis Epiſcopi & Cardinalis Do„mini etiam Egilberti Trevirenſis „Archiepiſcopi, A QUO SIMUL „ET UNCTIONEM REGALIS „CONSECRATIONIS ACCEPI, ubi *Egilbertus* Archiepiſcopus *Trevirenſis* eodem annô refertur fuiſſe litterarum fundatæ Eccleſiæ VV*iſſehradenſis* teſtis, & ſimul Regalis conſecrationis unctor. Sicut autem de anno Coronationis inter Autores eſt diſſidium, *Pulkava fol.* 40. & ex eo *Hagek fol.* 139. VV*elesl. Calend. Hiſt. fol.* 325. *Lupac. Cal. Hiſtor. die* 15. *Jul. Cruger. Cal. Hiſtor. die* 15. *Junii. Balbin. Epit. Rer. Boh. lib.* 3. *cap.* 8. hi omnes Regiæ Coronationi VV*ratislai* aſſignant Annum 1086. *Fabric. in Miſnicis lib.* 1. Annum 1077. Alii alium ponunt. Ita etiam de anno fundatæ Eccleſiæ VV*iſſehradenſis* inter eosdem non convenit. *Coſmas lib.* 2. *Chron.* habet Annum 1070. *Pulkava Chron. Bohem. fol.* 43. & cum eo *Hagek. fol.* 141. Annum 1088. & alii iterum alium; *Cruger. Calend. Hiſtor. die* 15. *Junii* An. 1086. Mea ſententia eſt, quam etiam tenet *Peſſina Marte Morav. lib.* 3. *cap.* 2. *fol.* 266. Eccleſiam W*iſſehradenſem* non An. 1086. ſed octodecim annis citiùs nempe An. 1068. fundatam fuiſſe, ut per tranſpoſitionem cyphrarum, octavam cyphram ſextæ præponendo ab incuriis literarum ſcribis ad veterum manuſcripta error invectus fuiſſe videatur. Nam cùm *Alexander II.* ùt ſuprà viſum, fundationem Eccleſiæ W*iſſehradenſis* A. D. 1070. confirmaverit, & idem Pontifex A. D. 1073. in *Aprili* mortuus ſit, non potuit eandem fundationem nondum exiſtentem velut juxta citatos Autores primùm poſt obitum dicti Pontificis nempe A. D. 1086. erectam confirmâſſe, cùm non entis nullæ ſunt qualitates. Inventô igitur anno fundationis Eccleſiæ W*iſſehradenſis* etiam facilè eruitur annus Regiæ coronationis W*ratislai I.* quæ eodem annô contigit, ut habent literæ fundationis ſuprà recenſitæ. Quia referunt *Egilbertum* eodem annô, quo teſtis adfuit fundationi *VViſſehradenſi*, etiam unxiſſe *VVratislaum* in primum *Bohemiæ* Regem, translatâ videlicet regiâ dignitate à *Moravis* ad *Bohemos*; fuit ergò *VVratislaus* Rex inunctus & coronatus A. D. 1068.

DE BENEFACTORIBUS ECCLESIÆ WISSEHRADENSIS VELUT, DUCIBUS, REGIBUS, BOHEMIÆ.

POſt *VVratislaum* Fundatorem alii deinde etiam Duces, & Reges *Bohemiæ* Eccleſiam *VViſſehradenſem* maximis gratiis privilegiis, donis, elargitionibus honorârunt & ditârunt. *Sobieslaus I. VVratislai* fundatoris filius Eccleſiam, & domos Canonicorum ornat, Decano Capituli portionem duplam aſſignat, & tres Canonicatus fundat, naulum & decimam marcam de annuo tributo in variis civitatibus conſtituit. Et Pomerium

merium in ſuburbio, ubi æſtivo tempore Canonici ſpatiari poſſint, aſſignat, & donat. „Et ut ea„ (finit literas in originali membraneo à me lectas) quæ ſtatui, & in præſenti „charta ſcribi juſſi, nullum finem „habeant, & ſuper Altare & „reliquias SS. Petri & Pauli ſigilli „mei impreſſione confirmo, ea ma„ximè pro cauſa, ut ſi qui rei inimi„cus, mandatorúmque ejus con„temptor hoc divellere voluerit, „ſciat ſe ab omnipotenti DEO in „perpetuum condemnatum, & cum „cæteris Sanctorum nihil commune „habiturum, ſed cum Diabolo ſuo „deceptore inextinguibilis gehen„næ incendio æternaliter concre„mandum. Anno ab Incarnatione „Domini MCXXX. ſunt hæc acta „ſub Lothario Rege Teutonicorum „ejusdem nominis tertio, ſub Chri„ſtianiſſimo Duce Sobieslao filio „Regis VVratislai nonodecimo „Monarcha Bohemorum, ex quo „Chriſtianitas in Bohemia - - „exordium. His teſtibus præſenti„bus Meginardo Pragenſi decimo „Præſule, Zdicone ſeptimo Olo„mucenſi, qui Apoſtolicâ auto„ritate hoc decretum confir„marunt. Joanne ejusdem Eccle„ſiæ Præpoſito.„ Sigillum pendens cereum in una parte figuram *S.* VV*enceslai* cum inſcriptione: *Sanctus* VV*enceslaus.* In altera figuram Ducis vexillum manu tenentis, cum inſcriptione: *Sobieslaus DEI gratiâ Bohemorum Dux*, continet.

Sobieslaus II. Princeps *Bohemiæ* filius *Sobieslai I.* fundat quinque Canonicatus in Eccleſia VV*iſſehradenſi*, & donat Capellam *S. Laurentii* in monte *Petrzino* propè *Pragam* cum omnibus apertinentibus ad ſolvendum per ſingulos annos Romano Pontifici cenſum ſcilicet à Paſcha XII. marcas *Bohemicæ* monetæ, usque ad aſcenſionem. Dat Canonicis VV*iſſehradenſibus* annuè ex villa *Slivnicz* 4000. denariorum Telonium ſub *Podvin*, duo aratra cum vinea in *Modrzan*. *Czernovicii* 70. jugera, VV*iſſegorevicii* & *Chulmſao* aratra & cenſus, & donat totum montem, *Pſar* vocatum, ad vineam faciendam cum hortis, qui ſub eodem monte fuerunt quondam prata. *Hæc omnia ſuprà dicta* (verba ex membraneo originali recito) *confirmata ſunt anathemate Epiſcopi Friderici Pragenſis & Tedlevi Epiſcopi Moravienſis, ut nullus ſucceſſorum meorum aliquid imminuat, vel impediat de ſuprà dictis. Annô Dominicæ Incarnationis MCLXXVIII. Indictione XI. Epacta nulla, concurrens VI. Datum per manus Domini Gervaſii Cancellarii, & Præpoſiti ejusdem Eccleſiæ* VV*iſſehradenſis.*

Fridericus Dux *Bohemiæ*, qui ob venditum pagum *Svvrczovicze* ad Eccleſiam VV*iſſehradenſem* pertinentem noctu à *S. Petro* fuit flagellatus, de quo ſuprà *cap.* 4. in notis actum. Donat Capitulo collectas *Svvod*, *Hnarod*, *Hlava*, & varias indulget facultates. Circuitum *S. Martini*, quem contulit avia ejus Regina *Svvatavva*, *S. Petro* confirmat. Et ut omnia ſupradicta (ex membraneo originali) „ſtabilia maneant, & „non mutabilia nunc & in perpe„tuum, cum charta & ſigillo meo „confirmo, An. Dom. Incarnatio„nis MCLXXXVII. Indictione VI. „Ego Fridericus DEI Gratia Bohe„morum Dux, dedi donationem „iſtam, ut ſuprà dictum eſt, & „confirmavi præſentibus fratribus „meis, Przemysl, VVladislao, & „Floriano Præpoſito VViſſehra„denſi, Radoſta Præpoſito Lito„miericenſi, Alexandro Magiſtro „& Cancellario, ſupani, Bugoſa „Lætario Camerario, Joanne Ju„dice Magiſtro Dapifero, Zezy„ma Pincerna, Henrico Agalone, „Ratiboro Caſtellano Pragenſi, „Slaviboro Prædota, Hermano „Marquardo, Bugota Caſtellano „de Bilina, Stephano, & Geor„gio Caſtellanis de Netolicz, „Divislao cum fratre Rücz.

Przemyslaus Ottogarus III. Bohemiæ Rex ſummus amator Eccleſiæ *Wiſſehradenſis*, qui à rota verſatili, qua Ratisbonæ victûs parandi gratiâ lapides in ædificium Eccleſiæ trahebat, ad Ducatum elevatus fuit, confirmat fundationem *Wratislai II.* & aliorum anteceſſorum, & tertium denarium ſub *Devvin*, montem *Pſar*, *Nusle Michel*, & alia plura donat Eccleſiæ *Wiſſehradenſi* Capellam *S. Clementis* cum omnibus pratis, ſylvis, villis. Item *Zabradkam*, & totum illum circuitum cum villis, pratis, ſylvis, quem filii ejus *Wenceslaus* & *VVladislaus* circumeundo dimetiri debebant, donat ex propria liberalitate Aream Nauli in *Podol* ſub rupe montis *VViſſehrad*. „Si quis inimi„cus DEI„ (ex membraneo originali) „aliquid inde imminuere „voluerit, ultricibus flammis æter„ni ſupplicii deputetur cum Juda & „Diabolo damnandus in æternum, „& ultrà. Facta eſt autem hæc do„natio tertii denarii de naulo in Cæ„na Domini ad Altare S. Viti: „Epiſcopo Pragenſi Daniele Chri„ſma conſecrante; & Domino Rege „ibidem miſſam audiente. Sub „his teſtibus Magno Slavcone, Cy„rino Camerario, Bohuslao Sub„Camerario; Budivoy Slavata fi„lio Drslay, Beneſs filio Hermani, „Marquardo fratre ejus, Jaroſs „VVilhelmo, Zbrslao, Henrico „filio VVitkonis, VVitkone filio „ejus, Martino Blazeg forenſi Judice „Bernardo Judice Reginæ, Zudone „Caſtellano VViſſehradenſi, Bo„huslao de Praga. Canonicis „Pragenſibus: Andrea Præpoſito „& Cancellario, Arnoldo Decano, „VValkino, Joanne Magiſtro, Bo„huslao, Laurentio, Benedicto „Notario, Przibislao, Martino; „Acta ſunt autem hæc Annô Domi„nicæ Incarnationis MCCXII. In„dictione XIV. Epacta IV. Menſe „Aprilis.

VVenceslaus hujus nominis I. Rex *Bohemorum.* IV. *Ottogarus Luſcus Przemyslai Ottogari* filius, confirmat & renovat privilegia anteceſſorum *VVratislai*, *Sobieslai.* Dat capellam *S. Laurentii* in monte *Petrlno* Capitulo, & villam *Hodkovicz.* „Datum „in caſtello Krutoplat An. Dom. „MCCXLV. Anno verò Regni „noſtri XVIII. Datum per manum „Dionyſii tempore Philippi nepotis „noſtri Præpoſiti Wiſſehradenſis „aulæ noſtræ Cancellarii Menſe „Aprili, Anno & loco præſcriptis.

Przemyslaus Ottogarus hujus nominis II. *Bohemiæ* Rex V. liberaliſſimus in Eccleſiam *VViſſehradenſem*, cujus Epitaphium legitur in Eccleſia Metropolitana Pragenſi: „A. D. „MCCLXXVIII. in die B. Rufi obiit „in bello Sereniſſimus Princeps „Przemysl, qui & Ottogarus Rex „Bohemiæ quintus Marchio Mora„viæ, Auſtriæ, Carinthiæ, & Sty„riæ, Dux Carnioliæ, portus Nao„nis, & primus Egræ terrarum Do„minus, hic ſepultus.„ Donat „Capellam in *Zlichovv*, confirmat privilegia Eccleſiæ: „& maximè illa „egregia munimenta„ (ex originali membraneo ſcribo) „quibus à „VVratislao primo Rege Bohemiæ „& Sobieslao nato ipſius fundato„rum ipſius Eccleſiæ, in qua iidem „corporaliter requieſcunt, & ma„ximâ qua diligentiâ renovatio„nem & confirmationem VVences„lai IV. Bohemiæ Regis Magnifici „Paris noſtri, eorundem privile„diorum in noſtris præcordiis fo„veamus. Datum Annô Dom. „MCCLI. per manus Arnoldi No„tarii aulæ noſtræ.„ Confirmat donationem *Sobieslai.*

Ottogarus DEI Gratiâ quintus *Bohemiæ* Rex, „dilectis fratribus „ſuis Præpoſito & Capitulo VViſ„ſehradenſi eorumque legitimis „ſucceſſoribus in perpetuum.„ Et infrà. „Licèt poſt reſurrectionem „ſuam Chriſtus ſuis parem dederit

uni-

„univerſis diſcipulis poteſtatem, Pe-„tro tamen præ omnibus ex illo ge-„nerali privilegio: quodcunque in „terris ligaveris, erit & ligatum in „Cœlis, inſigniorem tradidiſſe no-„ſcitur poteſtatem. „ Deinde, „ſanè fervore debitæ devotionis „accenſi, & ad inſtantiam chariſſimi „ac familiaris noſtri, Venerabilis „Wiſſehradenſis Præpoſiti Magiſtri „Petri inclinati, privilegia Eccleſiæ „noſtræ à noſtris anteceſſoribus piè „& religiosè compenſatione divinæ „retributionis indulta, quæ vetu-„ſtate ſuperveniente nimiam con-„ſumptionem minari videntur, au-„toritate regiâ duximus innovan-„da &c. Datum in Caſtro Pragen-„ſi M CC LXVIII. Indict. XI. „Epact. I. Concurrens VII. Da-„tum per manum Magiſtri Petri Wiſ-„ſehradenſis Præpoſiti Cancellarii „Regni Bohemiæ I. Nonas Martii. „Teſtes autem, qui tunc aderant, ſunt „Andreas Camerarius Bohemiæ, „Ulricus Burggravius Pragenſis, „Jaroſſius Burggravius Egrenſis, „Gallus Pincerna Regis. „ Ex originali membraneo. Liberat ho-mines Præpoſituræ, ut in *Litomiericz*, non citentur ad judicia, & balneum ante muros Litomericenſis civitatis in fundo præpoſituræ locatum non ſit in præjudicium Præpoſiti.

Ottogarus DEI Gratia Rex *Bohe-morum.* „Sanè magnæ & felicis re-„cordationis Dominus Wratislaus „glorioſus Bohemorum Rex & alii „noſtri progenitores Eccleſiam „Wiſſehradenſem, quæ noſtræ cu-„riæ ſpecialis eſt Cancellaria, pari-„ter Capella, multis poſſeſſionum, „& variis libertatum inſigniis deco-„rarunt &c. „Datum in Litome-„ricz in die Beati Galli per manus „Præpoſiti & Cancellari Regni no-„ſtri An. Dom. MCC LXXVII. „ Ex originali membraneo.

Confirmat omnes libertates & donationes per ſuos anteceſſores Ec-cleſiæ *VViſſehradenſi* factas, & addit donationes novas in *Bukovvska Peska*, *Prachen* & *Daudleb* Eccleſiæ *VViſſehra-denſi* (ex original. membr.) „quæ „eſt Capella noſtræ Regiæ Magnifi-„centiæ ſpecialis, ad quam etiam „Cancellariæ noſtræ officium à lon-„gè retro actis Prædeceſſorum no-„ſtrorum temporibus eſt annexum, „præſertim cùm ibidem per perſo-„nas laudabiles, qui Domino mili-„tant, in eodem divini cultus, atque „alia charitatis opera, quibus tan-„quam gradibus aſcenſionis ad veri „Salomonis reclinatorium ſalubriter „ſcanditur, & Sancta Mater Eccle-„ſia in filiorum operibus delectatur „ſtudioſiùs, devotiùs peragantur, „uberioris gratiam impertimur &c. „Hujus teſtes ſunt: Andreas Came-„rarius Bohemiæ, Ulricus Burg-„gravius Pragenſis, Jaroslaus Burg-„gravius Egrenſis, Jaroslaus frater „Galli, Burchardus Marſchallus „Bavarus filius Bavari, Ulricus de „nova domo Camerarius, Gallus „Pincerna, VVilhelmus de Frim-„berth &c. Acta ſunt hæc Pragæ „Annò Domini M CC LXVIII. „XII. Calend. Decembr. Indict. XI. „Coronationis verò noſtræ Divinâ „clementiâ annô VII. Datum ibi-„dem per manus dilectorum nobis „Magiſtrorum, Petri Venerabilis „VViſſehradenſis Præpoſiti Cancel-„larii Regni noſtri, & Ulrici Proto-„Notarii Auſtriæ & Styriæ.

VVenceslaus II. ejus nominis co-gnomento *ſanctus* Rex *Bohemiæ* VI. fundator *Aulæ Regiæ Ciſtercienſis* Ordi-nis confirmat permutationem de *Pruchaticz* & *Zitenicz* inter Præpoſi-tum & Capitulum *VViſſehradenſe.* „Nos VVenceslaus DEI Gratia Rex „Bohemiæ, & Marchio Moraviæ, no-„tum facimus univerſis, tam præ-„ſentibus quam futuris, quod Viri „honorabiles Domini Petrus Præ-„poſitus, Bartholomæus Decanus, „Boliuslaus Cuſtos, Joannes Scho-„laſticus, totumque Capitulum VViſ-„ſehra-

„ ſehradenſis Eccleſiæ in Caſtro Pragenſi in noſtra præſentia conſtituti „ declaraverint nobis &c. Datum „ Pragæ per manus Magiſtri Weleslai, Pragenſis Olomucenſis, & „ Wiſſehradenſis Canonici Proto-„ Notarii Regni noſtri. Anno „ M CC LXXX. V. Calend. Octobr. „ XIV. Indict.

Joannes I. Rex *Bohemiæ*, Comes *Lucenburgicus*, ampliat domos Canonicorum in *Wiſſehrad*, donat ſuam curiam Regalem Decano, & ſeptuaginta agrorum laneos prope *Plſnam* Præpoſito. „ Nos Joannes DEI „ Gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex, „ Lucemburgenſis Comes Marchio-„ que Budiſinenſis Dominus. No-„ tum facimus univerſis, præſentes „ Literas inſpecturis, quod quid-„ quid ſuperfluum, vel excrevit de „ agris in Laneis menſuratis ad Ci-„ vitatem noſtram Plſnenſem, juxta „ convenientiam privilegiorum Re-„ galium Prædeceſſores noſtros „ quondam Reges Bohemiæ ſuper „ locatione dictæ civitatis, & ejus „ juribus ipſius civitatis civibus con-„ ceſſorum, hoc totum Venerabili „ Joanni Wiſſehradenſi Præpoſito „ regni noſtri Bohemiæ Cancellario „ Principi noſtro dilecto, pro de-„ bitis, in quibus ſibi tenemur, da-„ mus & confirmamus &c. Datum „ Pragæ V. Calend. Januarii A. D. „ M CCC XI. Regnorum noſtro-„ rum annô primô.

Carolus IV. Roman. Imper. & Bohem. Rex. An. M CCC LII. *Wenceslaus Rom. Imp.* An. M CCC LXXXVI. *Wladislaus Boh. Rex* A. MCCCCXCIII. *Ferdinandus I Rom. Imp.* A. MDXXVIII. *Wiſſehradenſis* Eccleſiæ & Capituli omnia privilegia, & libertates confirmârunt, & *VVladislaus* Rex An. M D XI. montem *VViſſehradenſem* Decano & Capitulo bellorum Huſſiticorum injuria abalienatum Majeſtatibus literis die Jovis *S. Dorotheæ Budeæ* in *Hungaria* datis reſtituit.

DE BENEFACTORIBUS ECCLESIÆ VVISSEHRADENSIS ROMANIS PONTIFICIBUS.

A*Lexander II.* Rom. Pontifex Eccleſiam *VViſſehradenſem* à *VVratislao I. Bohemiæ* Rege fundatam in Collegiatam evexit, eam ſacroſanctam appellari juſſit, & Capitulares infulis redimivit A. M LXX. *Lucius II.* Rom. Pontifex A. D. MCXLIV. *Cœleſtinus III.* An. Dom MCCXCVII. *Martinus IV.* An. D. M CC LXXXI. *Pius II.* A. D. M CCCC LVIII. confirmant omnia Eccleſiæ & Capituli Privilegia. *Innocentius VI.* Rom. Pontifex concedit in anniverſario conſecrationis lapidis portatilis *S. Petri* Apoſtoli, quem *Carolus IV.* Eccleſiæ *VViſſehradenſi* donaverat III. annorum & III. quadragenarum indulgentiam, in celebratione verò ſuper eodem I. annum & XL. dies A. D. M CCC LIV.

Urbanus V. concedit, ut miſſa Decani ante auroram dici poſſit A. D. M CCC LXII. *Gregorius XI.* concedit unum annum & XL. dies indulgentiam, qui pro fabrica Eccleſiæ, vetuſtate labente & reſtauranda aliquid conferunt. An. Dom. M CCC LXX.

Bonifacius IX. Rom. Pont. liberaliſſimus in Eccleſiam *VViſſehradenſem*, dat poteſtatem A. MCCCLXXXXII. jubilæo lucrandi indulgentiam plenariam in Eccleſia *VViſſehradenſi*, ſicut *Romæ.* Concedit in Feſto *Corporis Chriſti* Eccleſiæ *VViſſehradenſi* indulgentias, quæ ſunt *Venetiis* in die aſcenſionis Domini, & in Feſto *S. Michaëlis Aſſiſii*, auget uſum infularum, facit poteſtatem Præpoſito, De-

Decano, & Canonicis in omnibus divinis officiis infulis utendi. Pontificatûs anno VIII. dat Licentiam Præpoſito Decano & Canonicis utendi *cappis brunaticis*; Eodem annô tandem Eccleſiam VV*iſſehradenſem*, Capitulum,& montem VV*iſſehradenſem* cum omnibus, & ſingulis membris & bonis, quæ in præſentiarum quomodolibet poſſident, & in futurum præſtante Domino poterunt adipiſci, Miniſtris,incolis,& aliis perſonis Eccleſiaſticis, & mundanis degentibus in iisdem præſentibus,& futuris, in jus & proprietatem *S. Petri* DEI ſedis & ſub eorum, atque ſuam & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum protectionem autoritate Apoſtolicâ ex certa ſcientia de novo ſuſcipit, ac ipſum montem,&Eccleſiam cum omnibus ſuis membris prædictis, de uberioris donô gratiæ, de cætero *nullius eſſe diœceſis* decernit & ſtatuit; *Datum Romæ apud S. Petrum octavô Idus Aprilis Pontificatûs noſtri annô octavo.* Quam exemptionem *Urbanus VIII.* Rom. Pontifex A.D. 1637. renovavit.

Capitulum olim VV*iſſehradenſe* quatuor numerabat Prælatos, Præpoſitum, Decanum, Cuſtodem & Scholaſticum: nunc verò injuriâ bellorum duos duntaxat Præpoſitum,& Decanum, qui ſunt Prælati Regni Bohemiæ,habentes ſeſſionem in Comitiis & regni diætis. Eccleſia VV*iſſehradenſis* Capella Regalis ſimul erat Cancellaria Regia, cujus Præpoſitus Regni *Bohemiæ* Cancellarius & Princeps erat, redituum annuorum, ùt ſupra viſum, octoginta aureorum millia computans, nec multò minùs Decanus. Præbendæ Canonicales regali munificentiâ divites, miniſtri Eccleſiæ, ac Presbyteri, qui diu ac noctu Divinam Pſalmodiam cantarent, ad decorem copioſi. At fuimus Troes! Rectè de Conſtantia *Lipſ. lib. 1. cap. 16. Incipiunt, creſcunt, ſtant, florent, & omnia ideò, ut cadant.* Regale hoc Eccleſiæ decus furor Ziſkianus flammâ ac ferrô in rudus, ac buſtum traxit. Deſcribit vaſtationem *Bartoſſius* Caſtri *Pragenſis* miles præſidiarius, qui oculis ſpectavit, etſi ſtylô ejus ſæculi inconcinnô „ MS. apud me fol. 1. An. 1420. „ Dominicâ ante S. Jacobi Rex Sigismundus coronatus eſt in Regem „ Bohemiæ in Eccleſia Prag. S. Viti „ per D. Conradum tunc Archiepiſcopum Pragenſem in præſentia Baronum Bohemiæ, & Marchionum, „ Ducum & Dominorum. Eodem annô Feria VI. circa Feſtum S. Ægidii circumvallatum eſt caſtrum „ VViſſehradum, & gentes Regis „ prædicti per cives Pragenſes, ubi „ ipſos pixidibus & machinis lucrare „ conabantur. Eodem annô Feriâ „ VI. ipſo die omnium Sanctorum in „ ortu, & poſt ortum ſolis prædictus „ Rex commiſit bellum, & intravit „ cum civibus Pragenſibus D. Boczkone, D. Kruſſina, D. Hinkone de „ Koltſtein & aliis ipſorum compluribus in campis propè Wiſſegradum „ jacentibus, ubi ex gentibus Regis „ bene trecenti Barones, milites, & „ clientes, & quidam Dux Boſnenſis ſunt interfecti, & de gentibus „ Pragenſibus etiam nonnulli perierunt, ſed tamen Pragenſes in „ Campis remanſerunt. Et eodem „ die hora meridiei datum caſtrum „ VViſſegradum Pragenſibus per „ Nobilem Joannem de Boczkowicz & alios milites, & clientes „ dicti Regis propter eſuriem; fame „ enim cogente devorârunt obſeſſi „ centum & viginti equos, glires, „ cattos, & canes quàm plurimos. „ Die altera & ſequenti, *Huſſitica* plebs *Pragenſis* palatium Regium, antiquiſſimam *Bohemiæ* Principum ſedem, ac una quatuordecim W*iſſehradenſis* Civitatis Eccleſias ſacrilegè expilavit, ac funditus diruit. Inter quas erat Baſilica *SS. Petri & Pauli* Regiis V*ratislai I.* opibus ad normam *Vaticani* olim templi erecta, omni ſacro ornatu, aureâ & argenteâ ſuppellectili, ſtatuis, altaribus ſpoliata,& denudata.

Eccleſia item VV*iſſehradenſis* civitatis decollationis *S. Joannis Baptiſt.* cujus frontalis murus ex hodierni munimenti VV*iſſehradenſis* vallo excitatorem orans miſerè proſpectat. Eccleſia *S. Clementis*, *S. Martini*, & extra mœnia *S. Pancratii*, *S. Eliſabethæ*. Et ità furioſa *Huſſi* hæreſis ſacrilegis *Ziſcæ* tribulis armata ſacra VV*ratislaviæ* fundationis grana excuſſit, & prædia fundóſque Præpoſituræ, Decanatûs, & Capituli (quòd Clerus immobilia bona per VV*iklephi* hæreſim, quam *Huſſus articulo* 25. ut placeret laicis, approbaverat, poſſidere non deberet) in manus hæreticorum diſtraxit: contigit hæc fatalis Eccleſiæ & Capituli vaſtitas ſub *Cunrado* Præpoſito, & *Nicolao* de *Praga* Decano. Capitulum VV*iſſehradenſe* diſtractis primævæ fundationis prædiis toto *Huſſiticæ* hæreſeos tempore cum Capitulo *Pragenſi* fideliter ſe conjunxit, ut paſſim & quaſi ſinè interruptione toto illô tempore, iidem fuerint Præpoſiti, Decani, & Canonici W*iſſehradenſes*, qui & *Pragenſes*, quod in ſerie Præpoſitorum & Decanorum infrà clarè colligetur. Cùm enim *Huſſitæ* tam *Pragenſis*, quàm VV*iſſehradenſis* Capituli prædia abſtuliſſent, hæc duo Capitula fœdere coiverunt, ut reliquias ſuarum præbendarum per conſequens fidem Catholicam in Regno mutuò auxiliô ſervarent. Manſit ergò Capitulum VV*iſſehradenſe* fraternâ ſocietate cum *Pragenſi* conjunctum, non modò Sedi Apoſtolicæ *Romanæ*, utpote eidem immediatè ſubjectum, verùm & legitimis terræ Principibus toto hæreſeos tempore in fide firmum, & obſequio ſtabile. Præpoſitura VV*iſſehradenſis* de Jure Patronatûs Regis *Bohemiæ* exiſtit, velut Regni olim Cancellariatu inſignita, à quo Præpoſitus deſignatus in manus Apoſtolici Nuntii aut Decani VV*iſſehradenſis* juramentum deponit, & inſtituitur Decanus & cæteri omnes Canonici à primæva fundatione usque nunc Canonicâ electione à Capitulo eliguntur.

SERIES PRÆPOSITORUM VVISSEHRADENSIUM.

REi diplomaticæ Patriæ noſtræ ſtudioſis non injucunda, ac inutilis accidere poteſt ſeries Præpoſitorum VV*iſſehradenſis* Eccleſiæ, quòd Ducum Regúmque literas in ſupremi Cancellarii munio ſubnotare, & ſignare ſolerent vulgari illâ clauſulâ; *Dat. per manus Petri* VV*iſſehrad. Præpoſ. Regni noſtri Cancellarii. Dat. per manum Gervaſii Regni Cancellarii* VV*iſſehrad. Præpoſiti.* Ut ex accurata cognitione Præpoſitorum ſubſignantium veritas aut falſitas diplomatum cognoſci, & plura antiquitatis cimelia erui queant; Id in hoc ſtudio inter inter grandes eruditorum laudes, quaſi regnare viſus, ad amuſſim expendit *Joannes Mabillon*, *Ord. S. Benedicti de Re diplomat. Lib.* 2. & ante illum Germanicarum antiquitatum lucubrationibus inſignis *Bernardus à Mallenkrot* Decanus *Monaſterienſis Lib. de Archi-Cancellariis S. Rom. Imper. & Cancellariis Imperialis Aulæ* oſtendit. Poſt Supremum Regni *Bohemiæ* Cancellarium Præpoſitum W*iſſehradenſem* locum quoque invenêre *Cancellarii*, *Proto-Notarii*, & *Notarii* Regis, id eſt, non Regni, ſed Regis, qui non in publico Regni, ſed Regis *Bohemiæ* ſpeciali Cancellaria functiones obibant, quos è Præpoſitis, aut Canonicis Duces, ac Reges eligere, ſolebant, qui & ipſi literas revidebant, & ſubſignabant, velut ſub *Friderico* Duce; *datæ per manum Alexandri Magiſtri Pragenſis & Cancellarii.* Sub *Przemyslao Ottogaro facta eſt hæc donatio. Annô M CC XXII. dat. per manum Benedicti Præpoſiti Litomericenſis, Cancellarii noſtri.*

Sub

Sub *Wenceslao* hujus nominis *primo* Rege IV. „ Acta hæc ſunt in „ Lyſan. An. M CC LII. pridie Idus „ Aprilis. Per manus Arnoldi Pra- „ genſis, & Wiſſehrad. Canonici „ Notarii. Datum in caſtello per „ manum Curiæ noſtræ Proto-No- „ tarii Rimpotonis. „ Sub *Przemyslao Ottogaro Bohemiæ* Rege V. „ Actum „ 12. Calend. Decembr. An. „ M CC LIII. per manus VVilhelmi „ Proto-Notarii Pragenſis Eccleſiæ „ Canonici; Acta ſunt hæc in caſtro „ Pragenſi An. M CC LIV. VII. „ Idus Julii. Datum per manus „ VVilhelmi Proto-Notarii aulæ „ noſtræ.

Sub VV*enceslao II.* ejus nominis *Bohemiæ* Rege VI. „ Datum Pragæ „ per manus MagiſtriVVeleslai Prag. „ VViſſehrad. & Olom. Canonici „ Proto-Notarii Regni noſtri An. „ M CC LXXXV. Calend. Octobr. „ XIV. Indict. Datum in Podiebrad. „ per manus Magiſtri Petri Proto- „ Notarii noſtri Pragenſis VVratis- „ lavienſis & VViſſehradenſis Eccle- „ ſiarum Canonici An. Dom. „ M CC XCIV. VII. Calend. Febr. Sub VV*ladislao Magiſter Nicolaus de Ledecz, Canonicus VViſſehradendſis* Ante Sacrilega hæreſum diſturbia, quibus fiebat ſicut populus, ſic Sacerdos vulgatâ Chriſtianorum Principum conſuetudine clericalis ſtatus Regnorum cancellis admovebatur; quod plus de Sacerdotum juſtitia, modeſtia & pietate in principalium juſſorum executione quàm de hominum ſæcularium & mundanorum ſecuri forent.

Factâ per Regem *Bohemiæ* Præpoſiti *VViſſehradenſis* deſignatione, aut Rex ipſe, aut ejus delegatus, eundem olim in Eccleſia *VViſſehradenſi* & præſentia totius Capituli per traditionem *Sceptri Regii* in ſupremi Cancellarii munio inſtituit: *MS. Cancellaria Caroli IV.* Inſignia Præpoſituræ VViſſehradenſis claves ſunt Papales.



BENEDICTUS primus Præpoſitus in literis fundationis *defenſor Eccleſiæ* nominatus. Ortus è familia illuſtri, quæ ſagittam in ſcuto gerebat, cujus ultimus nomine *Carolus* in prælio *Jankovienſi* periît. Erexit Eccleſiam *S. Pancratii* prope *VViſſehradum*. Eloquentia & pietate inſignis. Obiît circa An. 1107. ſepultus in medio chori Eccleſiæ Fratrum *Minorum S. Franciſci Beneſſoviæ* nunc ab An. 1420. die 2. *Julii Ziſkianis* ignibus deuſta, & deſolata.

JOANNES I. ex Decano *VViſſehradenſi* à *Sobieslao* deſignatus Præpoſitus vir magnâ eruditione & ſan„ctitate vitæ inſignis. Servivit Eccleſiæ *VViſſehradenſi* qua Canonicus, Decanus, & Praepoſitus quinquaginta quinque annis. Tandem ad Cathedram Epiſcopalem *Pragenſem* elevatus, & *Joannes I.* ejus nominis *Joanneum* vitae probitate, & morum innocentiâ ordinem incepit, nonaginta annos, quos nondum ullus *Pragenſium* Præſulum attigit, aetate ſuperans, obiît pientiſſimè in Domino *ſextô Idus Auguſti* An. Dom. 1139. ſepultus in Eccleſia Metropol. *Pragenſi* poſt aram *S. Viti*, quo fuit translatus An. 1374.

HUGO, ab *Innocentio* II. Rom. Pontifice per *Guidonem* Cardinalem An. 1133. exauctoratus, quòd Laicus eſſet bigamam uxorem habens. *Ivo Epiſc. Carnot. Epiſt.* 196.

ALEXANDER Annô 1144.

GERVASIUS ex Decano celeberrimus *VViſſehradii* Præpoſitus & Canonicus Pragenſis ad pugnam *Mediolanenſem Friderici* Imperatoris & *VVladislai-Bohemiæ* Regis enſe haſtâque potens commilito. In literis membraneis Fundationis Monaſterii *Plaſſenſis* Ordinis *Ciſtercienſis* à me lectis, quibus *VVladislaus* II. Rex *Bohemiæ*, & *Gertrudis* uxor ejus monaſterium fundat, & dat praedium Patris ſui *Plaz* dictum. An. Dom. MCXLVI. Indict. XI. Annô Ducatûs quintô ſubſcriptus legitur: *Gervaſius Præpoſitus VViſſehradenſis Cancellarius.*

Item in litteris Fundationis Monaſterii *Lithomyſslenſis* Ord. *Præmonſtratenſis* ab eodem VV*ladislao* confirmatae, & auctae. *Datum Pragæ per manum Gervaſii Cancellarii, & Præpoſiti* VV*iſſehradenſis XIII. Calend. Febr. An. Dom. Incarn. MCLXVII. Regni verò VVladislai Regis VIII.* Obiît die 10. *Febr.* An. 1178. ſepultus in Eccleſia W*iſſehradenſi.*

PRZETISLAUS aliàs HENRICUS Regii ſanguinis Princeps & inter *Rex Bohemiæ*, ex Præpoſito *VViſſehradenſi* An. 1182. jam alter Epiſcopus *Pragenſis*. Obiît *Egræ* die 14. *Jun.* An. 1196. ſepultus in Parthenone *Doxanenſi.*

FLORIANUS Præpoſitus etiam *Pragenſis* Eccleſiæ. De quo in membraneo inſtrumento *Friderici* Ducis, quo ſuam à *B. Petro* flagellationem fatetur, ùt ſuprà *cap.* 4. *Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVII.* Indict. II. *Epacta* IX. *ſecundô die Menſis May. Facta autem ſunt hæc ſub teſtibus: Henrico Venerabili Epiſcopo Pragenſi, Przemyſl, & VVladislao fratribus meis, Floriano Præpoſito* VV*iſſehradenſi &c.*

SIGEFRIDUS Baro ab *Eppenſtein* Moguntinus ſapientiâ & virtute non vulgaris ſui ſæculi Præſul: de eo in literis *Henrici* Epiſcopi & Ducis *Bohemiæ* ſuper emptione prædii à fratribus hoſpitalis in *Jeruſalem* prope *Raudnicz*: „ Ego *H*enricus Dei Gra„tiâ Pragenſis Eccleſiæ Præſul, & „ Dux Bohemorum, univerſis Chri„ſti fidelibus notum facere dignum „ duxi: „ Et infrà. „Porro ne de præ„memorata exemptione medieta„tis ſuprà dictæ villæ Rovvni ſcrupu„lus aliquis contra fratres hoſpitalis

„ va-

„ valeat exoriri, huic etiam paginæ „ inſerere dignum duxi, quod die „ S. Agathæ, cum ſederem ad prandium, fratres Hoſpitalis: Bernardus „ ſcilicet Prior, & Mainardus Præceptor prædictas 40. marcas perſolverint ſorori Theodorici de Rovvni, me vidente, & etiam inſuper „ hæc inclinante, & inclamante: „ quod ei fuerit optimè perſolutum. „ Et hi teſtes, qui viderunt & audierunt Theobaldus & Dobzlaus domicelli, SIGEFRIDUS PRÆPOSITUS VVISSEHRADENSIS, „ Laurentius Capellanus, & Rapato „ Notarius, Hrabiſſa Camerarius &c. Actum eſt autem hoc „ annô Incarnat. Domini noſtri JEſu Chriſti M CLXXXXIIII. Annô „ verò Epiſcopatûs mei XIII. Principatûs autem mei An. II. „ Tandem ad Archi-Præſulatum *Moguntinum* translatus, & Cardinalis purpurâ ſub titulo *S. Sabinæ*, de quo tamen *Bernardus à Mallinkrot* in *Cardinal. German.* dubitat, exornatus.

ARNOLDUS Regii ſanguinis ex Decano Metropolitano Præpoſitus *VViſſehradenſis*, dein Epiſcopus *Segnienſis*. Vir inſignis prudentiæ, eru„ ditionis & experientiæ. De eo in privilegio, quo monaſterio *Litomyſslenſi Ordinis Præmonſtrat. Ottocarus Przemysl* Rex *Bohemiæ* ad preces *VValteri* Abbatis culpam *Hlava* remittit. „ Ad hujus verò noſtræ indulgentiæ „ perpetuam memoriam, & inviolabile firmamentum præſens privilegium per Cancellarium noſtrum „ Arnoldum VViſſehradenſem Præpoſitum, & per Hermannum noſtrum Notarium Litomericenſem „ Præpoſitum conſcribi fecimus, & „ ſigilli noſtri robore communiri. „ Acta autem hæc ſunt Anno divinæ „ Incarnationis M CC XXVI. In„ dictione XIII. Epacta XX. con„ currente III.

DIONYSIUS Juris Doctor *Pariſienſis*. De eo in inſtrumento arbitramenti contra ſe pro Capitulo ad reſtituendos certos Capitulo fundos lati. „ *Datum An. Dom. M CC LII. die 15. Februarii præſentibus teſtibus Joanne Abbate Strahovienſi, Martino Abbate Brzevnovienſi, Gerardo Abbate Teplenſi, Plaſſio Abbate S. Procopii.*

TOBIAS de *Dube* Præpoſitus Eccleſiæ *Pragenſis* ad An. 1259. fundavit Eccleſiam & Monaſterium *Franciſcanis Beneſſovii* & eorum Ordinem aſſumpſit, obiît An. 1261. ibidem ſepultus.

PHILIPPUS *Carinthiæ* Dux Regii ſanguinis ex Decano Præpoſitus, dein Archiepiſcopus *Salisburgenſis*, & tandem Patriarcha *Aquilegienſis* obiît 1273.

VVLADISLAUS *Henrici* Probi *VVratislavienſium* Ducis ex *Anna* Filia *VVenceslai Ottogari* IV. Regis *Bohemiæ* Filius ex Decano Præpoſitus, inſigni doctrina, & eruditione, nec non innocentiæ & caſtimoniæ virtutibus ornatus, à *Clemente* IV. Rom. Pontifice die IV. *Idus Novembr.* annô primô Pontificatûs, id eſt An. 1265. in Archiepiſcopum *Salisburgenſem* inſtitutus. Obiît piè in Domino à propriis amicis venenô ſublatus, quod patrimonii ſui res Deo ſacrare vellet, die 24 *Aprilis* An. 1270. ſepultus *Salisburgi* in Eccleſia *S. Ruperti.*

PETRUS à *Reichenſtein*, ab *Ottone Brandenburgico Bohemiæ* Gubernatore Præpoſitus deſignatus, Legationibus in Imperio obitis inſignis. De eo in literis, quibus *Ottogarus* Rex *Stephano* Abbati, & Monaſterio *Ordinis Præmonſt. Lithomyslii* donat ſexaginta laneos agrorum ad *Policzkam*. „ Actum Pragæ An. D. MCCLXIX. „ Datum ibidem per manum Magi„ ſtri Petri Venerabilis VViſſehra„ denſis Eccleſiæ Præpoſiti Cancel„ larii Regni noſtri XIIII. Cal. Febr. „ Annô coronationis noſtræ octavô „ In-

„ Indict. XII. „ Et in literis, quibus VV*enceslaus II. Boemiæ* Rex VI. *Ottogari* Patris ſui privilegium fori oppido *Lithomyſslenſi* die VIII. Cal. *Aprilis* An. 1263. conceſſum confirmat. „ Actum & Datum Pragae „ per manus Venerabilis Petri Baſi„ lienſis Epiſcopi VViſſehradenſis „ Praepoſiti, Cancellarii Noſtri, „ Principis Noſtri dilecti. An. M CC LXXXXVIII. Calend. Au„ guſti Indict. XI. Regni Noſtri annô „ ſecundô. Tandem à *Rudolpho* I. Rom. Imper. promotus ad Epiſcopatum *Baſileenſem*, Hic villas & bona, quae ſibi Praedeceſſores ejus uſurpabant, Capitulo reſtituit Calend. *Jun.* An. M CCLXXXII. *Chriſtiano Brzevnovienſi*, *Sifrido montis Sion*, *Ottone in Inſula* Abbatibus ad reſtitutionis actum rogatis teſtibus.

JOANNES II. hujus nominis *Przemyslai Ottogari V. Bohemiæ* Regis filius à fratre ſuo W*enceslao II. Bohemiæ* Rege VI. *Petro Baſileenſi* Epiſcopo ſubordinatus.

JOANNES III. W*enceslai* VI. *Bohemiæ* Regis Filius, ùt quidam volunt, illegitimus. Dein Epiſcopus *Olomucenſis*, ſepultus *Poſtomirzii* in extructo à ſe Virginum *D. Benedicti* monaſterio.

PETRUS *Aichspalt*, Treviri tenuis conditionis civicæ parentibus natus, natales illuſtravit virtute & ſapientiâ, Theologiæ, & Medicinæ Doctor. Primùm Canonicus dein Præpoſitus *Trevirenſis*, ac poſtea à *Joanne Bohemiæ* Rege Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, & Regni Cancellarius deſignatus; *Alberti*, *Rudolphi* filii, operâ ad Epiſcopatum *Viennenſem* & *Baſileenſem*, tandem à *Clemente V.* Rom. Pontif. quem à morbo letifero curaverat, ad Archi-Cathedram *Moguntinam* translatus. Excellens ſuâ ætate Theologus, & Medicus, puſillus corpore, maximus animô, in abſentia *Joannis* Regis *Bohemiæ* Gubernator laudatiſſimus. De eo coetaneus *Petrus* Abbas *Aulæ Regiæ* in ſua ſua *Chronica* ad An. MCCCXVII. „ cap. I. Tempore quo diſertus & „ expertus Venerabilis Pater Domi„ nus Petrus S. Moguntinæ Eccleſiæ „ Archiepiſcopus in Regno Bohe„ miæ manebat, Joannem Regem „ Reginámque Eliſabeth regebat, „ florebat pax in Bohemia, Juſtitiá„ que vigebat; tractabat enim ne„ gotia innixus conſiliô ſapienti & „ cap. 9. Eodem anno M CCC XX. „ nonis Junii Reverendus Pater Do„ minus Petrus natione Trevirenſis, „ Moguntinus Archiepiſcopus, Præ„ poſitus Wiſſehradenſis, expertus „ & excellens Medicus, ſapiens „ Principum conſiliarius, præſenti „ ſæculo valefaciens, ætate ſenili „ confectus de carnis ergaſtulo ſpiri„ tum exhalavit extremum. Quan„ tus & qualis iſte venerabilis Anti„ ſtes fuerit, non dico in perſonâ, quia „ puſillus, ſed magis ſapientiâ & „ ſcientiâ. „ Denique magnæ animæ in parvis potiſſimùm corporibus ha„ bitant. Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam *Sap.* 9. & vel eo collimante Domino ad *Samuelem*: *nè reſpicias altitudinem ſtaturæ ejus.* 1 *Reg.* 16. & de ſe *Paulus*, *quoniam quidem epiſtolæ*, inquiunt, *graves ſunt & fortes*, *præſentia autem corporis infirma*, *& ſermo contemptibilis* 2 *Cor.* 10. Probat, & pro bello parvitatem corporis *Seneca lib. de tranquilitate animi: habiliora ſunt corpora puſilla*, *quæ in arma ſua contrahi poſſunt*, *quàm quæ ſuperfunduntur*, *& undique magnitudo ſua vulneribus objicit.*

BERTHOLDUs de *Lippa*, *Henrici* de *Lippa* Filius à *Joanne* Rege ad Præpoſituram W*iſſehradenſem* evectus. Ejus mentio in Bullario Rom. in elocatione villæ *Hoſtin* Eccleſiæ VV*iſſehradenſis* ad An. 1337. In *Lib.* 9. *Erect. B.* 6. ad An. 1343. 6. *Idus Maij* ubi: *Nos Bertholdus de Lippa DEI Gratia VViſſehradenſis Præpoſitus*, *ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius & Marſchallus.*

NICO-

NICOLAUS *Joannis* Regis *Bohemiæ* filius *Caroli IV.* Imperatoris frater, Decanus *Olomucenſis* & Præpoſitus *Pragenſis* & *VVisſehradenſis*, tandem Patriarcha *Aquilegienſis* obiit *Aquilejæ* die 31. *Martii* An. 1356.

BURCHARDUS à *Reindek*, ſub eo Capitulum *VVisſehradenſe* ceſſit *Carolo IV.* Imper. Eccleſiam *S. Mariæ* in *Viridi* ſub *VVisſehrad* prope rivulum *Boticz*, & Eccleſiam *SS. Coſmæ* & *Damiani* in Nova Civitate *Pragenſi* in *Skalcis* dictam, pro jure patronatûs in *Chruſtoklad*, & *VVozicz*, *Datum in noſtro Capitulo Generali, quod in Feſto S. Georgii celebrare conſuevimus. A. D.* 1368. *die* 12. *Martii.*

THEODORICUS KAGELMUND, aliis *Kacheloffen*, tenuibus Parentibus ortus. Natales compenſavit eruditione, & induſtriâ. Ordinis *Ciſtercienſis* monachus in monaſterio de *Lenin* in *Marchia Brandeburgica* effectus, mirabili œconomiæ induſtriâ *Caroli IV.* Imper. favori ſe inſinuavit, arces regias ære preſſas liberavit, ærarium oneri inſufficiens reſtauravit. Inde *Carolus* ſervitiorum memor, *Theodoricum* ad Præpoſituram *VVisſehradenſem*, Epiſcopatum *Mindenſem*, Archiepiſcopatum demum *Magdeburgenſem* promovit. Fundavit monaſterium Ordini *Ciſtercienſi* ad *gratiam B. Virginis* intitularum *Skalicii* non procul ab oppido *Kaurzim*, quam fundationem *Erneſtus I.* Archiepiſcopus *Prag.* A. 1357. *II. Idus Novembr. Carolus IV.* Rom. Imper. & Bohem. Rex Annô 1360. confirmârunt, ibi Carolus: *Sanè Venerabilis Theodoricus Mindenſis Epiſcopus*, *VVisſehradenſis Præpoſitus*, *ſummus Regni Cancellarius*, *Princeps*, *Conſiliarius & devotus noſter dilectus.*

HENRICUS Dux *Brunſvigæ.* De eo in „ Chron. Aulæ Regiæ fol. 27. „ Henricus de Lippa novus Camerarius, VVilhelmus de VValdek, „ Lipus novus Mareſchallus, quinta „ die poſt habitam concordiam Pragam veniunt, ibique Henricum „ Regis Cancellarium, Virum legalem, in conſiliis & negotiis legalibus præcipuum capiunt, & in caſtrum Burgilinum vinculis mancipatum transmittunt. Qui poſteà „ Ulrico de Lutenburg Landgravio „ præſentatur, & datis trecentis „ marcis elapſus, tribus menſibus „ de captivitatis vinculis liberatur. „ Poſt *Henricus* promotus fuit ad Epiſcopum *Hildesheimenſem*, ibi in Eccleſia Cathedrali ante aram *S. Catharinæ* ſepultus.

VVILHELMUS de *Landſtein* in Univerſitate *Carolina Pragenſi* ſacræ Paginæ, & Decretorum Doctor, fuit alius ab illo *VVilhelmo* de *Landſtein*, qui *Gutenſteiniam* matrimoniô habebat, & fundator extiterat Eccleſiæ Collegiatæ in caſtro *Lipnicz* ad Capellam *S. Laurenti* vivens ſub *VVolframo* Archiepiſcopo, qui etiam Archiepiſcopus dictam Collegiatam ad preces *VVilhelmi* autoritate ordinariâ confirmavit die 14. *Novembr.* An. Dom. 1397. Obiverat autem *Wilhelmus* Præpoſitus longè antè nempè *Idibus May* An. 1361. cùm magna fama doctrinæ & pietatis. mentio ejus habetur *Lib.* 13. *Erect. L.* 10.

LAMBERTUS à *Buren Guilielmi* Aurati Equitis ex *Alſatia* filius, ſtudio literarum ità inſigniter excoluit ingenium, ut vix ſibi in Germania parem haberet. E Monacho *Neovillenſi* Ordinis *S. Benedicti* Abbas *Gengenbacenſis*, & ex Decano *Wisſehradenſi* ſeptennio prope Præpoſitus, dein A. 1368. Epiſcopus *Prixiæ*, *Argentorati* quatuor annis, *Spiræ* novem, *Bambergæ* tandem viginti tribus. Reſignatô Epiſcopatu *Bambergenſi*, obiît inter Monachos ſuos in monaſterio *Gengenbacenſi* die 12. *Martii* A. 1398.

JOANNES IV. cognomine *Sobieslavvek Jodoci Moraviæ* Marchionis &

poſt

poſt depoſitum *Wenceslaum* electi Romanorum Imperatoris frater, & *Caroli IV.* Imper. ex *Henrico* fratre Nepos. S. Ordinem *Præmonſtratenſem* in Monaſterio *Litomyslenſi* Profeſſus ex Decano *Wiſſehradenſi* Præpoſitus, ac ab An. 1378. Epiſcopus *Litomyslenſis* ordine ſeptimus, tandem ad An. 1388. Patriarcha *Aquilegienſis* obiit ibidem labe phthiſicâ die 5. *Calend. Martii* An. 1400.

RABANUS ab *Helmſtad* à *Wenceslao Bohemiæ* Rege, promotô ad Patriarchatum *Aquilegienſem Joanne*, Præpoſituræ *Wiſſehradenſi* admotus, & dein evectus ad Epiſcopatum *Spirenſem* ac Archiepiſcopatum Electoralem *Trevirenſem.*

WENCESLAUS *Kralikius* Eques de *Burnicz* ex Decano *Wiſſehradenſi* ſucceſſit *Rabano* in Praepoſitura, Administrator Epiſcopatûs *Olomucenſis* & Patriarcha *Antiochenus.* Impetravit à *Bonifacio IX.* Rom. Pontif. ut Eccleſia *Wiſſehradenſis*, hactenus quidem exempta, ſed tamen *Pragenæ diœceſis*, *nullius* foret *diœceſeos*, attulit etiam *Româ* An. 1409. reliquias *S. Longini*, quas incenſa *Wiſſehradenſi* Eccleſia An. 1420. *Huſſi* deliriis dementata plebs arcâ *Lapideâ* reconditas in profluentem *Moldavam* merſit. At nocturnô lumine & crebrô hominum naufragiô notatus locus coegit *Huſſiticum* Magiſtratum pignus ſacrum levare, & in curiam *Neo-Pragenſem* recondendi, quia & ibi repetita fulmina curiam verberantia indicârunt non eſſe decorum locum. Advocatis ex arce *Bezdezii* (quo ſe ruinatô *Wiſſehradô*, interea receperant) Canonicis *Wiſſehradenſibus* ſacra lipſana reſtituta fuêre. *Paulus Zidek MS. Instruct. ad Georg. Lib.* 2. *Lapidea* arca reliquiis vacua, adhuc hodie in *Eccleſia Wiſſehradenſi* piè aſſervatur. Item fundi fecit ſuô ære campanam *Patronus* cognominatam, in praealta turri *Wiſſehradenſi* vocaliſſimè ſonoram. Accingens ſe itineri *Conſtantienſi* viam invenit ad aeternitatem *Suitaviæ* in oppido *Epiſcopali pridie Idus Septembris* Anno 1416. ſepultus in *Eccleſia Olomucenſi.*

ALBICUS Medicinae Doctor à *Wenceslao* Pigro Imperatore & *Rege Bohemiæ*, cujus erat Medicus, evectus ad Arceiepiſcopatum *Pragenſem* An. 1411. Confirmationem obtinuit à *Joanne XXII. Rom.* Pontifice, inter 11. & 29. May An. 1412. ortus *Unczovia* in Marchionatu *Moraviae. Lib. 9. erect. M. 11.* ubi etiam ALBERTUS nominatus: *Albertus Dei Gratiâ electus, & proviſus Eccleſiae Pragenſis*, ibidem MS. *Reſignavit Albicus* Archiepiſcopatum *Pragenſem Conrado* de *Vechta Weſtphalo Epiſcopo* tunc *Olomucenſi.* Pro *Epiſcopatu* autem *Olomucenſi* dedit *Albico* Patriarcha *Antiochenus* (qui fuit tunc, *Wenceslaus Kralikius* non, ut quidam putant, *Joannes*) *Praepoſituram Wiſſehradenſem.* Annum hujus periculoſæ verſurae ponit *Cruder. in Calendar.* 23. *Julii ad diem XVI. Calend. Auguſt. A. D.* 1412. Vetus autem Codex Bibliothecae *Metrop. Eccl. Prag.* ad annum ſequentem; Velut: „ Hic „ Albicus reſignavit Archiepiſcopatum An. 1413. Conrado de Beſtphalia pro tunc *Epiſcopo* Olomucenſi, qui ante fuit Subcamerarius „ *Regni* Bohemiae, & Magiſter monetae in montibus Kuttnis, & *Prae*poſitus Melnicenſis. *Et* præfatus „ Albicus acceptat *Praepoſituram* „ Wiſſehradenſem, locô Archiepiſcopatûs *Pragenſis*, quam *Praepoſituram* tunc tenuit Dominus - - „ *Patriarcha* Antiochenus, qui loco „ hujus *Praepoſiturae* acceptavit „ *Epiſcopatum* Olomucenſem. Mirabile cambium! utinam ſinè Simonia. „ Hactenus codex. *Porrò Conradus de Vechta* nunquam fuit. *Praepoſitus*, aut Decanus *Wiſſehradenſis*, ùt quidam hujus verſurae occaſione decepti perperam conjectati ſunt, ſed fuit ille antea ab An 1408,

Sub-

Subcamerarius *Regni*, & *Epiſcopus Werdenſis. Lib. 9. Erect.* 1. 9. Tandem die 1. *Martii* An. 1410. Epiſcopus *Olomucenſis* ſubſcriptus legitur ibidem, G. 3. Peſtis *Bohemiae*! Dominia Archiepiſcopatûs vendidit ſaecularibus, ſigillum Archiepiſcopale extradidit *Huſſitis*, haereſim etiam *Huſſiticam* palam profeſſus miſerè *Raudnicii* in Dominio ſuo quondam Archiepiſcopali, à ſe *Joanne Smirziczkio IV.* millibus ſexagenarum divendito (qui dein ſub *Georgio Podiebradio* Rege An. 1453. caput amiſit) humanis extractus eſt, die 25. *Decembris* An. 1431. Cui viventi adhuc, ſed propter hæreſim officio & dignitate Archiepiſcopali initiô menſis May An. 1421. privato, in Adminiſtratione Archiepiſcopatûs ad finem *Julii* menſis ſucceſſit *Joannes de Praga* Epiſcopus *Olomucenſis* & *Litomyslenſis* à ſede Apoſtolicâ deputatus. *Peſſina in MS. Litomyslenſ.* Econtra *Albicus* Præpoſitus *Wiſſehradenſis* ſemper in fide Catholica conſtans perſeveravit, inde etiam à ſummo Pontifice ad Archiepiſcopatum *Cæſarienſem* promotus, & ſepulchrum ejus, quod ſibi in Eccleſia *B. Virginis* ad *lacum Vetero-Pragæ* prope reconditorium Parentum ſuorum magnificè extruxerat, furibunda plebs *Huſſitica* ex odio, in cumulum conjecit, diruit, ùt cauſam aſſignat *Cruger. Cal.* 23. *Julii*: „Ex publico odio Huſſi- „tarum, eâ parte laudabilem poſte- „ri ſciremus Albicum, quòd modi- „co tempore, quo fuit Archiepi- „ſcopus, ſemper pro Catholicis con- „tra Wikleffiſtas fortiter, & cum „eorum extremis in gratiis ſtetiſſet. Extat ibidem in præfata Eccleſia ſcutum *Albici* in muro, repræſentans duas ſtellas, & marmor ſepulchrale ſubrubrum referens ſequens mea manu deſcriptum epitaphium: *Hìc requieſcunt corpora Parentum Domini Albici Archiepiſcopi Cæſarienſis & Præpoſiti Wiſſehradenſis.* Malè diſtinxerunt alii veteres ſaxi apices, qui legerunt: *Hìc jacet Albicus Caeſarienſis Archiepiſcopus, Wiſſehradenſis Praepoſitus.* Exciſô die 2. *Novembr.* An. 1420. *Wiſſehradô*, *Huſſitarum* hæreſi ſumma imis commiſcente, in *Moraviam* ac dein *Hungariam* profugit, & finem vitæ fecit die 23. *Julii* A. 1427.

JOANNES V. de *Praga*, ſacræ Paginæ, & Decretorum Doctor Canonicus *Pragenſis*, & ultimus Epiſcopus *Litomyslenſis*, tandem & *Olomucenſis*, & *S. Rom. Eccleſiae* Cardinalis. Hic Præpoſitus *Wiſſehradenſis* manu ferreâ congreſſus cum hæreticis victorioſô Marte eos ſæpè fudit, ac profligavit, & bona Epiſcopatûs Capituli, & Eccleſiæ *Olomucenſis*, nec non reliquarum paſſim in *Moravia* Eccleſiarum ab *Huſſitarum* direptione cuſtodivit, ac ſervavit.

CUNRADUS qui & *Cunzo*, Baro de *Zvole*, Decretorum Doctor, Juris Pontificii Profeſſor, & cauſarum *S. Palatii Apoſtolici* auditor, Canonicus *Pragenſis*, Epiſcopus *Olomucenſis* & Adminiſtrator Archiepiſcopatûs *Pragenſis*. Dum An. 1434. *Sigismundum* Imperatorem *Baſileâ* in *Hungariam* ſecundo Danubio reducem comitatur, in *Suevia*, *Ulmæ* die 18. *Julii* obiît.

PAULUS Baro de *Milczin* aliàs de *Tallmberg* Præpoſitus *Pragenſis* & *Wiſſehradenſis* ad An. 1436. Epiſcopus *Olomucenſis*. Res quasdam etſi paucas per *Huſſitarum* bellum ablatas Eccleſiæ *Wiſſehradenſi* reſtituit, alias ſervavit, magnâ pietate & miſericordiâ præditus, greges pauperum, quocunque ibat, eum ſequentes, pro foribus hoſpitii aſſiduè excubabant, gravibus hæreticorum perſecutionibus undique concuſſus, bis eorum armatas inſidias, cum obesô eſſet corpore, ægrè admodum evaſit. Obiît pientiſſimè ſextò Nonas *May* An. 1450. *Brunæ* in collegio *S. Petri* ſepultus.

JODOCUS à *Roſenberg* ex Decano

no *Wiſſehradenſi* Præpoſitus, ac etiam Præpoſitus Eccleſiæ Metropolitanæ *Pragenſis*, Grandis Prior Crucigerorum *S. Joannis Hieroſolymitani* ſeu *Melitenſium*, ac tandem Epiſcopus *VVratislavienſis* Vir magni animi, famæ & exiſtimationis. Res Catholicas in Regno *Bohemiae* hæreticorum fraudibus, ac potiſſimum *Georgii Podiebradii* tergiverſationibus in deterius quotidie labentes peregregiè ſuccollavit, & elevavit. Obiit pridem depoſitâ Præpoſiturâ *VVſſehradenſi* die 15. *Decembris* An. 1467.

JOANNES VI. de *Rabſtein*, Decretorum Doctor, Canonicus *Pragenſis*, dein Proto-Notarius, & Referendarius *Apoſtolicæ Sedis*, à *Ladislao* Rege decem diebus ante mortem, id eſt XIII. *Novembr.* An. Dom. 1457. ad Præpoſituram *VVſſehradenſem* evectus. Contigit autem mors *Ladislai* Regis venenô Rokiczanæ & Podiebradii procurato (*Cruger. Calend. Hiſt.* 13. *Februar. fol.* 176.) die 23. *Novembr.* eodem anno.

JOANNES *de Rabſtein* (verba ſunt *Cochlaei Hiſt. Huſſit. Lib.* 10.) *Decretorum Doctor, factus per Regem (Ladislaum) Praepoſitus VViſſehradenſis extra mœnia Pragae, poſſeſsionem Praepoſiturae obtinuit XIII. Novembr. decem diebus ante obitum Regis* Sub hoc Præpoſito grande decus, & gloria Præpoſituræ, Eccleſiæ, ac Capitulo *VViſſehradenſi* amiſſa eſt, *ſupremi* nempe *Cancellarii Regni Bohemiae* dignitas, quam *Huſsi* calice dementatus, & *Joannis Rokikzanae Huſsiadum* Popæ conſiliis peſſimis deceptus Rex *Bohemiae Georgius Podiebradius*, contra tot veterum integerrimorum Regum à *VVratislao* inchoantium ſacerrima decreta abſtulit. Quod ſequenti occaſione actum. *Georgium Podiebradium* contra juramentum, quo ſe ùt verum Catholicum Regem gerere ſpoponderat, paſſim agentem, ac compactatis à Concilio *Baſileenſi* quidem impetratis, ſed à Pontifice velut *Huſsiticae* hæreſeos pallium deinde annullatis, nimiùm quantùm contra expreſſam etiam Eccleſiæ voluntatem contumaciter adhærentem, *Pius II. Rom. Pontifex* Eccleſiaſticô gladiô ferire parabat. Periculum prævenire volens *Podiebradius* Legatum *Romam* miſit die 18. *Januar.* An. 1460. *Joannem* de *Rabenſtein* Præpoſitum *VViſſehradenſem* & *Regni Bohemiae Cancellarium*, qui nomine Regis Pontifici obedientiam (ſecreto tamen) exhiberet. Et fuit quidem deſuper *Joannes* à Pontifice in conſiſtorio ſecreto auditus, at, quia prohibente Rege obedientiam more aliorum Regum Catholicorum præſtare renuebat in publico, rejectum fuit ejusmodi clancularium obſequium, & aliud decens publicum & conſuetum requiſitum. De hoc *Pius II.* Pontifex literis publicis An. 1464 quæſtus. „Dum eſſemus Se„nis (inquit) ex Mantua reverſi, „ùt videretur (Georgius Rex) in „aliquo ſuæ promiſſioni ſatisfacere, „miſit ad nos Joannem de Raben„ſtein Notarium noſtrum, ut nobis „occultè obedientiam exhiberet, „audivimus illum in ſecreto conſi„ſtorio, regio nomine obedientiam „offerentem. At dum voluimus, „ut quod faceret in ſecreto, face„ret, juxta conſuetudinem aliorum „Regum publicè, noluit, aſſerens „id ſibi prohibitum eſſe. Ex quo „manifeſtè apparuit Georgium non „rectè ambulare in his, quæ ſunt „fidei. MS. Cod. Liter. public. Ar„chiv. Capit.„ Dum non ſucceſſiſſet *Georgio* illuſoria obedientia, ſedi *Apoſtolicæ* præſtari intenta, bilem in *Joannem Præpoſitum*, & *Regni Cancellarium* jecit, quaſi culpâ *Joannis*, Rex fruſtraretur cupitis, atque occultè cum Pontifice colluderet, ne effectum legatio ſortiretur. Verùm innocens fuit *Joannes*, & boni viri officium egit, principalis ſui mandata in nullo excedens. Nihilominus quia *Joannes Rokiczana* Parochus ſectæ *Huſsiticae* ad Eccleſiam

Teinenſem Conſiliarius intimus Regis, in auribus Regi ſemper hærebat: A Sacerdote Catholico, *Cancellarii Regni* officio fungente nihil pro compactatis, ſectâque ſua utile, ac proficuum ſperandum fore, ſepararet igitur *Cancellarium* à Præpoſito, darétque id officii homini Laico, etsì etiam Catholico, plus à tali, quàm à Sacerdote in rem proventurum; *Georgius* conſilium amplexus, nè tamen odioſa novitate Catholicos, ac potiſſimùm Pontificem vehementiús irritaret, ſi à ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecta Eccleſia tantam dignitatem, tot Ducum, & Regum decretis, ac ſæculorum uſu roboratam aufferret, itáque lentè agendum ratus, primùm quædam, dein potiora negotia à *Cancellario Regni Joanne*, ad ſuum Cancellarium *Procopium* de *Rabenſtein*, parentem, aut fratrem *Joannis* Præpoſiti, ut vel neceſſitudine cognationis obmuteſcere deberet *Joannes*, variis prætextibus attraxit. Fuit verò *Procopius* jam ſub *Ladislao* Rege *Cancellarius Regius*, etſi non *Regni*. In Archivo *Litomyſslenſis* Civitatis habetur litera, qua confirmat *Ladislaus Hung.* & *Bohem.* Rex omnia privilegia Civitatis Litomyslenſis. „Datum Pragæ „die 15 Julii Anno 1454. Regn. „Hung. *15*. Bohem primo. Ad re„lationem D. Procopii de Raben„ſtein, Nicolaus Licius Legum „Doctor.„ Poſtea & ipſum *Cancellarii Regni* officium per publica comitia à Præpoſitura *Wiſſehradenſi* Hæreticus Rex avulſit, ac ſtatum Eccleſiaſticum univerſum ſeſſione dietali privavit.

In literis *Joannæ* Reginæ *Bohemiæ*, *Marchionis Moraviæ*, *Lucemburgenſis* & *Sileſiæ* de An. 1463. quibus confirmat collationem à *Ladislao* Rege *Bohemiæ* factam Honorabili *Petro de Glayvicz* Presbytero *Wratislavienſis* diœceſis, Scholaſtico Eccleſiæ *Wiſſehradenſis* pro altari in capella *S. Wenceslai* Eccleſiæ *Pragenſis* in capite ſepulchri ejusdem adhuc ſubſcriptum, & officio Cancellarii fungentem invenio *Joannem à Rabſtein*.

Ad mandatum proprium Dominæ Reginæ.

Joannes de Rabſtein, *Praepoſitus Wiſſehradenſis*. *Pragae die XVI. April. An.* 1463.

Georgius tamen *Rex* jam annô præteritô *Joanni* titulum *Cancellarii Regni* in literis etiam ad ſummum Pontificem directis non ampliùs adpoſuit:

Georgius DEI Gratia, *Rex Bohemiae Marchio Moraviæ ſanctitatis veſtrae devotus Filius.*

„Beatiſſime Pater, & Clemen„tiſſime Domine, obedientiam cum „veneratione ad pedum oſcula bea„torum. Venit ad nos Sanctitatis „veſtræ nomine Venerabilis Joan„nes de Rabenſtein, Præpoſitus „Wiſſehradenſis, Sanctitatis veſtræ „Proto-Notarius, & Referendarius, „Decretorum Doctor, Conſilia„rius devotus, & fidelis noſter dile„ctus, ea, quæ ſibi à Sanctitate veſtra „injuncta fuerunt, nobis retulit &c. „Datum Pragæ die 3. Martii Regni „noſtri Annô quartò, id eſt An. „1462.

PROCOPIUS porrò violentè avulſum à Præpoſitura *VViſſehradenſi Cancellarii Regni* munus, hæretici Regis favore primus è Laicis ſuſtinens, variam cum eo fortunam inter vincula, & carceres expertus fuit. A Legatione *Romana*. An. 1462. redux in ſuſpicionem venerat Regi, quasì & ille *Romae* contra inſtructionem ſibi datam, adverſus compactata clam egiſſet, eoquod cúm Pontifice *Pio II.* ante *Æneâ Sylvio* dicto, cui erat in aula Cæſarea quondam familiariſſimè notus, & in pluribus Legationibus ſocius ſecretiora ſubinde

inde colloquia miſcuerit, Vide hiſtoriam *Bohemiae Æneæ cap.* 57. ubi ait: „Erat inter legatos Procopius „Rabenſteinius nobilis Eques, do„ctrinâ,ac morum lenitate præſtabi„lis, cujus nos amicitia pluribus an„nis oblectavit.„ Ideoque ean„dem cum *Fantino* a *Valle* celebri Juris conſulto natione *Dalmata*, *R*omani Pontificis tum ad *Georgium* Legato, ſortem ſubiit, officiô *Cancellarii Regni* privatus, in Caſtrum *Podiebrad* catenis abductus, & non niſi interveniente Imperarore *Friderico*, & *Ludovico Bavariæ* Duce, in vigilia *SS. Simonis* & *Judæ* eodem annô dimiſſus. Obiît *Joannes* à *Rabenſtein* die 19. *Nov.* An. 1473. *Budae* in *Hungaria*. Ejus mortem Capitulo *Pragenſi* inſinuavit *Hanuſsius* à *Kollovvrat* Præp. *Pragenſis*. „Venerabiles Domini confratres, „Amici chariſſimi ſalutem & ſui „commendationem. Scire vos „me non latet, qualiter Venerabilis „Dominus Joannes Præpoſitus „VViſſehradenſis in Feſto S. Eliſa„bethBudæ diem ſuum clauſit extre„mum, de quo multùm dolendum „eſt, qui etiam Canonicus Pragen„ſis erat &c. Datum Hungariæ „penultimâ Novembris An. Dom. „1473.„ vide *Paproc.* in *Diadog. fol.* 143. Errat multùm *Lupacius*, qui obitum *Joannis* Præpoſiti ponit ad An. 1455. & diem 13. *Novembr.* citans *Cochlæum*, cùm *Cochlæus* ibi non ponat obitum, ſed evectionem ad præpoſituram *VViſſehradenſem*, & nec ad An. 1455. eum locat, ſed ad An. 1457. decem diebus ante mortem *Ladislai R*egis, qui non An. 1455. ſed An. 1457. obiît, ùt conſideranti locum *Cochlaei* ſuprà allegatum clarè patet. *P. Crugerius* in ſeriem Præpoſitorum VViſſehradenſium etiam collocat *Joannconem* ab *Eich*, Epiſcopum *Eichſtadienſem*, quem non tantùm è familia *Berkarum* de *Duba* (quod *Dub Teutonibus* eich ſonet) ſed & Decanum Metropolitanum fingit, dum eum cum *Joanncone de Duba* Decano *Pragenſi* confundit. Sed primò *Joanconem* ab *Eich* non fuiſſe Præpoſitum *VViſſehradenſem*, ratio temporis invincibili cenſurâ evincit; ſi enim eſſet ponendus inter Præpoſitos poni deberet ordine poſt *Joannem à Rabſtein*, ante eum enim poni non poteſt, quia conſtat ex Archivo *VViſſehradenſi*, quod *Jodocum* à *Roſenberg* immediatè ſecutus fuerit *Joannes* à *Rabſtein*; ut autem ponatur poſt *Joannem* à *Rabſtein* fieri nequit, quia citiùs mortuus eſt *Joanco* ab *Eich*, quàm *Joannes* à *Rabſtein* obiît enim *Joannco* An. 1464. *Joannes* autem à *Rabſtein*, primùm An. 1473. Porrò *Joannconem* ab *Eich* non fuiſſe à familia *Berkiana Boemica* de *Dub*, ſed è Nobili familia *Franconica* videri poteſt apud *Mallenkrott* de *Archi - Cancell Rom. Imp. fol.* 101. tandem nec Decanum Metropolitanum fuiſſe oſtendi argumentis irrefragabilibus ſuprà in ſerie Decanorum *Pragenſium Joanne III.* Fuit verò *Joannes* ab *Eich*, Theologiæ & Juris Canonici Doctor, *Alberti II.* Imper. Cancellarius, Familiaris & intimus *Æneæ Sylvio*, poſtea *Pio* II. Pontifici, qui eum juxta *Onuphrium* in Epitome, tertia Cardinalium creatione An. 1464. Galero donaverit, ſed quem deprecatus fuerit. De quo fuſiùs apud *Gretſerum* in *Catalog. Epiſ. Aiſtad.* Nolo alienas adoreas inter domeſticas glorias ſubleſtè locare.

HANUSSIUS Baro à *Kollovvrat* Dominus in *Zbirhovv*, Catholicæ religionis obſervantiſſimus, mortuâ conjuge ſtatum Eccleſiaſticum An. 1467. amplexus, ſacríſque initiatus, Canonicus *Pragenſis* & *VViſſehradenſis*, tandem utriúſque Eccleſiæ Præpoſitus, cum enim ſub molliore *R*ege *VVladislao* timendum eſſet nè hæretici, poſt quam rudera templi etiam interceperant, quidquid erat reliquum, in extremum damnum paulò antè nobiliſſimæ Eccleſiæ *VViſſehradenſis* occuparent, Præpoſituram *VViſſehradenſem* Hanuſſius in ſe ſuſcepit. Adminiſtrator Archi-Epiſcopatûs *Pragenſis* ab An. 1468.

in

in quo munio hæreoicâ prorſus virtute pro fide Catholica ab *Huſſi* hæreſi preſſa decertavit. Obiît die *S. Lini* Papæ; quæ erat *Martis* & 23. *Sept.* An. 1483:

JOANNES VII. Baro â *Wartemberg*, Decretorum Doctor Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, *Pragenſis*; & *Litomericenſis*, & Adminiſtrator Archiepiſcopatus *Pragenſis*; dum optimô religionis zelô, pietate, eruditione florere inciperet, annô ætatis ſuæ vigeſimo quarto *Chriſti*. 1508. die 8. *Januarii* reſignatâ aliquot annis citiùs Præpoſiturâ *Wiſſehradenſi* præcoci morte ablatus.

CHRISTOPHORUS Baro de *Weitmil* à *Wladislao* Rege ad Præpoſituram *Wiſſehradenſem* quidem præſentatus, at quia rebus bellicis, ac militaribus ſtratagematibus (ùt ait *Wladislaus* in Regiis literis. Datis *Budæ* die *S. Valentini* An. 1507.) animum applicuiſſet, caſtráque & papiliones potiùs, quàm dignitatem ſibi creditam ſequi maluiſſet; ſucceſſit ei in vacante Præpoſitura.

M THEODORICUS à *Tandorff*, ex Decano *Wiſſehradenſi* à *Wladislao* aſſumptus, vir morum, gravitate, ac multivaria eruditione inſignis.

GEORGIUS *Gelcz* obtinuit à *Ferdinando I.* confirmationem privilegiorum Capituli *Wiſſehradenſis*. Dat. in Caſtro *Pragen.* die *S. Laurentii M.* decimâ menſis *Auguſti* An. 1528. plures memoriæ ejus in Archivo *Wiſſehradenſi* continentur adhuc incognitæ.

PETRUS Eques de *Bechin* accepit poteſtatem à *Ferdinando* (redimendi bona Eccleſiæ An. 1541. & recepit originales fundationis, & aliorum Eccleſiæ & Capituli privilegiorum literas, quæ centum aliquot annis contra *Huſſitarum* turbas *Crumlovii* abſconditæ cuſtodiebantur cum parte ſuppellectililis pretioſæ ad An. 1530.

BOHUSLAUS Eques de *Hidejovva*, Nobilitatem ſuam præclarâ Literarum eruditione commendabilem reddidit, dum ferè omnes *Europæ* Univerſitates Literariâ peregrinatione viſitavit. Obiît menſe *Juliô* An. 1565.

JOANNES VIII. à *Cavalleris* Archi-Ducis *Ferdinandi* Eleemoſynarius, Italus relictâ Præpoſiturâ *VViſſehradenſi* abiît in *Italiam*.

ZBYNKO Baro *Berka* de *Duba* & *Lippa*, Archiepiſcopus *Pragenſis* & Præpoſitus *VViſſehradenſis*, ejus induſtria ædificatum fuit Presbyterium Eccleſiæ *VViſſehradenſis*, ſed admodum ſubmiſſo fornice, ut ejus adhuc ibi inſignia oſtendunt obiît die 6. *Martii* An. 1606. in Eccleſia Metropol. ſepultus.

FELIX à *Linda* Archi-Diaconus Eccleſiæ Metrop. *Pragen.* Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, & Capellæ Regiæ *omnium Sanctorum* in Caſtro *Prag.* Vetus Organum Eccleſiæ *VViſſehradenſis* eum ſequenti metrô commendat.

„Hoc opus organicum motus pieta-
„tate Magiſter. Felix à Linda ſtru-
„xerat ære ſuo. Metropolitani
„templi Archi-Diaconus, olim,
„Præpoſitus, qui etiam VViſſehra-
„denſis erat. Cujus in hoc templo
„feliciter oſſa quieſcunt, atque ani-
„mus cœli gaudia ſumma petat.

BENEDICTUS *Chiſſen* à *Spitzberg* Canonicus ſenior *Prag.* & Decanus *omnium Sanctorum* à doctrina & ſacra eloquentia laudatus. Obiît die 28. Januarii An. 1595. ætatis ſuæ 58. ſepultus in Eccleſia Metrop.

INNOCENTIUS *Moniga Italus*, *Rudolphi II.* Imper. Capellanus. Ejus ætate reparatam fuiſſe navim Eccle-

ſiæ *VViſſehradenſis* oſtendit ſcutum fornici adpictum cum literis: „ Innocentius Moniga Proto - Notarius Apoſtolicus, PræpoſitusVViſſehradenſis, Canonicus & Cuſtos Eccleſiæ Glogovienſis Collegiatæ; Invictiſſimi Rudolphi II. Rom. Imp. à ſacris: „ Donavit Eccleſiæ Metropolitanæ Librum horarum Canonicarum ſecundum veram rubricam Archiepiſcopatûs *Pragenſis* cum inſcriptione : „ R. D. Innocentius Moniga Præpoſ. VViſſehradenſis & Aulæ Cæſareæ Sacellanus, hunc librum de proprio recuperatum Domino DEO, Glorioſiſſimæ Virgini Matri, SS. Patronis, necnon S. Metropolitanæ Pragenſi dedicavit. Procurante Georgio Bartholdo Pontano à Braitenberg, Præpoſito & Officiali Archiepiſcopatûs An. 1606. in octava S. Procopii. „ Reſignavit Præpoſituram An. 1608.

CASPARUS *Arſenius* à *Radbuſa* Patricius *Plsnenſis*, Scholaſticus *Pragenſis*, poſt reſignationem *Monigæ* à *Rudolpho II.* Imper. conſtitutus Adminiſtrator, poſtea Præpoſitus reſedit *VViſſehradi* quinque annis, tandem electus Decanus Metropolitanus, reſignavit Præpoſituram in favorem *Pauli Piſtorii* Decani *Carlſteinenſis*, & pro eo Imperatorem rogavit, ſed non obtinuit. Obiît die 13. *Septembr.* An. 1629.

JOANNES IX. *Chriſoſtomus Kilianus* à Ferdinando II. ad Præpoſituram *VViſſehradenſem* promotus, cujus etiam gratiâ recuperavit pro Præpoſitura bonum *Zitenicz*, quod tamen vi primævæ fundationis, ùt ſuprà oſtendunt literæ, ad totum corpus capitulare pertinet. Nam exulante An. 1620. poſt pugnam Albo montanam familia de *Raupovva* cum *VVenceslao* Barone de *Raupovva*, ſupremo Cancellario Pſeudo Regis *Bohemiæ Friderici Palatini*, (quæ familia à *Ziſcæ* tempore *Zittenicium* malè partâ incubatione tenuerat) idem *Zittenicium* ad Fiſcum Regium protractum, à *Ferdinando II. VViſſehradenſi* Præpoſituræ conſideratione tot ablatorum bonorum redhibitum fuit. Legavit *Kilianus* Præpoſitus pro ſummo Altari in Eccleſia *VViſſehradenſi* erigendo ſexcentos Imperiales, ante quod ad cornu Evangelii ſepultus jacet. Obiît An. 1626.

VINCENTIUS *Zucconus*, *Italus*, *Eleonoræ* Imperatricis matrimonium cum *Ferdinando II.* Rom. Imper. ad exitum deduxit, atque ab Imperatore adeò Præpoſitura *VViſſehradenſi* à Pontifice Epiſcopatu *Roſſenſi* honoratus, poſſedit in *Bohemia*, in Diſtrictu *Chrudimenſi* Dominium *Richravienſe*. Obiît in arce *Richnovienſi* An. 1635. ſepultus ibi in Eccleſia *SS. Trinitatis*, ſcriptura in marmore ante aram majorem indice:

„ Hic jacet Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Vincentius Zucconus, Comes Benevelli Epiſcopus Roſſavienſis, Præpoſitus VViſſehRadenſis, & S. Cæſ. Maj. Conſiliarius, nec non Dominus in Richnov, qui ſumptibus Rom. Imperatricis & Reginæ Hungariæ & Bohemiæ Eleonoræ, de Ducibus Mantuæ propriòque juſſu in hoc templo tumulatus fuit; die 5. Septembr. An. 1635.

FERDINANDUS *Leopoldus Benno* Comes de *Martinicz*, *Jaroslai* Regii *Mareſchalli* dein ſupremi *Burggravii* die 23. May An. 1618. ab Heterodoxis rebellibus è cancellariæ *Regiæ* feneſtra præcipitati & *Mariæ Euſebiæ* de *Lobkovicz* filius, poſt *Vincentium Zucconum* Præpoſitus *VViſſehradenſis* An. 1635. inſtallatus, ægrotante Decano *VVenceslao de Ruzovva*, à *Simone Broſio* ab *Horſtein* ſeniore Canonico *VViſſehradenſi*, Præpoſito *Pragenſi*, Archiepiſcopo *Trapezuntino*, in præſentia Eminentiſſimi *Cardinalis ab Harrach*, Domini *Jaroslai* Parentis ſui,

ſui & aliorum plurium locumtenentium Regiorum. Obiit *Salisburgi* ubi erat Canonicus die 12. *Octobr.* An 1691. honoravit Parœciam *Zitenienſem* legato quinque millium florenorum.

HUGO FRANCISCUS Comes, de, & in *Königsek* & *Rottenfels*, Dominus in *Aulendorff* & *Stauffen* poſt *Bennonem* Comitem de *Martinicz* Præpoſitus *VVyſſehradenſis*, ſolenni ritu inſtallatus die 2. *May* An. 1698. à *Joanne Benol* Decano *VVyſſehradenſi* per procuratorem *Mathiam Macht* à *Levvenmacht* Canonicum *Pragenſem* & *VVyſſehradenſem*, Epiſcopus dein *Litomericenſis*, Eccleſiarum Metropolitanæ Electoralis *Colonienſis* Decanus, & Capellarius, *Argentinenſis* Canonicus Capitularis, Sereniſſimi Principis Electoris *Colonienſis* ſupremus Præfectus. Miſſilia ſub inſtallationis actu in Eccleſia *VVyſſehradenſi* ejecta, ſcripturam, cum duabus clavibus Papalis pro inſigni Præpoſitali referunt:

„ Hugo Franciſcus DEI Gratia,
„ ſacroſanctæ Regiæ ac Exemptæ
„ SS. Petri & Pauli Eccleſiæ VViſſeh-
„ radenſis Præpoſitus S. Rom. Imper.
„ Comes de, & in Königsek & Rot-
„ tenfels. Inſtallatus VViſſehradi
„ die 2. May An. 1698. „ Obiit
„ Bonnæ die 6. Septembr. An. 1720.

JOANNES ADAMUS è Comitibus *VVratislavv* de *Mitrovicz*, ſacroſanctæ Regiæ & Exemptæ Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Præpoſitus, Epiſcopus *Litomericenſis* & Prælatus Metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis*, celebri ſolemnitate inſtallatus *VVyſſehradi* die 15. Decembr. An. 1709. Exertâ præ cæteris etiam Domini Præpoſiti munificentiâ (notent poſteri) Eccleſia *VVyſſehradenſis* novam pulchritudinis induit faciem, ut veteri magnificentiæ non parùm acceſſiſſe videatur, quam & die 25. *Junii*, quæ erat Dominica quarta poſt *Pentecoſten*, An. 1730. in præſentia Capitularium, & frequentia populi, ſolemni Eccleſiæ ritu conſecravit. Miſſilia cum inſigni Præpoſitali duobus nimirum clavibus Papalibus continent.

„ Joannes Adamus DEI Gratia ſa-
„ croſanctæ, Regiæ & Exemptæ
„ SS. Petri & Pauli Eccleſiæ VViſſeh-
„ radenſis Præpoſitus S. Rom. Imp.
„ Comes VVratislavv de Mitro-
„ vvicz Inſtallatus VViſſehradi die
„ 15. Decembr. An. 1709.

Tandem à ſacra Cæſarea, Regia, Catholicaque Majeſtate *Carolo VI.* Rom. Imper. & *Bohemiæ* Rege, die 5. *May* An. 1733. in Archiepiſcopum *Pragenſem* nominatus, at fata inviderunt illum Patriæ, dum enim ſuæ ſuæ Majeſtati gratias agere *Viennam* acceſſiſſet, die 2. *Junii* eodem Annô apoplexiâ tactus *Mædlingæ* in *Auſtria* pie in Domino obiit.

SERIES DECANORUM VVISSEHRADENSIUM.

A prima hujus Eccleſiæ fundatione ſicut Canonici, ita etiam Decani liberâ Capituli electione aſſumpti fuêre, & ſunt ſequentes:

PETRUS primus *VVyſſehradenſis* Capituli Decanus, quem quidam putant è familia *Berkiana* prognatum. Quia & *VVratislao*, & *Romano* Pontifici pro Coronatione, ac *VViſsehradenſi* fundatione proficuas navavit operas, à priori *VViſsehradenſem* Decanatum, ab Altero Galerum Cardinalitium ad An. 1091. obtinuit. *Gualber. in ſerie Cardinal.*

JOANNES I. dein Præpoſitus, tandem Epiſcopus *Pragenſis*, vide in ſerie Præpoſit.

DOBRO-

DOBROVITUS qui vexillum victorioſum in prælio *chlumecenſi* tulit. Obiît 1178.

GERVASIUS ex Decano Præpoſitus vide ſuprà:

VINCENTIUS, *Sobieslaum* Interregem ad mortem ſanctiſſimè diſpoſuit. Obiît An. 1143.

ZACHARIAS ex familia Baronum de *Oſeco*. Obiît An. 1157.

MARTINUS *Gervaſii* Præpoſiti Nepos legatus *Conſtantinopolim* ad Imperatorem Græcorum à *VVladislao II.* ubi inter cætera etiam effecit, ut *Petro Emanuelis* Nepoti, *Helena VVladislai* Neptis *Friderici* quandoque Interregis filia deſponſaretur. Obiît die 18. Aprilis An. 1171.

PODIVA, ejus tempore *Fridericus* Interrex propter ablatum Eccleſiæ pagum flagellis caſtigatus fuit. Obiît An. 1185.

BOHUSLAUS Canonicus *Pragenſis*, vir magnæ autoritatis in Regno. Obiît An. 1220.

PHILIPPUS *Carinthiæ* Dux, dein ex Decano Præpoſitus, & tandem Patriarcha *Aquilegienſis*. Obiît An. 1237.

ENGELBERTUS. Obiît An. 1250.

WLADISLAUS dein ſimul Præpoſitus, poſt electus Archi-Epiſcopus *Salisburgenſis*. Obiît An. 1270.

CHUNO Præpoſitus *Vetero-Boleslavienſis*, legavit Eccleſiæ *Wiſſehradenſi* agros, hortos & prata in villa *Kameni-moſt* Obiît An. 1279.

BARTHOLOMÆUS *Rohiczan*, Archi-Diaconus *Olomucenſis*, ex Cuſtode *Wiſſehradenſi* electus Decanus in amoribus *Ottogari Przemyslai* Regis *Bohemiæ*, acer defenſor Capituli adverſus Præpoſitum, vixit usque ad An. 1299.

HENRICUS *Pleyterius* electus in Decanum, & confirmatus dein à ſede Apoſtolica An. 1302. *Joannis* Regis *Bohemiæ* Cancellarius, tandem Epiſcopus *Ratisbonenſis*. Obiît An. 1334.

DYRSLAUS ex Illuſtri familia *Czerniniana* Præpoſit. *Prag.* electus Decanus & confirmatus à *Joanne* XXII. An. pontificatûs ſui ſecundo id eſt, Anno 1319.

PETRUS Decanus dein Epiſcopus *Curienſis*, tandem Archiepiſcopus *Magdeburgenſis*.

JOANNES *Andreæ* Doctor Medicinæ.

JOANNES *Padvvan* de eo ad An. 1339. dein Epiſcopus *Paduanus*.

WILHELMUS Baro ab *Haſenburg* virtute, eruditionis, & lucubrationum ſtudiô plus multò, quàm veteri proſapiâ commendabilis. Bibliotheca ejus manuſcriptis voluminibus toto orbe magno ære conquiſitis, de quibus neo-erecta Carolina Univerſitas *Pragenſis* à *Wilhelmo* donô acceperat, eruditis utrámque paginam complet. Conſcripſit inter cætera vitam Venerab. *Erneſti*, Archiepiſcopi primi *Pragenſis*, quàm in veteri membraneo Codice Bibliothecæ Capituli *Pragenſis* legi. Obiît 28. *Febr.* An. 1370.

LAMBERTUS è *Buren* ex Decano Præpoſitus.

JOANNES cognomine *Sobieslavek* Nepos *Caroli IV.* Imper. ex *Joanne Henrico* Marchione *Moraviæ* fratre, dein Præpoſitus, Epiſcopus *Litomyſslenſis* & Patriarcha *Aquilegienſis*.

ADAL-

ADALBERTUS à *Sternberg*, ex Decano *VViſſehradenſi* Epiſcopus *Litomyſslenſis*, & dein Archiepiſcopus *Magdeburgenſis*, fundavit in *Moravia* Canonicis Regularibus Cœnobium *Sternbergenſe*, *Carthuſianis* ſub *Litomyſslio* eremum *Mariæ Rubum*, & ultra *Olomucium* iisdem vallem *Joſaphat* dictam.

WENCESLAUS *Kralikius* ex Decano Præpoſitus.

JACOBUS à *Patria* ſua dictus de *Praga*. Vir ad Eccleſiam *VViſſehradenſem* prudentiâ, pietate, induſtriâ triginta annis gratæ poſterorum memoriæ commendatiſſimus. *Huſſitica* hæreſi fermentum armorum concipiente, ſignificationem ſenſit à facie arcûs. Pretioſiora Eccleſiæ κειμήλια velut fundationum & privilegiorum originales aureum & argenteum Eccleſiæ ornatum & ſupellectilem, cum ea parte Archivi quæ Eccleſiæ, & Capituli majora negotia continebat, in, & extra Regnum ad ſecurum recondidit. Præcæteris ad Capitulum *Strigonienſe* in *Hungaria*, qui locus *Joanni* itidem à *Praga* Præpoſito *VViſſehradenſi*, & Epiſcopo *Olomucenſi* valde erat familiaris, in quo etiam An. 1430. obiit. Ad monaſterium *Melicenſe* in *Auſtria*, ubi *Jacobus* Decanus die 13. *May* An. 1434. obiit. Ad ſacriſtiam Eccleſiæ *Crumlovienſis S. Viti*. Plura tamen deperdita, & reſtituta non ſunt. Mortuis Præpoſito & Decano notitia abivit in traditionem, traditio defectu ſufficientis probæ tandem debilitata evanuit.

Quidam ponunt hîc *Conradum* de *Zvole* Decanum, ſed fieri nequit, qui jam An. 1430. poſt *Joannem* de *Praga* inſtitutus fuit Præpoſitus, & eodem anno cum *Jacobo* de *Praga* interjectis aliquot hebdomadis mortuus.

JOANNES *Schindel*, Medicinæ Doctor, Canonicus *Pragenſis*, Vir (*Blanchino* in dedicat. ad *Frider. III. Imper.* teſte) ingenii acutiſſimi, ducentos manuſcriptos codices, rarum id temporis munus Collegio magno *Carolino* donavit. Ad An. 1434.

JOANNES *Andreæ* Canonicus *Pragenſis* patriâ *Tynhorſovienſis* ad An. 1444. Ejus erat ex fratre Nepos *Joannes Andreæ* Decanus *Pragenſis* ad An. 1512.

JODOCUS Baro à *Roſenberg* Præpoſitus *Pragenſis*, ex Decano dein etiam Præpoſitus *VViſſehradenſis*.

JOANNES Baro *Kapler* de *Sulevvicz*, Canonicus *Pragenſis*, Vir laborioſus propriâ manu ſcripſit Librum privilegiorum *VViſſehradenſium* in Membrana, qui adhuc aſſervatur.

Magiſter VVENCESLAUS *Ledecz*, vir omni eruditionum genere clarus *VVladislai Hungariæ* & *Bohemiæ* Regis antea Secretarius ſubſcriptus legitur in membraneo diplomate *VVladislai*, quo privilegia Eccleſiæ & Capituli *Pragenſis* confirmat. „ Da„tum Pragae 24. Novembr. An. D. „M CCCC LXXII. Regni noſtri „annô ſecundô. „

„ Ad relationem D. VVilhelmi „de Riſemberg & in Rabi ſupremi „ Cancellarii Regni Bohemiæ. „

Magiſter Wenceslaus Ledecz Canonicus VViſſehradensis.

A Capitulo dein in Decanum electus, Eccleſiae benè praefuit, ablegatus à *VVladislao* ad ſummum Pontificem *Romam*.

VVENCESLAUS de *Plana*, Decretorum Doctor, Archi-Diaconus, & Concionator Eccleſiae *Pragenſis*, Decanus electus ad An. 1483. Obiit Feria ſecunda ante Feſtum *S. Georgii* An. 1488. ſepultus in Eccleſia Metropol.

tropol. ante Capellam *S. VVenceslai.*

JOANNES de *Popova*, Canonicus *Pragenſis* An. 1488. electus in Decenum.

THEODORICUS de *Tandorff*, Canonicus *Pragenſis*, ex Decano Præpoſitus. „Quoniam ergò „(inquit *Wladislaus* in Regiis ſuis literis) „de jure & ſtatutis dictam Præpo-„ſituram vacare novimus, adducti „precibus, morum gravitate, „ſcientiarum multiplici farragine „Venerabilis Magiſtri Theodorici „Eccleſiæ noſtræ Wiſſehradenſis „Decani devoti Nobis dilecti, „quem ad ante dictam Præpoſituram „VViſſehradenſem duximus nomi-„nandum, ac præſentandum, imò „nominamus, præſentamus per „præſentes Venerabilibus Decano „& Canonicis dictæ Eccleſiæ noſtræ „VViſſehradenſis &c. Datum Bu-„dæ die S. Valentini An. 1507. Re-„gnorum autem noſtrorum Hunga-„riæ decimo ſeptimo, Bohemiæ „verò vigeſimo ſexto.

Magiſter BARTHOLOMÆUS, Canonicus *Pragenſ.* ad An. 1512.

GEORGIUS de *Przinda* confirmatus à *Leone X.* ſummo Pontifice. An. 1519.

SIMON *VVillaticus*, Archi-Diaconus *Pragenſis*, ad omnes Sanctos in caſtro Pragenſi Præpoſitus, Poëta Laureatus. Recepit A. 1530. è muro ſacriſtiæ *Crumlovienſis* originales fundationum & privilegiorum *VViſſehradenſium* literas, & partem aureæ, argenteæque ſuppellectilis, quæ *Jacobus* à *Praga* Decanus ante *Ziſkiana* incendia eò recondiderat. Ruens per infortunium è ponte pulverulento caſtri *Pragenſis.* Obiit. De eo *Chronica Launenſ.* MS. „An. „1549. die Jovis ante Purificatio-„nem Simon Villaticus Canonicus „Prag. dum cervos infra pontem „pulverulentum caſtri Pragenſis di-„ſcurrentes proſpectaret, ruptô per „infortunium aſſere in foſſam deci-„dit, & occubuit, qui dein ad Ec-„cleſiam S. Benedicti in Hradczano „fuit ſepultus.

MARTINUS *Decanus.*

LAURENTIUS *Deanus*, ad An. 1545. usque 1553.

VVOLFGANGUS *Chanovvsky* à *Dlauhovves* in Univerſitate *Bononienſi* Doctor, Canonicus *Pragenſis*, & Decanus *Carlſteinenſis.* Obiit die 10. *May* An. 1586. Prope ſepulchrum *S. Joannis Nepomuceni* in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi*, cujus erat ſpecialis cultor, ſepultus.

PETRUS à *Linda*, Doctor, Præpoſitus *Pragenſ.* & Decanus ſimul *VViſſehradenſis*, ſepultus in Eccleſia *Pragenſ.* prope Altare *SS. Philippi & Jacobi.* Epitaphium: „An. Dom. „1592. die S. Ludmillæ, obiit Re-„verendus Pater Dominus Petrus „Linden, Decanus, poſtea Præpo-„ſitus Eccleſiæ Pragenſis, & Deca-„nus VViſſehradenſis, ſub hoc „marmore eſt ſepultus. Orate Deum „pro anima ejus.

JOANNES *Medek* ab *Altentorff Ratiborienſis*, Canonicus *Pragenſis*, electus in Decanum *VViſſehradenſem* An. 1592. reſtauravit chorum templi. Circa lapidem marmoreum altaris majoris in Eccleſia *VViſſehradenſi* legitur: An. Dom. MDXCIX. VII. *May Joannes ab Altendorff ſenior Canonicus & Cantor chori Eccleſiæ Pragenſ. nec non Decanus* VViſſehradenſis *F. F.* Obiit An. 1604.

VVENCESLAUS *Albinus* de *Helffenburg*, Archi-Diaconus *Pragenſis*, electus in Decanum An. 1604. obiit An. 1606. ſepultus in Eccleſia *VViſſehradenſi.* Epitaphium ejus ante Cancellos Presbyterii ſonat: „Ad-

„Admodum Reverendus & No-„bilis VVenceslaus Albinus ab „Helffenburg S. Metropolitanæ Ec-„cleſiæ Pragenſis Archi-Diaconus „Vetero-Boleslavienſis & VViſſeh-„radenſis Decanus obiit in die „translationis S. Ludmillæ An. „1606. & hîc ſepultus. Orate pro „anima ejus.

MATERNUS *Gniſen à Kobach Sileſius* SS. Theologiæ Doctor, Canonicus VV*ratislavienſis*, Capellanus Aulicus *Rudolphi II.* Imper. electus primò in Canonicum, dein in Decanum VV*iſſehradenſem* die 9. *Februarii* in Feſto *S. Apolloniæ* An. 1607. dum ob peſtem *Pragæ* graſſantem cum Aula *Litomericii* ſubſiſteret, inſtitutus ab *Innocentio Moniga* Præpoſito die 23. *Februarii*, quæ erat vigilia *S. Mathiæ*. Fuit Maternus è numero optimorum Decanorum, qui zelo Eccleſiæ Dei multa egregia opera incepit, ſed fortuna invidente non perfecit, paulò poſt Decanatum reſignans, præprimis *E*ccleſiam VV*iſſehradenſem* valde pauperem, ruinoſam ac ſordidam inter Ziſskianas ruinas miserè gemiſcentem inveniens, ſequenti ſtatim menſe ab accepta poſſeſſione, incepit eandem reſtaurare, ſacriſtiam expurgare, novis feneſtris & picturis exornare, murum chori ab imo usque ad ſummum novâ ſtructurâ educere jurium Decanalium acerrimus defenſor & cuſtos. Multa etiam oblata à Patronis pro *E*ccleſiæ fabrica obtinuit. At dolendum. Inter hæc præclara in *E*ccleſia Dei impenſa opera Vir zeloſus, aliò evocatus An. 1610. Decanatum reſignavit. Cui per viam electionis à Capitulo celebratæ die 20. *April.* eodem anno ſucceſſit.

PETRUS *Linteo à Pilſenburg* Patricius *Plsnenſis* & Parochus antiquæ *Plsnæ*, Vir doctus, ſerius, ætate gravis, ſequenti ſtatim annô furibundæ *Huſſiticæ* plebis direptionem paſſus, dum enim die *Martis* Bachanaliorum An. 1611. milites Cæſarei dicti *Paſſavienſes* parvam portam ingreſſi fuiſſent, ad tumultum concita plebs *Huſſitica Pragenſis*, potiſſimùm verò novæ civitatis, loca ſacra, cœnobia, templa, ædes parœciales, ſeditionis acie perſtepentes exſpoliârunt, & effusô Sacerdotum ſanguine polluerunt, ea tempeſtate Decanus etiam VV*iſſehradenſis Petrus Linteo* violentas plebis manus perſentiens ſua amiſit omnia, *E*ccleſiæ tamen & Capituli privilegia, (æternum poſteris decus & gloria) intacta ſervavit. Abſcondit ea in loco non obvi è patente, in camera lapideo fornice cincta ſuper cellario, cujus feneſtrella vineam verſus tectulô, porta verò objectô tabulatô ſuſpenſas veſtes continente, occultata fuit. *MS.* VV*iſſehradenſ.* nova ejus potiſſimùm ſollicitudine ac impenſa opera ſtatuta Capituli, ſalvô tamen vigore veterum de An. 1340. condita, fuêre quæ incipiunt.

„Nos DEI Gratiâ Caſparus Arſenius Plsnenſis à Radbuſa Præpo-„ſitus VViſſehradenſis SS. Pragen-„ſis *E*ccleſiæ Archi-Diaconus. Pe-„trus Linteo Litomerzickzi Plsnen-„nenſis à Plsenburg SS. VViſſehra-„denſis Eccleſiæ Decanus, Pau-„lus Piſtorius à Luczka, SS. „Theologiæ Doctor, ſenior VViſ-„ſehradenſis Canonicus Capellæ „Regiæ in Karlſtein Denanus, Si-„mon Broſius ab Horſtein, Deca-„nus Pragenſis, VViſſehradenſis, „& Capellæ Regiæ omnium San-„ctorum in Caſtro Pragenſi Cano-„nicus, Joannes Sixtus à Lerchn-„feld, *E*ccleſiæ Pragenſis, VViſ-„ſehradenſis & Vetero Boleslavien-„ſis Canonicus, Daniel Ungarus „de Geneczicz, Canonicus VViſ-„ſehradenſis & Decanus Smecznen-„ſis, Laurentius Strugius, *E*ccleſiæ „VViſſehradenſis Reſidens Canoni-„cus totúmque Capitulum SS. Re-„giae, *E*xemptæ SS. Apoſtolorum „Petri & Pauli *E*ccleſiæ in VViſſeh-

 „rado

„rado prope Pragam, nullius diœ„ceſeos, & ad Romanam Eccleſiam „absque medio pertinentis.„ Finiunt:

„Ego Petrus Linteo à Plſenbūrg, „Eccleſiæ Wiſſehradenſis Decanus, „ſubſcripſi coram DEO, & Ange„lis ejus poteſtans aliter eidem Ec„cleſiæ nutanti, quàm his conſti„tutionibus provideri haud poſſe, „nec ſperandum unquam in ea in„ſtauranda aliquem profectum, niſi „priùs fundamenta hæc jaciantur. „Alioquin ſimpliciter, & abſolutè „in oculis Divinæ Majeſtatis cenſeo, „mercenarios illos ſeu potiùs malæ „vineæ cultores, qui centum, & „ampliùs annis Eccleſiam hanc inſtar „alicujus cloacæ (in quam ſordes „quibus ipſi exonerari percuperent, „ejectarent) cujus titulos, & re„ditus pro libidine, & non pro fo„vendo cultu Divino, ſubditorúm„que ædificatione, plenis titulis „haurirent, per vices obtinuerunt, „ſi non malè perdendos, ſaltem „per quam longiſſimè ab eadem Ec„cleſia arcendos & propellendos. „Vineam autem tradendam aliis.

Petrus Decanus.

„Die 25. Septembr. An. 1613. „DEO, & Sanctæ Mariæ Gloria & „S. Apoſtolo Petro Victoria.„ Obiit An. 1615.

Magiſter JOANNES *Sixtus* à *Lerchenfels*, ex Canonico *Pragenſi* electus Decanus *Wiſſehradenſis* An. 1615. at poſtea An. 1618. reſignatô Decanatu, evectus eſt ad Præpoſituram *Litomericenſem* obiit An. 1629.

PAULUS *Piſtorius* à *Luczka Zatecenſis*, SS. Theologiæ Doctor, & præſtans Mathematicus, è *Carlſteinenſi* Decano electus in *VViſſehradenſem.* Tempore Rebellionis An. 1618. plurima mala perpeſſus ab hæreticis ſtatibus. Vir multæ patientiæ, & fortitudinis robore clarus privilegia Eccleſiæ & Capituli adverſus plebis *Huſſiticæ* turbas *VViſſehradi* non ſatis ſecura in ſaccis frumentariis deferri curavit ad Monaſterium Monialium *S. Annæ* in Veteri Urbe *Pragenſi*, ubi locata fuêre ſub tecto ejusdem Monaſterii. At miſſis interea ab Hæretico Gubernio Commiſſariis, qui depoſita in Monaſteriis perquirerent, ancillæ Monaſterii, dum dicti Commiſſarii ſub tectum aſcendunt, privilegia in ſaccis è tecto ad aream, quatenus notitiam eorum effugerent, dejecerunt, atque hoc caſu plurima ſigilla cerea confregerunt. Obiit octogenariô major An. 1630.

VVENCESLAUS *Ploczar* de *Ruzovva Novo-Domenſis* ex Archi-Diacono *Kuttenbergenſi* electus Decanus & die 22. *Februarii* An. 1630. à *Simone Broſio* ab Horſtein, Suffraganeo & Præpoſito *Pragenſi* Canonico ſeniori *VViſſehradenſi* inſtallatus. Vir verè bonus, & ſimplex corde, rerúmque ac jurium Eccleſiæ acer vindex; Benefactor Societatis JESU. Collegio *Neo Pragenſi*, vineas trans *Moldavam* feraciore loco ſitas, ſex millium florenis coemit. Domui Profeſſæ *Micro-Pragæ* mille florenos, quos antea conceſſerat, moriens donavit. Binos præterea in Collegio Convictorum alendos Sacerdotes, liberales perpetúosque proventus ex cenſu annuo quinque millium ducentorum florenorum aſſignavit, in eum finem, ut intra hebdomatam, quoties à ſcholis vacatur, in Eccleſia *Wiſſehradenſi* ſacrificia Miſſæ celebrarent; in majoribus autem ſolemnitatibus ipſi Decano, ſucceſſoribúsque ad aram ſacrificantibus adſtarent, certis ſupplicationibus intra annum peragi ſolitis adeſſe, easdemque comitari teneantur. *Inſtrumen. Fundat. ſub die* 5. *Junii An.* 1650. Sacræ iconi *B. Virginis Mariæ* in Eccleſia *Wiſſehradenſi* legavit ſexaginta florenos. Reliquæ ejus fortunæ per ultimam voluntatem, in qua

mul-

multa ſalutaria monita pro bono Capituli reliquit, Eccleſiæ *Wiſſehradenſi* obvenerunt. Reſignavit Decanatum in manus Capituli *Wiſſehradenſis*, cum precibus pro *Martinô Weſſelansky*. Copiæ reſignationis in *Protocoll. ſub Dato* 10. *Martii An.* 1657. Et fuit dein *Martinus Weſſelansky* omninò â Capitulo electus, etſi Dominus Præpoſitus *Benno* â *Martinicz* aliqualiter ſe contrarium monſtraret. *Liter. ejus ad Capitulum die* 6. *April. An.* 1657. Ex quibus colligitur, quod tardiùs obierit *Wenceslaus* de *Ruzovva*, quàm conſignaverit *P. Crugerius Calend. Hiſtor. ad diem* 19. *Januarii* An. 1656. ſepultus in Eccleſia *Wiſſehradenſi*.

MARTINUS *Weſſelansky* ab *Horſtir Pragenſis*, ob morum probitatem, & ſcientiæ Excellentiam ex Alumnatu Archiepiſcopali â Cardinali ab *Harrach* in Cæremoniarium aſſumptus, poſt plura congregata merita die 30. *Martii* An. 1658. in Decanum *Wiſſehradenſem* electus, & die 4. *April.* eodem annô inſtallatus. *Protocoll. Capit. fol.* 49. Fundi proſtrati Eccleſiae ſub eo plurimùm conſurgere cœperunt. Ædificavit braxatorium cereris, officinam laterum, & fornacem calcis, ac ob plures fundos nullô jure ab incubis poſſeſſos lites movit, ſed mors praecox caeptis invidit.

JOANNES *Klimeſs Regino-Hrâdecenſis*, SS. Theologiae Doctor ab An. 1655. Curatus *Teinenſis Vetero-Pragæ* dein An. 1666. electus Decanus *Wiſſehradenſis*. Praefuit laudabili zelo Eccleſiae viginti quinque annis. Ad Eccleſiam novum campanile exſtruxit. Obiît die *Veneris Sanctô*, quae tunc erat 13. *April.* An. 1691.

JOANNES *Benol Pragenſis* ex Alumnatu Archiepiſcopali ad curam animarum promotus, exemplaritate vitae; Sacerdotali zelo, ac jugi laborum patientiâ *Czerhovicii*, ac *Pragæ* in Eccleſia *B. Virginis* ad *Lacum* cum laude inclaruit, unde in Canonicum Reſidentialem aſſumptus, viginti quatuor annis fideliter Eccleſiæ *Wiſſehradenſi* inſervivit. Tandem die 10. *Junii* An. 1691. â Capitulo in Decanum electus. Exornavit Eccleſiam grandibus eleganti penicillo pictis ſanctorum Patronorum iconibus, novis Canonicorum ſtallis, & ſedibus, & aliâ pretioſâ ſuppellectili. Moriens 26. *April.* An. 1706. Eandem Eccleſiam ex aſſe haeredem dixit, cujus beneficio Poſteris gratiſſimè memorando pars Eccleſiae exſtructa fuit. Sepultus in eadem Eccleſia, ſcripturâ indice:

Siſte Viator
&
Lege hIC DeLatVM.

„QUieſcere Regni Bohemiae
„ Praelatum; Joannem Wen-
„ceslaum Benol poſt multos in vi-
„nea Domini exantlatos labores,
„hujus ſacroſanctae Eccleſiae per
„XXIV. annos Canonicum Reſi-
„dentialem, ejusdemque per annos
„XV. Decanum Capitularem, cu-
„jus ſola cura, labor & ſtudium fue-
„rat, dilectio domûs Dei, ideóque
„non tantùm vivens in decorem
„ejus multa impendit, ſed etiam
„moriens pro univerſali haerede in-
„ſtituit, & deſuper XVI. Aprilis ſu-
„prà & infrà ſcripto Anno obiît.

Poſt Iſtos teMporaLes Labores aeterna gaVDens paCe.
Cui bene precare, & abi.

MATHIAS *Macht* â *Levvenmacht*, *Pragenſis*, SS. Theologiae Baccalaureus formatus, ex Archi-Diacono *Pragenſi* die 14. *Julii* An. 1706. electus â Capitulo in Decanum *Wiſſehradenſem* obiît die 10. *May* An. 1719. Poſt exceſſum hujus Decani, dum eodem Anno Capitulum

ex hæreditate D. Decani *Benol* tractum Eccleſiæ ſeptentrionalem (ſub quo fragmina columnæ à Diabolo quondam *Româ* ex Eccleſia *B. V. Mariæ* trans *Tyberim* allata ſervantur) è fundamento novâ ſubſtructione excitâſſet, varia *Bohemiæ* Ducum, Regum, Dynaſtarum, Præpoſitorum, Decanorum, & Eccleſiæ Canonicorum ſepulchra ſaxo, ac æri etiam inciſis Epitaphiis inſignita reperta, at in ſuis locis relicta fuêre; dolui ſæpè defuiſſe curioſam antiquitatis manum, quæ ſingulas inſcriptiones memoriæ cauſæ ad hiſtoriæ lucem poſteris adnotâſſet. Unius Canonici ſepulchrale ſaxum caſu mihi poſt cætera jam inhumata oblatum, ità refert: *Annô Domini, Milleſimo tercenteſimo octoges - - Aſcenſionis Domini. Obiît Honorabilis Dominus Marquardus de Sodels Canonicus hujus Eccleſiæ.* In ſcuto fert ſagittam.

JOANNES WENCESLAUS DITRICH à *Lilienthal*, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, in ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *Wiſſehradenſis SS. Petri* & *Pauli* Decanum ex Parocho *S. Stephani Majoris Neo-Pragæ* curâ animarum meritiſſimo per viam ſcrutinii An. 1719. à Capitulo electus. Zelus domûs Domini qui eundem decomederat, munificâ poſterorum memoriis celebrandâ manu, Eccleſiam *Wiſſehradenſem*, ſæculorum vetuſtate detritam, Ziſkianô excidiô in buſtum projectam, ità novo decori, & pulchritudini reſtituit, ut multorum judiciô veteris magnificentiæ viciniam adipiſci videatur. Non tantùm enim Presbyterium ſeu chorum, in quo Canonicorum ſtalla continentur, verùm & totam Eccleſiæ navim fornice ſuper veteribus, hactenus ſub tecto abſconditis pilaſtris, adfixo, tam decoré ſublimavit, ùt intrantibus hæc mutata Eccleſiæ facies, & admirationem, & conſolationem cauſet, átque omnino obryzæ laudis epigraphen meruerit. Primam in pariete chori: „ Hoc Presbyterium ſeu chorus reſtauratus, & reformatus eſt elevando, ſub Decano Joanne Wenceslao Ditrich à Lilienthal An. 1728.

Secundam in pariete Navis Eccleſiæ: *ab An. Dom.* 1723. *usque ad An.* 1729.

Fecerat hic tantum, quantum non fecerat alter,
Poſt fundatoris nomen habere poteſt.

Ulteriora ejus pro Gloria DEI & honore SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, meditata ſecundet Dominus.

NO-



NOMINA QUORUNDAM CANONICORUM WISSEHRADENSIUM.

POſt tot *Wiſſehradi* clades & excidia vixdum Præpoſitorum & Decanorum nomina retenta ſunt. De Canonicorum minor ſollicitudo. At nè & hæc, quæ in vetuſtatis marginibus hinc inde hærentia lucubrantium diligentiâ inventa, poſterorum memoriâ penitùs excidant, eadem in hanc ſeriem cogere, & charæ poſteritati commendare conſtitui. Erant autem Canonici præbendati reſidentiales viginti, inter quos quatuor Prælati *Præpoſitus*, *Decanus*, *Scholaſticus*, & *Cuſtos*.

SÆCULO XI. poſt *Chriſtum* Natum Fundationis Eccleſiæ & Capituli *Wiſſehradenſis* primô ab Anno 1068.

JOANNES ex Canonico Decanus, dein Præpoſitus, tandem *Pragenſis* Epiſcopus. *Dobrovitus*, *Milota*, *Henricus Slavon*, *Miroslavv*, *Slugota*, *Domagoſt*, *Chriſtophorus*, *Hroznata*, *Godefridus*, *Lubgoſt*, *Honata*. Cæterorum nomina exedit vetuſtas.

SÆCULO XII. ab Anno 1100.

ALexander, *Gervaſius*, *Vincentius*, *Zacharias*, *Martinus*, *Podiva*, *Adraſtus* Cuſtos, *Jaroſſius*, *Adalbertus*, *Slavata*, *Tercicus*, *Fridericus*, *Alexius*, *Alexander*, Magiſter *Burchardus*. Cæteri incogniti.

SÆCULO XIII. ab An. 1200.

Bohuslaus Canon. *Pragenſis*, *Engelbertus*, *Chuno*, *Godefridus* Cuſtos, *Fridericus* Scholaſticus. An. 1245. *M. Joannes de Aſſaſtenburg* Scholaſticus,

cus, *Alberoni* Canonicus An. 1254. *Bartholomæus* Cuſtos *Wiſſehradenſis*, Archi-Diaconus *Olomucenſis*, *Dominus*, *Petrus*, *Hermannus*, *Jordanus*, *Arnoldus*, *Laurentius*, *Joannes*, *Henricus*, Proto Notarius Regis *Bohemiæ*. An. 1262. *Przmiborius* Scholaſticus *Pragenſis*, Canonicus *Wiſſehradenſis*, in amoribus *Ottogari*, Regis *Bohemiæ*. An. 1289. Magiſter *Henricus*, M. *Joannes* Scholaſticus, *Simon*, *Cuſtos*, *Welislaus*, *Pragenſis*, *Olomucenſis* & *Wiſſehradenſis* Canonicus, Proto-Notarius Regni *Bohemiæ*. An. 1292. *Petrus* Canonicus *Pragenſ.* & *Wiſſehradenſis* Proto - Notarius *VVenceslai Regis*.

SÆCULO XIV. ab An. 1300.

F*Ranciſcus* Hiſtoricus Canonicus, & Rector ſcholæ in *VViſſehrad.* An. 1318. *Henricus* de *Schonenburg*, *Fridericus* donat bona in *Kamen moſt* cantoriæ *VViſſehradenſi*. An. 1321. *Nicolaus* Cuſtos, *VValterus* Scholaſticus. An. 1332. *Mainhardus* Cuſtos, *Tobias* Scholaſticus, An. 1339. *Petrus* de *Milizin*. An. 1342. *Seifridus* Cuſtos, *Tobias* Scholaſticus. *Vitko*. An. 1357. *Buſsko* Archi-Diaconus Curimenſis, *Zaviſius*.

An. 1376. *Genczo* Præpoſitus *S. Crucis VVratislaviæ* Vicarius Generalis *Joannis* de *VVlaſſim* Archi-Epiſcopi, *Ulricus* de *Luticz*, *Marquardus* de *Sobieſſin*, Magiſter *Chriſtianus*, *Bivinus* Archi-Diaconus *Plsnenſis*, *Dominicus*, *M.* de *Janovitz*, Decret. Doctor. *M. Sulko*, *VVolkmarus*, *Wenceslaus* de *Ugezd*, *Nicolaus* de *Litomyſl*, *Vitko* de *Zruczicz*, *Thomas* Cantor.

An. 1377. *Ulricus Huemburg*, Rector hoſpitalis *S. Mariæ* de humilitate ſub *Wiſſehrado*, nunc vulgò *S. Eliſabethæ*.

An. 1379. *M. Wenceslaus* de *Gylovv*.

An. 1382. *Svvatoslaus*, Cuſtos, donat 8. Sexag. cenſus Canonicis *S. Apollinaris*. An. 1384. *Ciborius* Canonicus & Sacriſta. An. 1385. M *Jacobus* de *Sicca*, Doctor Decretorum.

An. 1387. *Joannes Peznik*, Vicar. General. Archi-Epiſcopi *Pragenſis*.

An. 1389. *Joannes* de *Pomuk*, Decret. Doctor, Archi-Diaconus *Zatecenſis*, Canonicus *Wiſſehradenſis*, & *Pragenſis* Vicarius Generalis *Joannis* Archi-Epiſcopi. Fidelis concivis & virtutum imitator *S. Joannis Nepomuceni*. Uterque fuit fortiſſimus pugil Eccleſiæ, hic *ſacræ confeſſionis*, alter *immunitatis Eccleſiaſticæ*. Uterque cum *Wenceslao* Imper. pigro victoriosè conflixit. E ponte Prageno præceps, Moldavum in vitam æternam hauſit ſanctus 16. *May* An. 1383. Alter die 19. *Aprilis* An. 1393. Uterque Patriæ, & Capituli gloria & decus. Sanctus *Pragenſis* alter *VViſſehradenſis*. De eo vide *Notas cap.* 10. An. 1395. *Fridericus*.

SÆCULO XV. ab Anno 1400.

ANno 1400. *Wenceslaus de Hor*, dictus *Dobrman* Vice-Decanus, *Joannes de Lucemburg*, Cuſtos, *Nicolaus de Litomyſsle*, *Witko de Czernczicz*.

An. 1407. *Joannes Sadlo* de *Smilkovv*, Præpoſitus Eccleſiæ O. O. SS. in caſtro *Pragenſi*. *Nicolaus Ubaldini*, Archi-Diaconus Prerovienſis in Eccleſia *Olomucenſi*.

An. 1409. *Bohunko* dictus *Divoczek* de *Gemiſt*. *Joannes Radnicz*, M. *Joannes* de *Kralovicz*, Canonicus

Pra-

Pragenſis, *Franciſcus* de *Gevviczka*, *Joannes* de *Drachkovv*, *Joannes* dictus *Kÿtbicz*, M. *Petrus Zderas*, Scholaſticus, *Thomas* de *Radnicz*, Vice-Decanus, *Beneſſius* aliàs *Beneda*, Sacriſtanus, *Nicolaus* de *Mislabor*, Curatus ad *S. Nicolaum Vetero-Pragæ.*

An. 1410. *Joannes Neuſtup*, Præpoſitus Eccleſiæ *Teinenſis*, *Joannes* dictus *Kaba*, *Joannes Hermanni* de *Kralovvicz*, Baccalaureus in Decretis.

An. 1411. *Nicolaus Genheri*, Scholaſticus, *Chvvalo*, Cuſtos.

An. 1412. *Vierdunk*, *Andreas Divvozek*, Ruinatô An. 1420. per *Ziſkam Wiſſehradô* Canonici partim occiſi, partim in varias Regni oras diſperſi. Bona & Latifundia Eccleſiæ & Capituli direpta, abalienata & divendita. Vaſtitas exinde & abominatio deſolationis per ſæcula. Quocircà ſubſequentes grandem hanc ruinam Canonici, *Canoniam* duntaxat *nudam* ſinè præbenda obtinent, id eſt: *voce* quidem in Capitulo, & *ſtallo* in choro, nullis autem reditibus, excepto ſolô & unicô Canonicô reſidentiali gaudent, ideò ad nullam etiam reſidentiam obligati ſunt.

An. 1430. *Joannes Schündel*, *Joannes Andreas*, *Jodocus à Roſis*, Canonici *Pragenſes.*

An. 1470. *Joannes Neſo* de *Zittavia*, *Joannes Kaplirz*, *Nicolaus* à *Ledecz*, *Wladislai* Regis *Bohem.* Cancellarius. *Wenceslaus de Plana*, *Joannes de Popovva*, Canon. *Pragenſes* & *Wiſſehradenſes.*

SÆCULO XVI. ab An. 1500.

THeodoricus à *Tondorff*, *Mag. Bartholomæus*, *Georgius de Przinda*, *Simon Villaticus*, *Wolfgangus Chanovvsky*, *Martinus*, *Laurentius*, *Petrus à Linda*, *Blaſius Kremer de Blana*, *Georgius Bartholdus*, *Pontanus*, *Henricus Scribonius*, omnes ſimul Canonici *Pragenſes.* Pauci hoc leguntur Canonici ſæculô. Dum Decani ad Eccleſiam non reſiderent, & unus ſolùm Capellanus, qui functiones Parochiales in Eccleſia *S. Joannis*, quæ nunc in vallo ruinata jacet, perageret, ab An. 1559. reliquus eſſet.

SÆCULO XVII. ab An. 1600.

JOannes Medek ab *Altendorff Ratiborienſis*, *Wenceslaus Albinus* de *Helſtenburg*, *Paulus Piſtorius*, Decanus *Karlſteinenſis*. *Maternus Gniſen* à *Kobach*. *Sileſius*, SS. Theologiæ Doctor, Capellanus Cæſaris *Rudolphi II.*

An. 1608. die 29. *Januarii* ſub Decano *Materno Gniſen* celebratum Capitulum Generale, & per viam ſcrutinii in Canonicos electi fuere.

Caſparus Arſenius de Radbuſa Plsnenſis dein Decanus *Metropolitanus.*

Simon Broſius ab Horſtein, dein Præpoſ. & Suffragan. *Pragenſis.*

Joannes Sixtus à Lerchenfels, Archi-Diaconus *Plsnenſis* dein Canonicus *Pragenſis.*

Daniel Ungarus de *Genczicz*, Decanus *Smecznenſis* dein Præpoſitus *Litomericenſis.*

Joannes Erneſtus Plateis à Platenſtein, Canonicus *Pragenſis*, & *Olomucenſis*, tandem etiam electus *Olomucenſis* Epiſcopus, ſed mors invida eum ante conſecrationem An. 1637. die 21. *Auguſti* hora 5. veſpertinâ annô ætatis ſuæ 52. *Olomucii* ſuſtulit. Summus Catholicæ fidei zelotes, & hæreſum inſectator, vincula, car-

ceres & mortem penè ipſam ob fidei conſtantiam ſæpè perpeſſus. *Pragam* devectus *Neo-Pragæ* ad *S. Wenceslaum* apud excalceatos Patres *Auguſtinianos*, quos ex aſſe hæredes ſcripſerat, ſepultus. Ideò illi pro Viri Munificentiſſimi memoria effigiem ejus ſuper refectorii porta appenſam ſervant. *Ferdinando II.* Imperatori valde etiam charus extitit, quare Imperator *Platiſianam* ejus in carbonario *Veteris Pragæ* foro, propè *S. Martini* Parochiam, ſitam domum (quæ antiquitus ob fundationem Burgundica appellabatur) ex civico gremio extraxit, Regiísque tabulis per expreſſum reſcriptum An. 1626. immatriculavit.

An. 1624. ſub *Paulo Piſtorio* Decano per viam ſcrutinii electi fuêre.

Die 4. *Julii Georgius Bilek* Parochus *Chotieſchovienſis*, dein Decanus *Vetero-Boleslav.* tandem Archi-Diaconus *Crumlovienſis.*

Die 23. *Septembr. Mathæus Czernovsky*, Decanus *Branduſienſis* dein Archi-Diaconus *Regino-Hradecenſis.*

Die 26. *Septembr. Mathæus Thomæ*, Archi-Diaconus *Crumlovienſis.*

Eodem *Mathæus Guldanus*, Archi-Diaconus *Plsnenſis.*

An. 1630. die 2. *Febr.* Wenceslaus de *Ruzovva Novodomenſis*, Archi-Diaconus *Kuttenbergenſis*, eodem die electus in Decanum.

An. 1361. die 25. *Jan.* electi per viam ſcrutinii, *Bartholomæus Rottlender*, Decanus *Smecznenſis*, &

Chriſtophorus Kleblat, Metrop. Eccleſiæ Sacriſtanus, dein Canonicus *Pragenſis.*

An. 1633. in Feſto *SS. Petri & Pauli*, *VVenceslaus Udalricus Teubner*, SS. Theologiæ Doctor, Canon. *Pragenſ.*

An. 1635. die 24. *Julii Ferdinandus Leopoldus Benno*, Comes de *Martinicz.*

Andreas Kokr à *Kokerberg*, Canonicus *Pragenſ.*

Elias Colbius à *Colamberg*, SS. Theologiæ Doctor, Canon. *Pragenſ.*

Laurentius Strugius à *Roſenſtein.*

Joannes Tyburtius Kottvva, Canon. *Pragenſ.*

An. 1638. die *SS. Petri & Pauli* per viam ſcrutinii electi.

Joannes Franciſcus Raſch ab *Aſchenfeld*, Canon. *Pragenſis.*

Dionyſius Mieſcizek de *VVeiskovv*, Archi-Diaconus *Plsnenſis.*

An. 1640. die 2. *Septembr.* in dedicatione Eccleſ. VV*iſſehrad. Joannes Georgius* VV*ienczovvsky* Parochus ad *S. Martinum Pragæ.*

An. 1649. 22. *Junii*, *Adalbertus Schram*, Parochus in *Tein Vetero-Pragæ.*

Eodem, *Sigismundus Gräff*, Canon. *Pragenſ.*

Rudolphus Roder, Decanus Eccleſiæ Collegiatæ *Litomericenſis.*

An. 1650. die 29. *Junii Chriſtophorus Reinheld*, Canon. *Pragenſ.*

VV*enceslaus* VV*ikrocelius*, Decanus *Smecznenſis* dein Canon. *Pragenſ.*

An. 1651. 29. *Junii* VV*enceslaus Carolus* de *Schvvartzbach*, Decanus *Kamenicenſis.* *Hieronymus Hannibal*, Decanus *Smecznenſis.*

An. 1652. 29. *Junii* electi per viam ſcrutinii.

VVen-

Wenceslaus Cœleſtinus à *Blumberg*, Archi-Diaconus *Kuttenbergenſis*, dein Canon. *Pragenſis.*

Sebaſtianus Zbráslavvsky, Archi-Diaconus *Plsnenſis*, dein Canon. *Pragenſis.*

An. 1653. 14. *Septembr. Joannes Ignatius Engelbertus*, Archi-Diaconus *Tynhorſſovvienſis.*

Eodem *Joannes VVenceslaus Klimeſch*, SS. Theologiæ Doctor, Parochus *Pragæ* in *Tein.*

An. 1654. 21. *Junii Martinus VViſſelansky* de *Horſtir.*

Martinus Franciſcus Kemblich, SS. Theologiæ Doctor, Decanus *Horſſovvienſis*, dein Præpoſitus *Veterò-Boleslavienſis.*

Joannes VVenceslaus Jacobides Decanus *Miſnenſis.*

Eodem An. die 6. *Sept. Urbanus Franciſcus Piletius*, Archi-Diaconus *Plsnenſis. Michael Natalis*, Decanus *Suſſicenſis.*

An. 1666. die 1. *Sept.* ſub *VVenceslao Klimeſch*, Decano per viam ſcrutinii electus *Thomas Joannes Peſſina* à *Czechorod*, dein Decanus *Pragenſis.*

Joannes Benol à 16. *Octobr.* An. 1669. Canonicus Reſidentialis, dein Decanus.

Franciſcus Ferdinandus Tſhedix, J.U. Doctor, Decanus *Carlſteinenſis*, obiit die 15. *Januarii* An. 1706.

An. 1668. 10. *Decembr.* in Canonicum reſidentialem electus *Nicolaus Moſtiensky*, obiit eodem annô, & menſe die 31.

An. 1670. 6. *Februarii* per viam ſcrutinii electi.

Joannes Ignatius Dlauhovesky de *Longa villa* dein Præpoſ. *Prag.*

VVenceslaus Papaczon de *Klarenſtein.*

Joannes Franciſcus Chriſtophorus Barò de *Talmberg*, J. U. D. dein Canon. *Pragenſis* & Epiſcopus *Regino-Hradecenſis.*

Joannes Franciſcus Straka, Canonicus *Reginæ Hradecenſis.*

Georgius Victorin Parochus *Pragæ* ad *S. Martinum.*

An. 1673. 10. *May Albertus Schram* de *VVolſce*, Decanus *Przeſticenſis.*

Joannes Drahnovvsky, Decanus *Hradiſtenſis.*

Georgius Krigelſtein, SS. Theologiæ Doctor, dein Canon. *Pragenſ.*

An. 1691. *in Septembr.* ſub *Ioanne VVenceslao Benol* per viam ſcrutinii electi fuere.

Gulielmus Etzweiler, Rector Seminarii Archiepiſcopalis per 13. annos, dein Canonicus Reſidentialis. Obiit 26. *May* An. 1718.

Adamus Ignatius Mladota de *Solopisk*, dein Decanus *Pragenſis.*

Mathias Adalbertus Macht de *Levvenmacht*, Canon. *Pragenſis.*

Andreas Koſſina ad *S. Henricum Neo-Pragæ* Parochus, obiit die 27. *Iunii* Anno 1707.

Ioannes VVenceslaus Olomuczki, SS. Theologiæ Baccalaureus, Parochus in *Tein Veterò-Pragæ*, obiit 5. *Martii* An. 1695.

Ioannes Chriſtophorus Brodt, Parochus ad *S. Martinum Pragæ* obiit 3. *Auguſti* An. 1695.

An. *1697.* die *29. Aprilis* per viam ſcrutinii electi.

Henricus Pechaczek, SS. Theologiæ Baccalaureus, Archi-Diaconus *Plsnenſis* Obiît An. 1714.

Blaſius Franciſcus Franta, Parochus ad Beatiſſimam Virginem ad Lacum *Pragæ.*

SÆCULO XVIII. ab An. 1700.

JOannes *Wenceslaus Hotovvecz* de *Levvenhaus* & *Huſſenicz*, SS. Theologiæ Baccalaur. dein Decanus *Pragenſis.*

Ferdinandus Bohuslaus ab *Ullersdorff* & *Niemtſch*, SS. Theologiæ Doctor, *Brunæ* ad *S. Petrum* Canonicus Curatus.

Joannes Daczic zky, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Archi-Diaconus *Kuttenbergenſis.* Obiît An. 1722.

Adamus Auguſtinus Sineſius, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, *Decanus Pardubicenſis*, obiît 19. *Decembr.* An. 1727.

Joannes Herold de *Stoda*, Decanus Capituli *Vetero - Boleslavienſis.* Obiît die 27. *Januarii* An. 1723.

Mathias Hagek, Archi-Epiſcopalis Seminarii Rector, & Reverendiſſimi Conſiſtorii Archi-Epiſcopalis Aſſeſſor, obiît 26. *May* Anno 1730.

Joannes Franciſcus Lamormaini, SS. Theologiæ Bacclaureus formatus, Canonicus Reſidentialis. Obiît An. 1729.

Michel Franciſcus Czerni, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Decanus *Colinienſis*, obiît die 22. *Sept.* An. 1728.

Franciſcus Guilielmus Mibes, Parochus *Libeticenſis*, obiît 13. *Martii* An. 1727.

Wenceslaus Grocz, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Decanus *Potſchadécenſis* dein Præpoſitus *Novo-Domenſis*, obiît die 8. *Novembr.* An. 1730.

Moderno, quo hæc ſcribo, Anno 1733. ad ſacroſanctam & nullius Diœceſeos EccleſiamCollegiatam *Wiſſehradenſem*, SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* prope *Pragam* Capitulares ſunt ſequentes: *Reverendiſſimi, Illuſtriſſimi Perilluſtres Eximii, ac Clariſſimi Domini, Domini.*

Titulo pleno:

JOannes *Adamus*, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus *Litomericenſis*, è S. R. I. Comitibus *Wratislavv* de *Mitrovvicz*, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *Wiſſehradenſis* SS. Apoſtol. *Petri* & *Pauli* Præpoſitus, S. Metropolit. Eccleſ. *Pragenſ.* Prælatus Emeritus. Obiît die 2. *Junii* An. 1733.

Joannes Wenceslaus Ditrich à *Lilienthal*, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VViſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Decanus.

Joannes Florianus Hammerſchmid, SS. Theologiæ Doctor, Proto-Notarius Apoſtolicus, Comes Palatinus, Auratæ Militiæ Eques, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VViſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* die 16. *Novembr.* Anno 1698. inſtallatus, nec non *SS. Coſmæ & Damiani Vetero-Boleslaviæ* ſenior Canonicus, Regiæ Urbis, *Vetero-Pragenſis* B. V. M. in Cœlos Aſſumptæ in *Tein* Parochus, Sacerdos Jubilatus.

Daniel Thadæus Slavvik, SS. Theologiæ

logiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus reſidentialis, nec non Regiæ Civitatis *Pilgram* Decanus emeritus.

Chriſtophorus Hubatius, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Proto-Notarius Apoſtolicus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Regiæ Urbis *Vetero-Pragenſis* ad *Lacum* Parochus.

Thomas Stupanek, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, SS. Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Decanus *Chlumecenſis* in Diœceſi *Regino-Hradecenſi*.

Joannes VVenceslaus Mesleczki, in Univerſitate *Carolo Ferdinandea Pragenſi* SS. Theologiæ Doctor, S. Metropolitanæ Eccleſiæ *Pragenſis* Canonicus, & Prædicator *Bohemicus*, nec non ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis*, SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus.

VVenceslaus Henricus Erithræi, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Regiæ Montanæ Civitatis *Kuttenbergenſis* Archi-Diaconus.

Adamus Norbertus Scholcz, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ, Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, *Neo Boleslavienſis* Decanus.

Joannes Thomas Adalbertus Berghauer, natus *Egræ* die 7. *Octobr.* An. 1684. in Univerſitate *Carolo Ferdinanda Pragenſi*, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, & Juris utriusque Doctor, ſacroſanctæ Regiæ, Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, electus die 24. *Febr.* inſtallatus die 29. *Junii* in Feſto *SS. Petri* & *Pauli* An. 1728. Eccleſiæ *Rzechlovienſis* vulgò *Tschechavienſis*, Diœceſis *Litomericenſis* Parochus.

Carolus VVenceslaus Czerni, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ VV*yſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Regiæ Civitatis *Czaſlavienſis* Decanus.

Franciſcus Scherzer à *KleinMühl*, in Univerſitate *Carolo-Ferdinandea Pragenſi*, SS. Theologiæ Doctor, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ VV*yſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Decanus *Alto-Mautæ*.

Ioannes Ioſephus Budin, in Univerſitate *Carolo Ferdinandea Pragenſi*, SS. Theologiæ Doctor, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ VV*yſſehradenſis* SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus ad *S. Martinum* Vetero-*Pragæ* Parochus.

Ferdinandus Carolus Chrzepiczki à *Modliczkovvicz*, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ & nullius Diœceſeos Eccleſiæ VV*yſſehradenſis*, SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, Decanus *Budinæ*.

Ioannes VV*enceslaus Unger*, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ſacroſanctæ Regiæ Exemptæ, & nullius Diœceſeos Eccleſiæ VV*yſſehradenſis* SS Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* Canonicus, in Regia Civitate *Pilgram* Decanus.

In Curia Litomyslenſi originale inſtrumentum aſſervatur. Cùm id egregias memorias *Epiſcopatûs Litomyslenſis* cum exercitio *juris Metropolitici Archiepiſcopi Pragenſis* continet, operæ pretium eſſe duxi Erudito Lectori ejus copiam ex autographo exhibere.

COPIA SENTENTIÆ SEU ARBITRAMENTI IOANNIS à VVLASSIM, ARCHIEPISCOPI PRAGENSIS INTER ALBERTUM à STERNBERG, EPISCOPUM LITOMYSLENSEM, & EJUS CAPITULUM LATÆ.

„JOannes DEI Gratiâ, S. Pragenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus „Apoſtolicæ ſedis legatus. Dudum „inter Reverendum in Chriſto Patrem Dominum Albertum Epiſcopum Litomyslenſem ex unâ, & „ſuum Capitulum ex altera parte ſuper pluribus articulis in literis diviſionis & declarationis prius habitis, contentis, & partes ipſas, „ut dicebatur, non ſervatis, nec non „ſuper quibusdam articulis de novo „emergentibus orta materia quæſtionis. Nos propter bonum pacis, & concordiæ indemnitati tam „perſonarum, quàm Eccleſiæ, Metropolitico Nobis jure ſubjectô „providere volentes, partes ipſas „ad concordiam curavimus commonere, quæ tandem in Nos ſuper omnibus litibus, quæſtionibus, articulis, & controverſiis „tanquam in arbitratorem, & amicabilem Compoſitorem de alto & „baſſo, ut verbis utamur vulgaribus, ſub pœna, quam infligendam „duximus, compromittere nobis „præſentibus, & dictum arbitrium „voluntariè aſſumentibus curârunt, „prout inſtrumentô inde confectô „plenius continetur. Nos igitur „viſis articulis & informationibus „partium, pro informatione noſtra „ſummariter per earum aſſertiones „& confeſſiones habitis, & eis æquâ „juſtitiæ lance diſcuſſis, literis diviſionis, & declarationis viſis & diligentiùs recenſitis, communicatô „conſiliô ſapientum arbitrium pronunciationem, ſeu laudum, prout „inferiùs deſcribitur in DEI nomine „duximus inter partes ipſas, quorum abſentiam divina compleat „præſentia, promulgandum. Primò „& ante omnia pronunciamus & arbitramur, laudamus, & definimus, quod præfatus Reverendus „Pater Dominus Epiſcopus, fratres „& Canonicos ſuos paternâ & benignâ affectione pertractet, & „ipſorum Gratioſus Dominus, & „amicus, ipſos & Capitulum promovendo, & etiam protegendo, „econtra etiam ipſi Canonici Domino Epiſcopo cum omni reverentia pareant & intendant. Item „arbitramur & pronunciamus, quod „Prior Eccleſiæ Lithomyslenſis illam juriſdictionem in Canonicos „ſuos habeat, prout in diviſionis „& declarationis literis continetur. „Item laudamus, pronunciamus & „definimus, quod Dominus Epiſcopus non recipiat quemquam in „Canonicum & Novitium ſine Capitulo, & conſenſu majori ipſius. „Item arbitramur, pronunciamus „& definimus, quod Dominus Epiſcopus infrà annum faciat demoliri, & deſtrui balneum in civitate „per ipſum factum, & quod jus balneorum in præjudicium Capituli „ibidem non habeat, cùm jus ipſum „per Capitulum legitimè ſit præſcriptum, aut ſi utique vult balneum „ipſum habere, ex tunc Canonicis, „ex capitulo cenſum duarum ſexagen. in diœceſi Lithomyslenſi in „aliquo certo loco cum pleno Dominio in recompenſam det & aſſi-

„gneti

„gnet: Item pronunciamus & mandamus, quòd & major pars Capituli concordaverit de aliquibus perſonis Capituli mittendis ad ſtudia literarum. Mittantur contradictione Domini Epiſcopi non obſtante, ità tamen quòd ipſe Dominus Epiſcopus requiratur, an ipſe vocem in capitulo noſcatur habere. Item pronunciamus & mandamus, quòd Capitulum poſſit habere artifices, & Mechanicos in fundo ſuo pro neceſſitate tantum ſua. Item pronunciamus, quod Dominus Epiſcopus, ſi quempiam ex Canonicis proprietarium invenerit, rem ipſam non ſibi retineat, ſed ad Capituli commune reſtituat, proprietarium ipſe Canonicè ſolus puniat, prout ſibi Dominus inſpirabit. Item pronunciamus quòd Dominus Epiſcopus non prohibeat vendere portiones, ſeu præbendas ad alicujus vitæ tempora, maximè, ſi utilitas hoc expoſcit, major pars Capituli conſentit, & ipſe in hoc fuerit requiſitus. Item quod Dominus Epiſcopus non impediat legata, ſeu teſtamenta pro Capitulo & Eccleſia, etiamſi legantur agri emphytevtici, ità tamen quod Capitulum agros ipſos cum onere ſuo aliis perſonis humilibus vendere teneatur. Item quod Dominus Epiſcopus, à judicibus Capituli nulla tributa, ſeu exactiones recipiat, ſed ſervitiis in æquis ſibi debitis ſit contentus prout in diviſionis literis continetur. Item pronunciamus, quòd homines ſubditi, & cenſuales Domini Epiſcopi non vadant ad ſylvas Capituli ſinè ipſius Capituli licentia, pro quibuſcunque lignis colligendis, contrariâ conſuetudine non obſtante. Item pronunciamus & definimus quod Dominus Epiſcopus deſtruat, & deſtrui faciat ædificium ſeu tugurium ſuper fundo Capituli pro fiendis lateribus conſtructum, ſi, & in quantum fuerit per ipſum Capitulum requiſitus. Item pronunciamus, laudamus, arbitramur, & definimus, quòd Dominus Epiſcopus quoties ſuam Lithomyslenſem Eccleſiam viſitabit, cùm ipſe cum eis intra ſepta domicilium habeat, nihil amplius quam duas Sexagen. groſs. nomine procurationis recipiat ab eiſdem, & ſic tali certa quota in antea ſit contentus. Item volumus & arbitrando definimus, quòd Dominus Epiſcopus mandet infrà menſem à notita partium computandum, fieri talem proclamationem. Remittit Dominus Epiſcopus quòd homines tam ipſius quàm Capituli molant, ubi volunt, emant ligna, & res alias ubi volunt, & hanc revocationem ſeu mandatum faciat â notitia pronuntiationis præſentis infrà menſem. Nec ammodo impediat, quo minus homines libertatem habeant molendi, vel ligna & res alias emendi, ubi volunt. Item pronunciamus & declaramus, quod de cellis & cancellis hoſtiorum ſtetur reformationi, quam nuper in ſcriptis fecimus, viſitatione præmiſſa. Super bono autem 10. ſexagenarum cenſus de villa Jansdorff, item ſuper commodis ſpecialibus pro Prælatis Capituli infrà ſepta habendis, ſuper contributione pro nuntiis ſedis Apoſtolicæ, ſuper talliatione Hermanni, & Heslerii, item ſuper 25. ſexagenis groſſ. receptis, pro expeditione in Marchiam, & 30. ſexagenis pro avena receptis, ac de plebano in Czernicz, & ſuper præſentatione Eccleſiarum Nobis & diſpoſitioni ſeu pronunciationi noſtræ impoſterum reſervamus. Ita tamen, quod ex nunc in antea Dominus Epiſcopus nulla tributa, vel exactiones tales recipiat ab eiſdem, niſi neceſſitatis tempore charitativum ſubſidium poſtularet. Proteſtamur autem, quod per hanc noſtram pronunciationem diviſioni factæ per Dominum VVratislaum nolu-

„ nolumus in aliquo derogare. Item „ pronunciamus & arbitramur & definimus, quod dictum arbitrium „ ſeu pronunciatio noſtra per partes „ ipſas in parte, & in toto ſub pœna „ trecentarum ſexagenarum parti tenenti per partem non tenentem „ ſolvendarum inviolabiliter obſervetur, & quod Nos, Succeſſores „ noſtri partes ipſas, ſeu partem ad „ ſolutionem dictæ pænæ poſſimus „ & poſſint cogere monitione tantùm præmiſſa Eccleſiaſticam per „ cenſuram, ità tamen, quòd Nos ſeu „ Succeſſores noſtri habebunt declarare, partem, ſeu partes in pœnam „ hujusmodi incidiſſe. Item reſervamus nobis poteſtatem arbitrium, „ laudum ſeu pronunciationem hujusmodi corrigendi interpretandi. „ Præſentem noſtram pronunciationem per JoannemNoſtrumNotarium publicum infrà ſcriptum „ ſubſcribi, & publicari mandavimus, noſtrorúmque ſigillorum appreſſione juſſimus communiri. Datùm & actùm Pragæ in curia noſtra „ Archi - Epiſcopali annô Domini „ milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, indictione prima, „ die quinta menſis Auguſti, hora „ quaſi veſperorum Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri Domini Urbani divinâ „ providentiâ Papæ ſexti annô primô, præſentibus Venerabilibus „ Viris Dominis Jenczone Præpoſ. „ Eccleſiæ S. Crucis VVratisl. Borſone Bechinenſ. & Przibislao Horſovien. Archi-Diaconis in Eccleſ. „ Pragenſ. Magiſtro Emiſſone decretorum Doctore, & Jacobo Præpoſito Olomucenſ. teſtibus circa „ præmiſſa. „

(L. S.) *Et ego Joannes olim Welfſini de Pomuk dictus Pragenſis diœceſ. Imperiali authoritate, Notarius publicus pronuntiatorum laudo diffinitionem, omnibúsque aliis præmiſſis cum ſic, ut præmittitur, fierent, & agerentur, unà cum prænominatis teſtibus præſens fui, eáque alias occupatus negotiis per alium Notarium ſcribi feci, ſignóque & nomine meis conſuetis conſignavi, & in hanc publicam formam de mandato Domini, Domini Archiepiſcopi redegi, rogatus: & requiſitus in fidem & teſtimonium præmiſſorum.*

(L.S.)
Archi-
Epiſcopalis
pendentis.

Ex ſubnotatione hac *Joannis Welfſini de Pomuk* Autoritate Imperiali Notarii publici, quidam in errorem acti, reputârunt ſcriptum *Sancti Joannis Nepomuceni* eſſe. At hi, æque ac illi, qui Sancto, *Joannis Haſſil* nomen imponunt, incertis ac obſcuris vulgi judiciis decipiuntur; cùm *Sancti Ioannis Nepomuceni* cognomen proditum non ſit, nec in ſcriptura epitaphii, ubi maximè exiſtere deberet, expreſſum. Et illius *Ioannis VVelſlini* inſtrumenta plura poſt Martyrium *S. Ioannis* confecta in Archivo *Capituli Pragenſis* reperiantur. Quem denique eundem ipſum eſſe, qui dein Vicarius Generalis & Officialis exiſtens à *VVenceslao IV.* An. 1393. in flumen projectus fuit, infrà indubitatis argumentis docebo. Denique in Chronica *Launenſi* MS. lego: „ An. 1610. die 30. Junii obiît Launæ Simon Perzina, ſepultus ad „ S. Petrum, ſequenti die poſt veſperas Rzickaltz mu Haßil zrodem „ Nepomucka: *id eſt:* nominârunt „ illum Haſſil patriâ Nepomucenum. „ Ille *Ioannes Haſſil* probabiliter iſtius filius fuerit, qui *Zatecii* ſtuduerit. Porrò *Epiſcopatus Litomyslenſis* cum *Archiepiſcopatu Pragenſi* ſumpſit exordium, ut enim *Archi-Epiſcopus* non eſſet ſinè *Suffraganeis*: *Clemens VI.* ab *Epiſcopatu Olomucenſi* & *Pragenſi* quaſdam ditiones ſeparando

novum

novum erexit Epiſcopatum in *Civitate Litomyslenſi* ad confinia *Moraviæ*: Præprimis Eccleſiam *S. Mariæ* in monte *Oliveti* nuncupatam ordinis *Præmonſtratenſis* in Eccleſiam Cathedralem, ipſum conventum verò Canonicorum Regularium in Capitulum Cathedrale elevavit, & dein certas ditiones ab utroque *Pragenſi* & *Olomucenſi* Epiſcopatibus dividendo eidem attribuit. Sciendum autem, in oppido *Lithomyslenſi* ad confinia *Moraviæ*, monaſterium ordinis *Præmonſtratenſis* Regiâ opulentiâ fundatum ſtetiſſe. Cujus monaſterii fragmenta Archivi, in meas manus per bonam fortunam delapſa, cùm pervolviſſem, plura reperi, quæ in pleniorem hiſtoriæ patriæ cognitionem conducunt. Quæ nè injuriâ temporum, aut incuria hominum penitus tandem aboleantur, eâ pro parte hìc recenſere conſtitui. Præ cæteris inter Autores, non parva lis fuit, de fundatore illius. Conſtat autem ex Autographis *Wladislai II. Bohemiæ* Regis literis, monaſterium *Lithomyſslenſe* fundatum fuiſſe à *Przetislao*, qui omnino non alius fuit, quàm *Svvato pluci Bohemiæ* Principis filius. Ratio enim Chronologiæ id oſtendit, quid quid alii contradicant. Poſteaquam enim *Sobieslaus* Princeps *Bohemiæ*, Agnatis ſuis *Brzetislao* & *Sobieslao*, ex *Svvato pluco Bohemiæ* Principe progenitis ditionem *Lithomyſslenſem* cum vicis circum jacentibus donô dediſſet, *Bretislaus* ibidem templum & cœnobium in honorem *D. Virginis Mariæ* in editiore ſupra oppidum loco, prope ædem ſuam ſumptuoſo operè erexit, atque Canonicos Regulares Ordinis *Præmonſtratenſis* vivente adhuc *S. Patre Norberto* ejusdem ordinis fundatore, ſuaſu *Sobieslai* fratris ſui, qui eidem fundatori *Spiræ*, dum in Archiepiſcopum *Magdeburgenſem* à Cæſare inauguraretur innotuerat, ad An. 1132. introduxit. Quam fundationem dein idem *Sobieslaus* cenſibus auxit. Tandem *Henricus Zdik* ejusdem ſanguinis Princeps, & Epiſcopus *Olomucenſis*, dum defunctis *Brzetislao* & *Sobieslao* in ſecunda *Lotharii* Imperatoris expeditione Italicâ An. 1136. malignâ febri extinctis, ditionem *Lithomyſslenſem* à *Sobieslao* Duce rurſum donô accepiſſet, memoratum cœnobium reditibus ampliavit, atque *Oliveti* montis nominè inſignivit. Audiamus hìc *Pulkavam* MS. *Hiſtor. Bohem.* ad An. 1141. *Idem Henricus* (*Zdico* Epiſcopus *Olomucenſis*) „ quantæ religionis, quan„tíque conſilii fuerit, opera ejus „ clarè edocent. Nam Eccleſiam „ S. VVenceslai in Olmütz à Princi„pibus inchoatam feliciter conſum„mavit. Ac de licentia ſummi Pon„tificis D. Innocentii ab Eccleſia S. „ Petri illam tranſtulit faciens Cathe„dralem, ac decorans rationali „ aureô, nec non pretioſiſſimis or„namentis. De ligno etiam S. Cru„cis de Hieroſolymis apportatò „ tribuit magnam partem. Et cùm „ eſſet Hieroſolymis, aſſumpſerat ha„bitum, & regulam S. Auguſtini „ ſub SS. Apoſtolis conſtitutam. „ Inſuper unâ cum Duce VVladislaò „ prædicto, & ejus conſorte Gertru„da fundavit monaſterium ordinis „ Præmonſtratenſis in monte Stra„hovv, quem appellaverunt mon„tem Sion. Aliud quoque mona„ſterium ejusdem ordinis fundavit „ (id eſt ampliavit) „ in Leutomysl, „ quod appellari montem Oliveti „ voluit. Quodque DEO propitiò „ temporibus Domini Caroli IV. „ Rom. Imp. & Bohemiæ Regis pro„moventis hoc ipſum per Clemen„tem Papam ſextum erectum eſt in „ Eccleſiam Cathedralem, cujus „ primus Epiſcopus fuit Joannes „ frater ejusdem Ordinis, qui ibi„dem feliciter requieſcit. „ Hactenus *Pulkava*. Quia verò præter recenſitos fundatores & ampliatores ſucceſſu temporis adhuc alii erant hujus cœnobii Benefactores,

non erit ingratum curioſo antiquitatum amatori literas *Wladiſlai* Regis ex præcitato Archivo per extenſum hic exſcribere, quæ ſic habent:

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

„EGo VVladiſlaus DEI Gratiâ,
„Bohemorum Rex II. omni-
„bus Chriſti fidelibus tam præſenti-
„bus quàm futuris in perpetuum. Re-
„gni cura nobis à proviſore omni-
„um bonorum DEO conceſſa eſt,
„ut ſanctam Religionem ſtudeamus
„modis omnibus propagare, & lo-
„ca venerabilia cum ipſis perſonis
„Divino ſervitio mancipatis atten-
„tiùs confovere, quatenus nullis
„pravorum hominum inquietan-
„tium moleſtiis, vel importunis fa-
„cientium angariis (pauca deſunt).
„Ea propter Eccleſiam Litomiſs-
„lenſ. in qua Regulares Canonici
„Divino mancipati ſunt obſequio,
„ſub S. VVenceslai, & noſtra pro-
„tectione ſuſcipimus, & præſenti
„privilegio communimus, ſta-
„tuentes ut quaſcunque poſſeſſio-
„nes, quæcunque bona tam Pre-
„zislai loci illius fundatoris, vel So-
„bieslai ejusdem loci amplificato-
„ris, quàm aliorum DEI fidelium
„donô, vel conceſſione poſſident,
„aut in futurum juſtè ac Canonicè
„poterunt adipiſci, firma eis eo-
„rúmque ſucceſſoribus & illibata
„permaneant. Decrevimus ergò,
„ut nulli omninò hominum liceat
„eandem Eccleſiam temerè per-
„turbare, aut ei bona ſeu poſſeſſio-
„nes aufferre, retinere, vel qui-
„bus libet moleſtiis fatigare. Quod
„ſi qua Eccleſiaſtica ſæculariſve Per-
„ſona hanc noſtræ conſtitutionis
„paginam ſciens contra eam venire
„tentaverit ſecundò, tertióve
„commonita, ſi non ſatisfactione
„congruâ emendaverit, poteſtatis,
„honoriſque ſui dignitate careat,
„& Epiſcopo ſit poteſtas à ſacro
„corpore, & ſanguine Domini No-
„ſtri JESU Chriſti eam alienandi.
„Cunctis autem eidem Eccleſiæ ju-
„ſtitiam ſervantibus, & hìc fructus
„bonæ actionis, & in futuro præ-
„mia æternæ pacis retribuantur.
„Amen. Hujus verò confirmatio-
„nis noſtræ Teſtes ſunt Fratres mei
„Theobaldus, & Henricus, Filii
„quoque mei Fridericus, & Svva-
„topluk, Daniel Epiſcopus Pra-
„genſ. Joannes Epiſcopus Mora-
„vienſis, Gervaſius, Cancellarius
„& Præpoſitus VViſſehradenſis,
„Ulricus Præpoſitus Pragenſis:
„Czateur Sacenſis, Domoslaus,
„Archi-Diaconus Pragenſis, Pere-
„grinus Curimenſis, Slavvon Grà-
„dicenſis, Othmar Boleslavienſis.
„Bertholdus de Raudnic, Duth-
„leb de Bechin, Budilaus caſtellan-
„nus Pragenſis. Bſnata VViſſeh-
„raden. JarognievvSatzenſis, Ne-
„moy de Nitolicz, Driſislau de Gel-
„zen, Zdieslaus de Curim, &
„alii quàm plurimi. Hæc autem
„ſunt donationes loci illius; Dux
„Bryecislaus dedit villam Seczi cum
„duobus aratris, & duabus terris,
„in Reſtouch dedit fabrum nomine
„Macek cum filiis, & filiabus, Na
„dobrauníci dedit equas indomitas
„cum paſcuis, & cuſtodibus ea-
„rum, & Jivan, & Dobrach, Pi-
„ſtorem nomine Jan, cujus filius
„Cdemoy, poſtea pro redemptio-
„ne ſuimet, dedit ſervum nomine
„Valdis cum Uxore, & filiis, &
„filiabus. Dedit etiam prædium
„Kedoſine cum apibus, & cuſtode
„earum nomine Souol cum filiis, &
„filiabus, Igradiſci dedit duos pi-
„ſcatores, VVec, & Sonetam cum
„omni prole ſua. De moneta de-
„dit ducentos denarios omni Sab-
„batho accipiendos. De porta
„terræ, quæ dicitur Natrſtenei de-
„dit ſal Ungaricum, cumulum quo-
„que porcorum colligendum. Con-
„ſtituit etiam, ut ſi quis quamcunque
„feram in territorio illo ceperit,

„par-

„partem carnium ejus ſolvat illi Ec-„cleſiæ, & qui non ſolverit trecen-„tos nummos Caſtellano, bovem „verò Eccleſia habeat, Hinov ſin-„gulis annis dedit quatuor boves, „duas vaccas, & quatuor oves, „pro quibus omnibus ego Wladiſ-„laus Rex poſtea rogatu pauperum „illa ſcilicet perſolventium conſti-„tui mille & quingentos nummos „accipiendos. Dux Sobieslaus „dedit villam Cerkovvice. Ego „etiam Rex Wladislaus dedi præ-„dium meum Repine & terram Li-„tomisli dejectis inde hominibus. „In villa autem Lozie dedi, quid-„quid vel Sdiko Epiſcopus emerat, „vel quod homines vimCaſtellano-„rum ferre non valentes deſertum „reliquerant. Terram etiam quam „Pater meus Jacudalori ſuo nomine „Dobretæ in villa Salaſecz dederat „ego illi Eccleſiæ contuli. Uxor „autem mea nomine Gertrudis de-„dit duas villas: Kolodege, & Riko-„vvicze,& terram in villaLepetovic „ad Tinec pertinentem, ubi poſtea „Abbas Joannes emit terram à Co-„mite Cuslaic. Idem etiam Abbas „emit terram in villa Friſcovici, in „qua quidam homo Modlata cum „filio ſuo nomine Petro veniens in „Eccleſiam ſuprà dictam ad conver-„ſionem dedit terram ſuam. Dux „Otto dedit in Moravia tres villas, „Pametice, Waſum, & Richovice, „Comes Bavor dedit villam Ivano-„vvice & omnes villas ſuas,quas ha-„bebat in Moravia præter unam „quam dedit Nepoti ſuo Dlugo-„millo. Petrus filius Lubmani de-„dit villam ſuam naBabucine,Janek „miles dedit prædium ſuum, quod „vocaturna Viesdei,& terram,quam „emit à Pravota. Paulus filius Ga-„bes dedit terram Kakſacigore.Ho-„beslavvec Aguſo dedit prædium „Luto ſiech, ubi reliquum terræ „cum ſexcentis millibus nummorum „Abbas Joannes, & Abbas Deo-„carus emerunt. Præpoſitus Hro-„znata dedit villamOlſan. FraterNe-„moy dedit villam Rugnie, Rodo-„vvan, Archi - Diaconus Olomu-„cenſ. cum cognatis ſuis nomine „Dmitret Petro dedit terram in villa „Ivvanovvic. Abbas Deocarus „emit ſilvam à fratribus de S. Lau-„rentio juxta Grabovvicz,& terram „juxta Domaſſic, quæ vocatur nà „Kornizech, cui quoque ego VVla-„dislaus Rex contuli quodam præ-„diolum juxta villas ſuas Krecovici „& Rikovici cum flumine,quod vo-„catur Deſna, à Lubna usque ad „pontem, qui eſt in longis pratis. „Dedi & ſilvam totam à loco,qui vo-„catur Proſeka cum pratis omnibus „usque ad fluvium, qui dicitur Sui-„tava, dedi & forum Eccleſiæ Li-„tomiſslen. in Hrutora feria IIII. in „perpetuum. Dedi & Hruſſovva, „cum flumine Trſtenice usque ad „Yſpliſe, & ſilvam, quæ dicitur Mo-„krenice. Dedi & Svvabenice „cum flumineDeſna à ponte, qui eſt „in longis pratis usque ad villam „Cerequice, & ſilvam totam, quæ „dicitur Proſnie, Paganovice, „Cerekvice cum flumine, & ſilva. „Nurus mea uxor Friderici licentiâ „noſtrâ eidem Eccleſiæ contulit „quatuor tibnarios. Præfatæ Eccle-„ſiæ dedi in perpetuum; nullo ge-„nerali interdicto obſtante. Et „hoc idcircò excepimus, ut ferrum „ad opus Eccleſiæ ſemper exinde „conquiratur. Circuitum & ego „Rex VVladislaus eidem Eccleſiæ „contuli, qui dicitur na Lubnem „cum pratis omnibus,quæ vocaban-„tur naXolickach, & ſilvam totam „ab ortu Dezne usque ad fluvium, „qui dicitur Suratka. Statuimus „etiam, & firmiter obſervari præce-„pimus à Domino Abbate præfatæ „Eccleſiæ, & omnibus ſucceſſori-„bus ſuis, nè unquam aliquibus ho-„minibus villas in ipſa ſilva ponere, „aut quæpiam operis ad uſus pro-„prios elaborare conſentiant, ex-„cepto hoc ſolo, ſi fratres ejusdem „loci aliquid utilitatis voluerint, & „poterint in ipſa ſilva operari, cum

„ DEI Benedictione & noſtro favore „ proſequantur. Joannes Epiſcopus Moravienſis filius obedien. „ circuitionem ultra Sucha & Vodna, „ quam ego dederam ei, eidem Eccleſiæ contulit. Milota filius „ Zdieslai veniens ad converſionem „ duas villas dedit: Plegon & Nabreſine. Milacco Archidiaconus Cahomuh ad aratrum eidem Eccleſiæ „ dedit. Martinus etiam circuitum, „ qui dicitur Nasgori eidem Eccleſiæ „ dedit. Ego quoque Rex Wladislaus pro augendo ſervorum numero eidem Eccleſiæ totam ſilvam, „ agros, & omnia prata usque ad rivum Slupnice contuli, præter ſolam villam Domaſic. Et quò „ præfatam Eccleſiam numeroſitate „ villarum dotare non potui, ſilvam „ totam à rivo jam dicto usque ad „ flumen Tredovva, & de hinc quo„ usque fines Potremia colenduntur, „ in dotem perpetuam eidem Eccleſiæ contuli. Coram teſtibus ſuprà „ nominatis præſens ſcriptum Sigillo meo roborari curavi. Datum „ Pragæ per manum Gervaſii Cancellarii & Præpoſiti Wiſſehradenſis „ XIII. Calendas Februarii An. Dominicæ Incarnationis 1167. Regni verò Wladislai Regis VIII.

Præterea inter fragmenta Archivi hujus Cœnobii Abbatum nomina reperi ſequentia:

JOANNES Abbas *B. Mariæ Virginis* in *Luthomyſsl* Ord. *Præmonſtrat.* emit terram à Comite *Cuslan* pro monaſterio in lit. *Wladislai* Regis, de An. 1167.

DEOCARUS Abbas *B. Mariæ Virg.* in *Luthomyſsl* Ord. *Præmonſtrat.* emit ſylvam à fratribus de *S. Laurentio* juxta *Grabovvicz*, & terram juxta *Domoſſic.* Ibid.

GERMANUS Abbas *Luthomyſslenſ.* Ord. *Præmonſtrat.* in literis *Ottogari* Regis Tertii die 9. *Julii* An. 1221.

WALTERUS Abbas *Luthomyſsl.* obtinet à *Przemyſsl Ottogaro* remiſſionem culpæ *Hlava* nuncupatæ An. 1226.

HERMANNUS Abbas de *Luthomyſsl* Ord. *Præmonſtrat.* reperitur inter alios teſtes in literis *VVenceslai* Regis IV. libertatem Eccleſiæ *Pragenſis* confirmantis. An. 1249. XIII. Calend. *Auguſti.*

STEPHANUS Abbas *Lithomyſslenſis* obtinet ab *Ottogaro* Rege *Bohemiæ* jus tabernæ in villis monaſterii. „ Actum Pragæ An. 1268. „ Et datum ibidem per manus Magiſtri Petri Venerabilis VViſſehradenſis Præpoſiti, Cancellarii Regni noſtri. Octav. Calend. May.

Idem STEPHANUS Abbas obtinet ab *Ottogaro* Rege ſexaginta laneos agrorum pro monaſterio propè *Policzka* An. 1269.

ULRICUS Miſeratione divinâ Abbas *Luthomyſslenſis* Monaſterii Ord. *Præmonſtrat.* vendit à Monaſterio diſtantem agrum Nobili Dominæ *Eliſabethæ Dyrska.* V. Calend. *Julii* An. 1293.

Idem ULRICUS Abbas, *Joannes* Prior, *Henricus* Supprior, & *Conradus* Præpoſitus, totúsque conventus *Lithomyſslenſis* Monaſterii Ord. *Præmonſtrat.* elocavit cum conſenſu Regis *VVenceslai Tobiæ* Epiſcopi *Pragenſis*, *Guilielmi* Abbatis *Præmonſtrat.* Generalis Ordinis & *Budiſſii* Abbatis *Strahovienſis*, *Joanni* Præpoſito *VViſſehradenſi* & Regni Bohemiæ Cancellario villas *Vokoco*, *Pamethicz* & *Kladrub* ſexaginta marcis argenti Prag. ponderis, die IV. Idus *May* An. 1295.

CUNRADUS Abbas *Joannes* prior,

Prior, *Simeon* Supprior. Die 9. *Apr.* An. 1324. in MS.

Tandem Eccleſia & Cœnobium hoc, in Epiſcopalem ſedem converſum fuit An. 1347. Præprimis *Joannes* Abbas Monaſterii *Lucenſis* Ord. *Præmonſtrat.* in Proto-Epiſcopum inſtitutus, dein Capitulares electi, Capituli bona à menſa Epiſcopali ſeparata, certi demum novæ diœceſis fines determinati. Ad quod negotium ab Apoſtolica ſede deputatus fuit *Preczlaus* Epiſcopus *VVratislavienſis*, qui primos Capitulares Ordinis *Præmonſtratenſis* nominavit, proventus Epiſcopi & Capituli ſeparavit, & determinavit. Inſtrumentum Erectionis, & diviſionis, nè intereat, cùm totam œconomiam Epiſcopatus contineat, ex fragminibus Archivi ejusdem adjungo, ùt ſequitur:

In Nomine Domini Amen.

„NOs Preczlaus DEI Gratia Epiſcopus VVratislavienſis, Executor ad infràſcripta à ſede Apoſtolica ſpecialiter deputatus. Ad univerſorum tam præſentium quàm futurorum devenire volumus notitionem, quòd habuimus, & recepimus Litteras Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Clementis Divinâ providentiâ Papæ Sexti ſub vera ejus. Bulla plumbea in filo canabis pendenti, ſanas, & integras, omnique prorſus ſuſpicione carentes, per omnia in hæc verba: Clemens Epiſcopus Servus Servorum DEI, Venerabili fratri Epiſcopo VVratislavienſi Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum attendentes, quòd in tanta multitudine populi, quantâ fœcundavit, & auxit Altiſſimus Civitatem & Diœceſim Pragenſem, ſingulorum vultus nequibat, ùt decebat, unicus Paſtor inſpicere, aut alias partes boni Paſtoris implere, non ſinè gravi animarum diſpendio perſonarum degentium in eisdem: ex his, & certis aliis rationabilibus cauſis, quæ noſtrum, & fratrum noſtrorum animos ad id rationabiliter induxerunt, Civitatem Lithomyſslenſem, tunc villam infra Pragenſis Diœceſis limites conſtitutam Civitatis vocabulo decorantes, Eccleſiam quondam Monaſterii ejusdem Civitatis Præmonſtratenſis Ordinis, de ipſorum fratrum conſilio iu Cathedralem ereximus, ac eidem ſubſequenter Eccleſiæ de perſona Venerabilis fratris Noſtri Joannis Epiſcopi Luthomyſslenſis duximus providendum, præficientes ipſum in ejusdem Eccleſiæ Epiſcopum & Paſtorem. Verùm quia ſunt exhibita nuper nobis pro parte dilecti filii Nobilis Viri Caroli Marchionis Moraviæ primogeniti chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Bohemiæ Illuſtris petitio continebat, inter præfatum Epiſcopum, & dilectos filios Canonicos ejusdem Eccleſiæ, pro eo quod redditus, & proventus dictæ Eccleſiæ inter ipſos diſtincti non fuerunt, ſed per præfatum duntaxat Epiſcopum adminiſtrati hactenùs extiterunt, prout adhuc adminiſtrantur, nonnullæ diſcordiæ, & diſſenſiones ſubortæ fuerunt, ex quibus dicta Eccleſia debitis deſtituta ſervitiis, & Divinus cultus in eâ diminutus frequenter fuiſſe noſcitur. Nos cupientes quòd ſublata hujus modi diſcordiarum, & diſſenſionum materia, pax & tranquillitas vigeat inter eos, ac volentes, quod in dicta Eccleſia ad cultum Divinum, & alia ipſius Eccleſiæ opportuna ſervitia ſufficiens miniſtrorum numerus ſtatuatur, invenientes quoque de tuæ circumſpectionis induſtria, fiduciam in

„Domino ſpiritualem, Fraternita„ti tuæ de dictorum Epiſcopi & Ca„nonicorum procuratorum aſſenſu, „per Apoſtolica ſcripta committimus „& mandamus, quatenus ad partes „illas te perſonaliter conferens, ac „de reditibus & proventibus omni„bus ipſius Eccleſiæ diligenter & „plenariè te informans, certum in „dicta Eccleſia Canonicorum nu„merum Capitulum facientium, „unùmque Priorem, qui de ipſo „numero exiſtat, ac primum locum, „primámque vocem poſt Epiſco„pum habeat in eodem: nec non „perſonas alias ejusd. Eccleſiæ ſer„vitiis opportunas conſtituas, pro„ut ſecundùm exigentiam faculta„tum ipſius Eccleſiæ videris expedi„re, ac ipſos reditus & proventus „juxta tuæ diſcretionis arbitrium in „duas certas dividas portiones, „quà Epiſcopi & ſucceſſorum ſuo„rum menſæ, de qua portione ſta„tum ſuum decenter tenere, ac „ejusdem Eccleſiæ onera ſupporta„re & reliquam præfato Capitulo, „unde cum perſonis prædictis in „conventu commodè ſuſtentari va„leant, in perpetuum aſſignabis, ità „quòd tam Epiſcopo, qui pro tem„pore fuerit, quàm Capitulo præli„batis adminiſtrationis hujusmodi „portionis ſuæ libera in perpetuum „ſit facultas. Statuta quoque & „ordinationes, quæ pro obſerva„tione conſtitutionum diviſionis, & „aſſignationis prædictarum, & alias „ſuper Prioris, Capituli, & Perſo„narum prædictarum ſtatu, & ejus„dem Eccleſiæ ſervitiis opportuna „cognovimus, cum decentium inter„minatione pœnarum edere non „poſtponas. Contradictores per „cenſuram Eccleſiaſticam appella„tione poſtpoſita compeſcendo. „Non obſtante, ſi aliquibus commu„niter, vel diviſim à ſede Apoſtolica „ſit indultum, quòd interdici, ſu„ſpendi, vel excommunicari non „poſſint, per literas Apoſtolicas „non facientes plenam & expreſſam, „ac de verbo ad verbum de indulto „hujusmodi mentionem. Datum „Avenione ſecundo nonas May, „Pontificatûs noſtri Annô quartô. „An. 1346. Poſt harum literarum „receptionem volentes mandato „Apoſtolico humiliter obedire; „Nos ad Eccleſiam *Lithomyſslenſem* „perſonaliter tranſtulimus de redi„tibus & proventibus omnibus ip„ſius Eccleſiæ nos diligenter & ple„nariè informantes, certum infrà „ſcriptum Canonicorum & Præla„torum videbitur viginti octo: „Guntherum, Nicolaum olim „plebanum in lata valle, Henricum „Saxonem, Edmundum, Bartho„lomæum, Walterum de Praga, „Petrum Englberti, Conradum „Beneſs, Ludovicum de Wratis„lavia, Joannem Julianæ, Joan„nem Heinlini, Rothonem, Joan„nem de Dubavo, Jeſthconem „longum, Wilhelmum, Leonem „Tylmannum, Ulricum, Nico„laum de Rheno, Henricum de „Rheno, Joannem de Sanctis Vir„ginibus, Wognenem, Zdislaum, „Joannem dictum Opiczca. In di„cta Litomiſslenſi Eccleſia unúm„que Priorem ſcilicet Dythmarum, „qui de ipſo unico exiſtat, ac pri„mum locum, primámque vocem „poſt Epiſcopum habere in eodem „Capitulo, nec non Woyslaum „Cuſtodem, Joannem Cantorem, „Conradum Scholaſticum perſo„nas ejusdem Eccleſiæ ſervitiis op„portunas, voces in Capitulo, & „ſtalla in Choro juxta ordinem hic „poſitum obtinentes, & Capitulum „facientes duximus ſtatuendum, „prout ſecundùm exigentiam facul„tatum ipſius Eccleſiæ vidimus ex„pedire. Reditus quoque & pro„ventus eosdem juxta diſcretionem „à DEO nobis traditam, ac præfa„tum mandatum Apoſtolicum in „duas certas, ſubnotatas dividi„mus portiones; quarum una vide„licet hanc. Primô Civitatem Lu„thomislenſem cum omni Jure & „Do-

„Dominio, & uno Molendino in „Civitate eadem ſito, ac cum omnibus aliis ſuis pertinentiis, ſitus eſt „ab antiquo ipſa civitas locata; exceptis duntaxat reditibus pro pitantiis deputatis; & tertio dimidio „laneo agrorum ad Cuſtodiam „ejusdem Eccleſiæ Luthomislenſis „ſpectante, ac quindecim Virgas „agrorum, quæ ad Hoſpitale pertinent ab antiquo, item Cunczendorff, item Carlsbrux, item „Leznik, Sedlicor, Kalis, Trzemnſchna, & Zebranicze. Item „Lutherbach, item Lubna, item „Koſta, item Trzitecz, item Lata vallis, item villa Zyrmer, „item Lazan, item Orzeſicz. Item „in Cirkvvice de prato ſex groſſos, „item Ugazd usque in Choczinovv „aſcendendo cum omnibus juribus „& reditibus etiam obligatis, item „in Pazucha, item Zarnethin, item „Rez, item Nicols, item Bonovvicz. Item Oſſek, cum tribus „ſexagenis. Item curiam ſeu Allodium in Terczk cum rubetis & hortis. Item molendinum ibidem in „Terczk cum quatuor rotis, item „molendinum in Oſſek cum duabus „rotis. Item molendinum in Luterbach per medium, de quo Dominus „Epiſcopus Luthomislenſis mediedatem proventuum, & Capitulum ſuum aliam medietatem habebunt, item ſilvam in Janstorff, „item aliam ſilvam, item ſilvam in „Cunczendorff, item ſilvam Oberſzan cum mellicidiis ſilvarum earum. Item pratum longum, item „pratum in Deſna, item aquam „ſeu fluvium Civitatis Luthomislenſis usque ad metas antiquæ Muthæ. „Item bona ad ſpatia vitæ obligata. „Primo Secz & Choczynovv, item „Nediſchin & Bonovvicz, item „villam Oſſek, item Ruſchoph, „quod ad Feſtum S. Michaelis proximum erit per ſe liberum & exſolutum. Item curiam in Oſſek cum „quatuor araturis. Item Curiam in „Nediſin cum una aratura. Item in „Lutherbach annonas, ſcilicet triticum, ſiliginem, & hordeum, „ſcapulas, caſeos & ova ibi ſolvi „conſueta. Item Strakovv & Janſtoph, ubi ſunt quadraginta ſexagenæ redituum. Item Blimovv, „item bona ſimpliciter pro pecuniis „obligata, ſcilicet Ugasd, in quo „ſunt quinquaginta tres ſexagenæ „redituum obligatæ, quod tenet „Kornberger & Wolislavv. Item „Niemczicz & Dvvorzicz. Item in „Ugasd ſex ſexagenas redituum, „quas Martinus tenet obligatas. „Item in Rzicovvicz quatuor decim „ſexagenas. Item in Bonovvicz novem ſexagenas. Item in Jonstorff decem ſexagenas. Item in Elgotka octo ſexagenas. Item bona „in Bozidom, in Leznicz & Sedlikora, ſeptuaginta quinque ſexagenas. Irem curiam in Vyes cum „tribus araturis. Item curiam in „Jonsdorff cum duabus araturis „obligatum. Venerabilis Patris „Domini Ioannis Epiſcopi & ſucceſſorum ſuorum menſæ, de qua ſtatum ſuum & onera Eccleſiæ ſupportare decenter valeat, reliquam „vero portionem ſcilicet ſubſequentem primo villam Theodicti. Item „villam Abbatis. Item Stenicz. „Item in villa humuli viginti duas „ſexagenas. Item in Ionsdorff tres „ſexagenas. Item curiam in Wilkovv, cum rubetis & hortis & piſcina. Item molendinum in Kuſſovv cum tribus rotis. Item molendinum monialis. Item molendinum in Lutherbach prædictum „per medium. Item duas ſilvas ſcilicet Policenſem & in Lubna cum „earum mellicidiis. Item hortos „olerum retro clauſtrum. Item „pratum retro Nediſin. Item pratum in Nicols pertinens ad pitanciam. Item pratum judicis in villa Abbatis. Item fluvium ſeu aqua „Deska usque in Cirkvvicz. Item „curias ſeu grangias obligatas ad „tempora vitæ perſonarum. Primo in Oſſek Marquardi curiam

„cum

„ cum tribus araturis. Item curiam „ in Strakovv cum duabus araturis. „ Item bona pro pecuniis obligata „ ſcilicet in Strenicz decem & octo „ ſexagenas redituum. Item in „ Cyirkvvicz & Iavvornik triginta „ ſex ſexagenas. Item Trzitecz „ duodecim ſexagenas cum dimidia. „ Item in Lazan decem ſexagenas. „ Item in Lecznik quatuor ſexage-„ nas. Item in Kornicz duodecim „ ſexagenas. Item in Kunczen-„ dorff quinque ſexagenas. Item „ in alio Junsdorff decem ſexagenas. „ Item curiam in Maraſſicz cum dua-„ bus araturis. Item curiam in Ruſ-„ ſovv cum una aratura. Item in „ Zachovvia cum una aratura. Item „ Cimczendorph cum duabus ara-„ turis obligatos prælibato Capitulo, „ unde cum perſonis prætactis in „ communi ſuſtentari commodè „ poſſint, in perpetuum præſentibus „ aiſignamus. Sic, quod tam Ve-„ nerabilis Pater & ſui ſucceſſores, „ quàm etiam ipſum Capitulum ſu-„ pradicti quilibet in ſua portione „ diviſim adminiſtrationis in perpe-„ tuum liberam habeat facultatem „ hoc tamen ſalvo, quòd Judex Do-„ mini Epiſcopi Civitatis Luthomis-„ lenſis homines Capituli, quos in „ eodem litigare contigerit, prout „ fuit hactenus conſuetum, judi-„ care, pœnas verò judiciales „ ſeu emendas ab eisdem provenien-„ tes ipſi capitulo integrè præſenta-„ bit. Judices enim in bonis Ca-„ pituli reſidentes cenſum & pro-„ ventus ipſi Capitulo debitos ei-„ dem colligant fideliter, & impor-„ tent. Quantùm verò ad ſervitia „ in æquis facienda ipſo Epiſcopo, „ cui onus defenſionis bonorum „ omnium præmiſſorum incumbit, „ præeant, ſerviant & intendant. „ Ut autem diviſio bonorum & aſſi-„ gnatio prædictæ firmius obſerven-„ tur, decernimus per præſentes, „ quod ſi quis auſu temerario contra „ eas, aut earum aliquam venire præ-„ ſumpſerit, nisi infrà menſem ceſ-„ ſaverit, & Epiſcopus fuerit, ſuſpen-„ ſionis à Dominicis, & Capitulum „ interdicti, ſi verò ſingularitatis per-„ ſona, vel perſonæ cujuslibet ſtatûs „ aut conditionis exiſtant, excommu-„ nicationis pœnas ſe noverint incur-„ riſſe. Statuimus quoque Authori-„ tate Apoſtolicâ, quâ fungimur in „ hac parte conſtitutione hujusmodi „ perpetuò valitura, quòd Prior, qui „ eſt, vel pro tempore fuerit, regat „ dictam Eccleſiam in ſpiritualibus „ & Divinis officiis, præſitque aliis „ Canonicis & Prælatis, quorum „ exceſſus minores corrigat, majo-„ res verò ad Epiſcopum, qui pro „ tempore fuerit, referat corrigen-„ dos. Cuſtos autem exiſtens pro „ tempore curam plebis in memora-„ ta Eccleſia annexam habeat anima-„ rum, & quidquid in præmiſſa Ec-„ cleſia ex oblationibus & obvenien-„ tibus Chriſti fidelibus & de redi-„ tibus videlicet quinque marcarum „ & annonarum cuſtodiæ aſſignata-„ rum ſuſtulerit, hoc pro luminari-„ bus, vino, & oblatis, ac aliis „ conſuetis obſequiis impendere te-„ neatur. Porrò de officio ſit can-„ toris, quod in cantu & aliis ſolius „ Epiſcopi Eccleſiæ deſerviat, prout „ hactenus in eodem exiſtit obſerva-„ tum. Scholaſticus autem ejus-„ dem Eccleſiæ; cui curam Eccleſiæ „ S. Clementis Parochialis infrà ſe-„ pta Cathedralis Eccleſiæ prædictæ „ ſitæ annectimus; de oblationi-„ bus, proventibus & obventionibus „ hujusmodi Parochialis Eccleſiæ li-„ bros ad Divinum cultum ſpectan-„ tes procurare, & emendare ſit „ aſtrictus, præsitque Canonicis ju-„ nioribus per ſe aut alium ſcho-„ laſticis in doctrinis. Præte-„ rea perpetuo edicto ſancimus, „ quòd Prælatorum & Canonicorum „ electio & receptio, numero ſupra „ ſtatuto decreſcente, ad Epiſco-„ pum & Capitulum communiter „ debeat pertinere, Cuſtode & Scho-„ laſtico duntaxat exceptis, quo-„ rum inſtitutio jure perſonalibus

„ anne-

„annexo ſpectabit ſolummodo ad „Epiſcopum Eccleſiæ memoratæ. „Sanè quidem cum ſingula ſint offi- „cia ſingulis committenda perſonis. „ſtatuimus, quòd nullus ſimul eſſe „valeat Canonicus & plebacius. & „ſi quis Canonicus aut Prælatus ad „regimen Parochialis Eccleſiæ ca- „nonicè fuerit inſtitutus, eo ipſo „canonicatu vel prælatura ſuis pe- „nitus ſit privatus, & alius idoneus „in locum ipſius ſtatutis à Jure tem- „poribus aſſumatur. Cæterùm „cùm ob perpetuam exiguitatem re- „dituùm Eccleſiæ Luthomislenſis „prænarratæ, & multitudinem per- „ſonarùm ibidem exiſtentium o- „mnes in prænotato ſtatuto canoni- „corum numero nequiverunt col- „locari, duximus ordinandum, „quòd cedente, vel decedente ali- „quo Prælato, vel Canonico de nu- „mero ſupra dicto alius, quem „idem comprehendere nequibat „numerus, juxta vocationis ſuæ „ordinem, dummodo idoneus, eliga- „tur, quibus ſuperſtitibus ſcilicet „ad numerum prætactum tandem „ſucceſſivè reductis tunc primò no- „vos diminuto prælibato Canoni- „corum numero recipere ſit per- „miſſum, quod tamen recepti eun- „dem numerum non excedant. Si- „quis verò præſcriptum Prælato- „rum aut Canonicorum numerum „auſu temerario minuere, aut au- „gmentare præſumpſerit absque ſe- „dis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, & „Archiepiſcopus, aut Epiſcopus fue- „rit ab ingreſſu Eccleſiæ Domini, vi- „gore præſentium conſtitutionum „eo ipſo ſit ſuſpenſus. Si autem „Capitulum vel ſingulares perſonæ „de ſe ipſis hoc fecerint, ex tunc in- „habiles ad eligendum per bienniũ „cenſeantur, quorum inhabilitate „durante Canonicorum & Prælato- „rum electio ad Luthomislenſem „Epiſcopum tantùm, ſi in culpa „hujusmodi non fuerit, devolvatur. „Receptio vero ultra numerum hìc „inſertum facta nullius penitus ſit „momenti. Denique cùm nulli „Canonicorum Regularium pro- „prium in ſpeciali habere liceat „quoquo modo, ſi perpetuæ da- „mnationis interitum voluerint evi- „tare. Statuimus duos Canonicos „de numero prædicto in providen- „tiam, diſpenſationem, ac guberna- „tionem rerum temporalium me- „liorem in procuratores per ſolum „Capitulum eligendos, qui omnia, „& ſingula bona ejusdem Capituli, „ac ordinationem provideant ex „veſtitu, ità tamen, quòd Prælati de- „centiùs, quàm Canonici induantur. „Teneantur etiam Procuratores ſin- „gulis annis ad minus bis de bonis „per eos adminiſtratis, & perceptis „Capitulo debitam reddere ratio- „nem. Penes quod Capitulum li- „bera, & plena ſit poteſtas rationem „ab eisdem Procuratoribus exigen- „di, & deponendi, alios ſtatuendi, „quemcunque prout ipſius utilitati „& commodo videatur expedire. „Diſtrictè ſiquidem prohibemus, nè „Prior, qui pro tempore fuerit, in „Procuratorem ullo unquam tem- „pore eligatur, nè exterioribus im- „peditus circa Divinum cultum & „correctionem fratrum reddatur „tepidus & remiſſus. Volumus „etiam, ut Procuratores ſummâ dili- „gentiâ circa Prælatos & Canonicos „debiles ſint intenti, ipſisque ne- „ceſſaria tribuant, & de miniſtris „uno fratre, & famulo pro Prælato, „& de uno fratre vel famulo pro Ca- „nonico quolibet infirmitatis tem- „pore ſtudeant providere. Præ- „latis autem ſanitate perfruentibus „duplicem præbendam in victuali- „bus, ratione amplioris officii & „oneris quotidie adminiſtrent. „Item Prælati vel Canonici Ulmu- „tia vel birreta & ſuppellicia à Vi- „gilia Paſchæ usque ad vigiliam „Sancti Michaëlis, & deinceps ca- „pas usque ad dictam Paſchæ vigi- „liam deferant cathedralis Eccleſiæ „pro honore, niſi Prior ex cauſa „cum ipſorum aliquo diſpenſârit.

„ Inſuperdecernimus, & mandamus, „ quòd duo ad minus Capitula gene- „ ralia ſeu principalia per prænomi- „ natos Prælatos & Canonicos, vide- „ licet unum in craſtino Aſſumptio- „ nis, reliquum in craſtino Purificatio- „ nis Beatæ Mariæ Virginis, quodlibet „ per tres dies vel quatuor celebren- „ tur, in quibus tantummodo majo- „ ra negotia diſponantur, nec liceat „ Epiſcopo absque conſenſu Capi- „ tuli, & è converſo etiam in caſibus „ a Jure permiſſis alienare aliqua bo- „ na immobilia niſi capitulis in eis- „ dem. Quicunque autem contra „ præmiſſas noſtras conſtitutiones, „ aut earum aliquam quidpiam in „ contrarium attentaverit præ- „ ter pœnas ſuperiùs adjectas, in- „ dignationem omnipotentis DEI „ & ſedis Apoſtolicæ ſe ſentiat con- „ traxiſſe. Per præmiſſa quoque „ noſtra ſtatuta conſtitutionibus ſeu „ conſuetudinibus laudabilibus huc „ usque in dicta Eccleſia tentis ſeu „ privatis aut in poſterum rationa- „ biliter faciendis, dummodo noſtris „ præmiſſis non obvient, ſtatutis no- „ lumus aliqualiter derogare. In „ quorum omnium teſtimonium, & „ evidentiam pleniorem præſentes „ literas ſcribi, noſtrique majoris „ ſigilli munimine juſſimus roborari. „ Facta, data & pronunciata eſt in „ ſcriptis præſens bonorum diviſio „ & aſſignatio cum inſtitutionibus „ antedictis in Lutomiſsle in Domo „ Epiſcopali in præſentia Capituli „ Luthomyslenſis XVII. Calendis „ Novembr. A. D. MCCCXLVII. „ præſentibus honorabilibus viris, & „ diſcretis Dominis: Magiſtro Hen- „ rico, Cuſtode Olomucenſi, Nico- „ lao de Panevvicz Doctor, Decre- „ torum, Canonico VVratislav. „ Petro, Scholaſtico ſanctæ Crucis „ VVrat. Laurentio de Kolovvrat, „ Canonico Lubucenſ. Philippo, „ Plebano in Svvin, Stephano, Sub- „ Cuſtode gtogl. Eccleſiarum & aliis „ præſentibus fide dignis

(L.S.)

Determinatis ità menſæ Epiſcopalis, & Capituli bonis, & proventibus, ſupererat diœceſis limites circumſcribere, & parœciales Eccleſias nominare, quæ novo Epiſcopo ùt Paſtori regendæ ſubjicerentur. Quia verò Archiepiſcopus *Pragenſis*, & Epiſcopus *Olomucenſis*, de quorum Diœceſibus pars novo Epiſcopo *Luthomyſslenſi* attribui debebat, convenire non poterant, quantam quisque partem ſuæ Diœceſis cederet, *Carolus* Rom. & *Bohemiæ* Rex eos concordes effecit, ùt ex ſequentibus literis Archiepiſcopi *Pragenſis*, & Epiſcoporum, *Olomucenſis*, & *Lithomyſslenſis*, nec non & ipſius tandem *Clementis* Papæ bulla clarè omnia diſpiciuntur.

Ceſſio partis Diœceſis Olomucenſis ad Epiſcopatum Lithomyſslenſem, literæ Joannis Epiſcopi Olomucenſis.

„ SAnctiſſimo in Chriſto Patri, ac „ Domino, Domino Clementi. „ dignâ DEI providentiâ ſacroſan- „ ctæ Romanæ ac Univerſalis Eccle- „ ſiæ Summo Pontifici Joannes „ Epiſcopus, Sdyborius Decanus, „ Joannes Præpoſitus, Witto Ar- „ chidiaconus, & Capitulum Eccle- „ ſiæ Olomucenſis pedum oſcula „ beatorum. Dudum Sanctitas ve- „ ſtra Pragenſem Eccleſiam in Ar- „ chiepiſcopalem, & Monaſterium „ Luthomyſslenſe Canonicorum Re- „ gularium Ordinis Præmonſtraten- „ ſis in Cathedralem Eccleſiam eri- „ gendo providit, ſtatuit, & decre- „ vit Eccleſiæ, & Epiſcopatui pro „ Diœceſi *Luthomiſslenſi* certas perſo- „ nas Cleri, & Eccleſiarum plus ei- „ dem Eccleſiæ adjacentum, de „ Pragenſi, & Olomucenſi Diœ- „ ceſibus deputandas, de quibus

„ Re-

„Reverendus Pater Dominus
„Arneſtus Archiepiſcopus Pragen-
„ſis, & Capitulum Eccleſiæ ſuæ,
„ac ego,& CapitulumEccleſiæ meæ
„cum Venerabili Patre Domino
„Joanne Epiſcopo, & Capitulo *Lu-*
„*thomiſslenſi* hactenus nequivimus
„concordare. Nunc autem inter-
„veniente Sereniſſimo Principe, &
„Domino, Domino Carolo Roma-
„norum, & Bohemiæ Rege concor-
„des effecti, Sanctitati veſtræ unà
„cum prædictis Dominis, Archi-
„Epiſcopo,& Epiſcopo,ac Capitulis
„inſtanter & humiliter ſupplicamus,
„quatenus dictæ Eccleſiæ Lutho-
„miſslenſi pro Diœceſi ſubſcriptum
„Clerum, & populum, Cœnobium
„& triginta Parochiales Eccleſias
„cum univerſis eorum juribus, &
„pertinentiis in duobus ſubſcriptis
„Decanatibus Archi-Diaconatûs
„Olomucenſis meæ Olomucenſis
„Diœceſis conſtitutas, ſituatas, &
„ſitas limitare, incorporare, in per-
„petuùm dignemini, & unire. Vi-
„delicet in Decanatu Schömber-
„genſi dicti Archi-Diaconatûs Olo-
„mucenſis, Cœnobium fratrum
„Ordinis Sancti Benedicti, quod
„vulgariter dicitur Clauſtrellum.
„Item Ludovici villa, Dieccznicz,
„Schönvvald, Zotkicel, Altus
„lapis, Adolphi villa, Schiltberch,
„Scriptoris villa, Odendorff, Al-
„ta civitas, Ferreus mons, Jacobi
„villa, Nicols, Martini villa, Joan-
„nis villa, Eberhardi villa, Gal-
„denſtein, Antiquus Goldek, Ri-
„chardi villa, Ulrici villa, Mar-
„chionis villa, Sobetinna. Item
„in Decanatu Hauſovvienſi Blada-
„nis villa, Reymarſtat, Reſchen-
„dorff, Moravv, Novum Cechaus,
„Alberti villa, Tylonis villa, &
„Lomnic. Datum Olomucii quintâ
„die menſis Februarii Annô Nativi-
„tatis Dominicæ Milleſimo trecen-
„teſimo quinquageſimo. Sequi-
„tur ſuper hoc epiſtola Joannis Epi-
„ſcopi Lithomiſslenſis,& ejusCapi-
„tuli, velut; Sanctiſſimo in Chri-
„ſto Patri,ac Domino,Domino Cle-
„menti dignâ clementiâ ſacroſanctæ
„Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ
„Summo Pontifici, Joannes Epi-
„ſcopus Luthomislenſ. Dithmarus
„Prior, Waltherus Cuſtos, Ioannes
„Cantor, Scholaſticus, & Capitu-
„lum Luthomislenſis Eccleſiæ pe-
„dum oſcula beatorum. Dudum
„Sanctitas veſtra Pragenſem Eccle-
„ſiam in Archiepiſcopalem, & Mo-
„naſterium Luthomislenſe Canoni-
„corum Regularium Ordinis Præ-
„monſtratenſis in Cathedralem Ec-
„cleſiam erigendo providit, ſtatuit,
„& decrevit Eccleſiæ, & Epiſcopa-
„tui pro Diœceſi Luthomislenſi
„certas perſonas Cleri, & Eccleſia-
„rum plus eidem Eccleſiæ adjacen-
„tium de Pragenſi & Olomucenſi
„Diœceſibus deputandas, de qui-
„bus ego, & Capitulum Eccleſiæ
„meæ cum Reverendis in Chriſto
„Patribus, Dominis Arneſto Archi-
„Epiſcopo Pragenſi, & Epiſcopo
„Olomucenſi,& ſuarumPragenſis,&
„OlomucenſisEccleſiarumCapitulis
„hactenus nequivimus concordare.
„Nunc autem interveniente Sere-
„niſſimo Principe, & Domino, Do-
„mino Carolo Romanorum, & Bo-
„hemiæ Rege, concordes effecti,
„Sanctitati veſtræ una cum prædi-
„ctis Dominis Archiepiſcopo, &
„Epiſcopo, ac Capitulis inſtanter &
„humiliter ſupplicamus, quatenus
„dictæ Luthomislenſi Eccleſiæ pro
„Diœceſi ſubſcriptum Clerum, &
„populum, Cœnobium, & triginta
„Parochiales Eccleſias cum univer-
„ſis eorum juribus & pertinentiis in
„duobus ſubſcriptis Decanatibus,
„Archidiaconatûs Olomucenſis, di-
„ctæ Olomucenſis Diœceſis conſti-
„tutas, ſituatas, & ſitas limitare in-
„corporare in perpetuum dignemi-
„ni, & unire: videlicet in Decanatu
„Schombergenſi dicti Archidiaco-
„natûs Olomucenſis Cœnobium
„fratrum Ordinis Sancti Benedicti
„quod vulgariter dicitur Clau-
„ſtrellum. Item Ludovici villa,

„Decznicz, Schönvvald, Zotkcel, Altus lapis, Adolphi villa, Schiltberch, Scriptoris villa, Odendorff, Alta civitas, Ferreus mons, Iacobi villa, Nicols, Martini villa, Ioannis villa, Eberhardi villa, Goldenſtein, Antiquum Goldek, Richardi villa, Ulrici villa, Marchionis villa, Sobetinna, item in Decanatu Huſſovienſi, Bladanis villa, Reymerſtat, Reſchendorff, Moravv, Novum Ceſchaus, Alberti villa, Tylonis villa, & Lomnicz. Datum Luthomislii quinta die menſis Februarii Annô Nativitatis Dominicæ, milleſimo trecenteſimo quinquageſimo.

Ceſſio partis Diœceſis Pragenſis ad Epiſcopatum Lithomyſslenſem literæ Arneſti Archiepiſcopi Pragenſis.

SAnctiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino dignâ DEI providentiâ ſacroſanctæ Romanæ, & Univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici *Arneſtus* Archiepiſcopus, *Przedvvogius* Decanus, *Sdeslaus* Scholaſticus, & Capitulum Eccleſiæ *Pragenſis*, pedum oſcula Beatorum. Dudum Sanctitas Veſtra *Pragenſem* Eccleſiam in Archiepiſcopalem, & Monaſterium *Lutomyſslenſe* Canonicorum Regularium Ordinis *Præmonſtratenſis* in Eccleſiam Cathedralem providit, ſtatuit, & decrevit, eidem Eccleſiæ & Epiſcopatui pro Diœceſi *Litomyſslenſi* certas partes Cleri, & Eccleſiarum plus eidem Eccleſiæ adjacentium de *Pragenſi*, & *Olomucenſi* Diœceſibus deputandas, de quibus ego, & Capitulum Eccleſiæ meæ, & Reverendus Pater *Joannes*, & Capitulum *Olomucenſe* cum Reverendo Patre & Domino Epiſcopo *Joanne*, & Capitulo *Luthomyſslenſi* hactenus nequivimus concordare, nunc autem interveniente Sereniſſimo Principe, & Domino, Domino *Carolo Rom.* & *Bohemiæ* Rege concordes effecti, Sanctitati Veſtræ unà cum prædictis Dominis Epiſcopis, & Capitulis inſtanter & humiliter ſupplicamus, quatenus dictæ Eccleſiæ *Luthomyſslenſi* ſubſcriptum Clerum, & populum, Monaſteria, & Parochiales Eccleſias, cum univerſis eorum juribus, & pertinentiis, in quatuor infrà ſcriptis decanatibus Archidiaconatûs *Gradicenſis* meæ *Pragenſis* Diœceſis conſtitutas, ſituatas, atque ſitas limitare, incorporare in perpetuum dignemini, & unire, videlicet in Decanatu *Chrudimenſi* dicti Archidiaconatûs *Gradicenſis*, Monaſterium in *Podlaſlhicz* Abbatem, & conventum viginti perſonarum obtinet, Ordinis *S. Benedicti*, & Monaſterium in *Czezamicz* Abbatiſſam & conventum decem perſonarum obtinet Ordinis *Ciſtercienſis*, & Monaſterium *Cruciferorum* in *Purdavvicz* de pœnitentia ad SS. Martyres, & in oppido *Chrudim* Parochialem Eccleſiam, & domum fratrum *Prædicatorum*, & in ſuburbiis ejusdem oppidi parochialem Eccleſiam *S. Crucis*, & infra ſcriptas Parochiales Eccleſias, & in eodem Decanatu ſituatas, *S. Marci Roslavvicz*, *Jolucz*, *Lepyovvice*, *Trychbuſſicz*, *Chlumek*, *Nova civitas*, *Pardubvvicz*, ibidem cum filiali, *Tunchaad*, *Hoſtovvicz*, *Czeczamicz*, *Daſſicz*, *Moravvan*, *Slepoticz*, *Croſtovvicz*, *Tynecz*, *Yvvanovvicz*, *Troyavvicz*, *Seſtok*, *Kaplicz*, *Honvvicz*, *Roſſicz*, *Podlaczecz* cum filiali *Chraſticz*, *Koſtelecz*, *Celetavv*, *Campnicz* cum filiali ad *S. Nicolaum*, *Slaſſavvirk*, *Byetovvan*, *Sietz*, *Sunneberk*, *Slatin*, *Svvidnicz*, *Lyeborzicz*, *Boyanovv*, *Komyrk*, *Chyrbatovv*, *Puchobrad*, *Stolan*, *Maroſchicz*, *Coſtell*, *Hermanſtatt*, *Myrovv*, *Hoſtalovvicz*, *Scoyecz*, *Svvican*, & in Decanatu *Mutinenſi* in oppido *Alta Muta*, parochialis Eccleſia cum filiali, & domum fratrum *Minorum*, & infra ſcriptas parochiales Eccleſias per eundem Decanatum. *Wratislavia*, *Radoſt*, *Hvvberſtk*, *Planicz*,

tinicz, *Hryedicz*, *Selicz*, *Robna* cum filia, *Hoſtetyn* cum filia, *Samprzicz*, *Poloticz*, ſubmerſa Eccleſia *Hermavicz*, *Helota*, *Slupnicz*, *Breſchovvicz*, *Mladoſchovv*, *Kmyrovv*, *Buczeyn*, *Makovv*, *Kotovvicz*, *Bozidom*, *Brorſthier*, *Srepnik*, *Pharacz*, *Greüna* Superior, *Greüna* inferior, *Lazan*, *Hlynſch*, *Rana*, *Kaucz*, *Sczepanovv*, *Jenovvicz*, *Luza*, *Wolaticz*, *Jenſchovvicz*, *Cameniczka*, *Svvratavia*, & in Decanatu *Policenſi*, in oppido *Policzka* parochialem Eccleſiam, & ſubſcriptas Eccleſias ejusdem Decanatûs: *Stremuſsna* cum filia, *Læva vallis Uyezd*, *Cercovvicz*, *Luterbach* cum filia, *Strinicz*, *Abbatis villa* cum filia, *Theodorici villa*, *Cunczendorff*, *Byſtrel* cum filia, *Tirpina*, *pulcher Fons*, *Korovia*, *Maraſchicz*, *Jansdorff*, *Karlbrun* cum filia in *Blumovv*, *Laubensdorff*, *Banyna* cum filia, *Rohozna*, *Alberti* villa; & in Decanatu *Landskronenſi* in oppido *Landskron* parochialem Eccleſiam, & ſubſcriptas parochiales Eccleſias ejusd. Decanatûs, *Tribovia*, *Luthoma Damiskdorff*, *Kunigsvvald*, *Tribovvicz*, *Ritoula*, *Wilhelmsvverd*, *Knappendorff*, *Libenthal*, *Cunzendorff*, *Michelsdorff*, *Rubra aqua*, *Diitreicsbach*, *Rudolphi villa*, *Jablona*. Datum *Pragæ* Anno Domini 1350. Jubilæo. Indictione III. Die IV. Menſis *Novembris*.

Locus Sigilli Archi-Epiſcopalis.

Locus Sigilli Capitularis.

Bulla CLEMENTIS VI. Rom. Pontificis ex ceſſis partibus Diœceſim & Epiſcopatum Lithomyſslenſem erigentis.

„CLEMENS Sextus, Servus „Servorum DEI. Ad perpe„tuam rei memoriam. Exigit Apo„ſtolatûs officium, cui annuente Do„mino præſidemus, ut ea, quæ circa „ſtatum Eccleſiarum omnium ex „Apoſtolicæ ſedis circumſpecta „providentia ordinantur, per ſolici„tudinis noſtræ ſtudium, ad debi„tum perducantur effectum. Du„dum ſiquidem pro parte chariſſimi „in Chriſto Filii noſtri, Caroli Ro„manorum, & Bohemiæ Regis, Illu„ſtris tunc Marchionis Moraviæ, „claræ memoriæ Joannis Regis Bo„hemiæ primogeniti, & ipſius Joan„nis Regis tunc viventis coram no„bis, & Fratribus noſtris ſanctæ Ro„manæ Eccleſiæ Cardinalibus reve„renter expoſitum, quod Pragenſis „per decem, & Olomucenſis Eccle„ſiæ ipſarúmque Civitates & Diœ„ceſes in Regno Bohemiæ conſiſten„tes, quæ de Moguntin. Provincia „exiſtebant, & ſubjacebant jure Me„tropolitico Archiepiſcopo Mo„gunt. qui erat pro tempore ex ei„dem Eccleſiæ Mogunt. à Civitate „Mogunt. per duodecim dietas, vel „circà diſtabant, & quòd incolæ „Regni, qui loquuntur idioma Sla„vonicum omninò diverſum, & „non intelligibile incolis aliorum „Epiſcopatuum, dictæ proinde, qui „purum idioma Teutonicorum lo„qui noſcuntur, erant, prout ſunt „omnino diverſi in idiomate ab eis„dem quoque illi de dictis Pragen„ſis & Olomucenſis Civitatibus & „Diœceſibus tum propter prædo„nes, & raptores in itineribus occur„rentes, & itinerum ipſorum diſcri„mina & aſperitates, nemora & mon„tana in exitu & regreſſu dicti Regni „exiſtentia, tum etiam quia opor„tebat eos per aliam ſeu alias Pro„vincias tranſire, cùm Mogunt. „vellent accedere pro Appellatio-

,, nibus, & aliis cauſis ad forum Ar-
,, chiepiſcopalis curiæ Mogunt. Me-
,, tropolitico jure ſpectantibus pro-
,, ſequendis prædictis periculis ac
,, importabilibus expenſis, & labo-
,, ribus ſubjacebant. Et propter
,, hæc non erat memoria hominum,
,, quod Eccleſiæ Civitates & Diœ-
,, ceſes Pragenſis & Olomucenſis
,, prædictæ forent per Archiepiſco-
,, pum Mogunt. niſi ſemel tantum
,, modò viſitatæ, & quòd Altiſſimus
,, in tanta multitudine populi dictas
,, Pragenſis & Olomucenſis Diœce-
,, ſes, quarum prima per quinque &
,, altera per quatuor dietas proten-
,, debantur, vel circiter, & etiam
,, in Eccleſiis ac locis Eccleſiaſticis,
,, fœcundaverat & auxerat, quòd
,, ſingularum ipſarum ſingulos vul-
,, tus unicus Paſtor nequibat, ùt of-
,, ficium Paſtorale decebat, inſpice-
,, re, & alias partes boni Paſtoris
,, implere, quódque durum erat,
,, atque difficile in qualibet tam lata-
,, rum, & diffuſarum Diœceſium ad
,, unum tantum Paſtorem á tot per-
,, ſonis Eccleſiaſticis, & mundanis
,, recurſum haberi, ac pro parte ip-
,, ſorum Joannis Regis, & primoge-
,, niti nobis humiliter ſupplicatum,
,, ut dictas Pragenſis & Olomucenſis
,, Eccleſias ab omni Dominio & po-
,, teſtate Dictorum Archiepiſcopi, &
,, Eccleſiæ Mogunt. eximere, ipſám-
,, que Eccleſiam Pragenſem in Me-
,, tropoliticam, & aliquas Eccleſias
,, in eisdem Diœceſibus ſic diffuſis in
,, Cathedrales erigere, illáſque &
,, præfatam Olomucenſem Eccleſiam
,, dictæ Pragenſi Eccleſiæ Metro-
,, politico jure ſubjicere, auctorita-
,, te Apoſtolicâ dignaremur. Nos
,, hujuſmodi ſupplicatione auditâ,
,, volentes in præmiſſis gravitatem,
,, & modeſtiam debitam obſervare,
,, ac de cauſis hujuſmodi nobis ex-
,, poſitis certitudinaliter informari
,, Venerabili fratri noſtro Bertrando
,, Oſtienſi, & bonæ memoriæ Bern-
,, ardo Portuenſi Epiſcopis, tunc
,, Eccleſiæ Sancti Cyriaci in termis
,, presbitero, ac recolendæ memo-
,, riæ Reymundo Sanctæ Mariæ no-
,, væ Diacono Cardinalibus, co-
,, miſimus oraculô vivæ vocis, ut
,, de præmiſſis cauſis, & earum cir-
,, cumſtantiis in talibus attendendis
,, ſe diligentiùs informarent, & quæ-
,, cunque ſuper his invenirent, no-
,, bis fideliter referre curarent. Et
,, quia per relationem Epiſcopi
,, Oſtienſis, & Cardinalium prædi-
,, ctorum, qui juxta commiſſionem
,, noſtram hujuſmodi eis factam in-
,, formationem ſuper præmiſſis rece-
,, perant, fideliter nobis factam
,, comperimus, cauſas hujuſmodi
,, fore veras, & quodammodò ma-
,, nifeſtas, & poſtulata hujuſmodi
,, fieri, non ſolùm utile fore, ſed ſum-
,, mè neceſſarium, & etiam oportu-
,, num, & propterea cultum augere
,, divinum ac ſpiritualem animarum
,, profectum, quem ex his non du-
,, biè provenire ſperabamus, pro-
,, movere ſalubriter intendentes, de-
,, liberatione ſuper his cum eisdem
,, fratribus noſtris præhabitâ diligen-
,, ti præmiſſis, & nonnullis aliis ra-
,, tionabilibus cauſis ſuadentibus Ec-
,, cleſiam, Civitatem, & Diœceſes
,, Pragenſes prædictas de ipſorum
,, fratrum conſilio, & Apoſtolicæ
,, plenitudine poteſtatis auctoritate
,, Apoſtolicâ ex certa ſcientia ab
,, omni jurisdictione poteſtate & ſub-
,, jectione Archiepiſcopi, qui erat
,, pro tempore, & dilectorum filio-
,, rum Capituli Mogunt. ex tunc
,, eximentes penitùs, & totaliter li-
,, berantes, & eam ſoli Romanæ Ec-
,, cleſiæ de cæterò ſubjacere imme-
,, diatè perpetuò decernentes, ip-
,, ſam Pragenſem Eccleſiam ad DEI
,, laudem, & gloriam, exaltationem
,, Catholicæ fidei, ejuſdem cultûs
,, augmentum & animarum profe-
,, ctum in Metropolitanam erexi-
,, mus, ipſamque honoribus, & in-
,, ſigniis ſedis Metropoliticæ deco-
,, ravimus, auctoritate prædictâ ni-
,, hilominus ſtatuentes, quod ipſa
,, Pragenſis Eccleſia pro Metropoli-

„tana in perpetuum haberetur, & „ ejus Præſul Archiepiſcopus cenſe- „retur. Et quia dignum erat, ex „quo dicta Pragenſis Eccleſia olim „filiarum Mater effecta Metropoliti- „cæ dignitatis ſuſceperat inſignia „Suffrageneos, & provinciam de- „centem haberet, & ad judicium „Archiepiſcopi Pragenſis, qui fo- „ret pro tempore, omnes cauſæ „Suffraganeorum, Epiſcoporum, & „perſonarum Eccleſiaſticarum Civi- „tatum, & Diœceſ. ejuſdem Pro- „vinciæ referrentur, juxta ſacrorum „Canonum inſtituta, villam Lu- „thomiſslenſem, tunc de Pragenſi „Diœceſi exiſtentem, locum utique „nobilem, & inſignem ad laudem „Divini nominis, & honorem, nec „non pro incremento, profectu, & „exaltatione prædictis in Civitatem „ereximus, ipsámque Civitatis vo- „cabulô inſignivimus, & nihil omi- „nus Eccleſiam Monaſterii hujus- „modi novæ Civitatis, Præmon- „ſtratenſis Ordinis, in Cathedra- „lem etiam erigentes, eam decre- „vimus eſſe perpetuo, ipſius novæ „Civitatis Eccleſiam Cathedralem, „cui certâ parte de dictis Pragenſis, „& Olomucenſis Diœc. adjacentem „eidem & certis finibus diſtinguen- „dam intendebamus, facere aſſigna- „ri, & Olomucenſ. & Lithomiſs- „lenſ. Eccleſias, & ipſarum civitates, „nec non præfatam eidem Lutho- „miſslenſi Eccleſiæ aſſignandam „Diœceſ. ex tunc ipſius Pragenſis „Eccleſiæ Suffraganeos, & de Pro- „vincia Pragenſi in perpetuum fore „decrevimus, & jure Metropoliti- „co ſubjecimus, & ſubjectas fore „voluimus Archiepiſcopo Pragenſi, „qui eſſet pro tempore. Nec non „Luthomiſslenſ. Eccleſiam & Civi- „tatem prædictas ac Diœceſ. ei, ùt „præmittititur, aſſignandam ab Ordi- „nariis olim Pragenſis Epiſcopi, „nec non dilectorum filiorum Ca- „pituli præfatæ Eccleſiæ Pragenſ. & „quoslibet Prælatos, & Capituli Ge- „neralis dicti Ordinis juriſdictione „& Dominio prorſus exeminus au- „ctoritate, & plenitudine ſupra di- „ctis. Et deinde de perſona Vene- „rabilis fratris noſtri Joannis Epiſco- „pi Luthomiſslenſis, tunc Abba- „tis Monaſterii Lucenſis Ordinis „Præmonſtratenſis & Olomucenſis „Diœceſ. prædictorum eidem Ec- „cleſiæ Luthomiſslenſ. de prædicto- „rum fratrum conſilio. auctoritate „prædictâ providimus, quemque „illi præfecimus in Epiſcopum, & Pa- „ſtorem, curam & adminiſtratio- „nem ipſius Luthomiſslenſ. Eccleſiæ „ſibi in temporalibus & ſpiritualibus „committendo, prout in diverſis no- „ſtris inde confectis litteris plenius „continetur. Et ſubſequenter „volentes, ut eidem Luthomiſslenſi „Eccleſiæ certa pars de dictis Pra- „genſis & Olomucenſis Diœceſis „adjacens eidem certis finibus di- „ſtinguenda aſſignaretur juxta in- „tentionem noſtram hujus modi di- „lectis filiis, Breunovienſ. & „Wiſſovicenſ. Monaſteriorum Ab- „batibus Pragenſis, & Olomucenſis „Diœceſis prædictarum ac Decano „Eccleſiæ omnium Sanctorum in „Caſtro Pragenſi per alias noſtras „litteras comiſimus, & mandavimus „ut ipſi, vel duo eorum ad partes il- „las perſonaliter accedentes vocatis „Archiepiſcopo Pragenſi, ac Olo- „mucenſi & Luthomiſslenſi Epiſco- „pis ſupra dictis, & dilectis filiis ipſa- „rum Eccleſiarum Capitulis, & „aliis, qui vocandi forent, de prædicta „certa parte ex dictis Pragenſis & „Olomucenſis Diœceſ. eidem Lu- „thomiſslenſi Eccleſiæ aſſignanda, „nec non de Eccleſiaſticis dignitati- „bus, & perſonatibus, & officiis, „ac aliis beneficiis Eccleſiaſticis, „quæ in parte prædicta eidem Lu- „thomiſslenſi Eccleſiæ, ùt præmit- „titur, aſſignanda conſiſterent, ac „de ipſorum valore, & circumſtan- „tiis univerſis, ac omnibus, & ſin- „gulis aliis, quæ eſſent in talibus ac- „cedenda, omni diligentiâ & ſoli- „citudine adhibitis, quæ ſuper his „ad-

„adhibendæ forent, ſe auctoritate „noſtra informare curarent, & quæ „per informationem hujus modi re- „perirent,fore utilia,& decentia pro „aſſignatione & diſtinctione hujus- „modi faciendis per inſtrumentum „publicum, vel eorum litteras ipſo- „rum ſigillo munitas prædictarum „litterarum noſtrarum ac directa- „rum ſeriem continentes clarè, di- „lucide, ac apertè nobis, & prædi- „ctæ ſedi curarent quantocius fide- „liter intimare, et ſuper his certâ,& „indubitatâ informatione ſuſcepta „ad prædictam partem Luthomiſs- „lenſi Eccleſiæ, ùt præmittitur aſſi- „gnanda,& etiam diſtinguenda con- „ſultè, & celeriter procederetur „pro providentia ſedis, prout in li- „teris noſtris inde confectis pleniùs „continetur. Et licet præfati „Brevvnovienſis, et Wiſſovicens. „Abbates, et Decanus aliquamdiu „in hujus modi informationis nego- „tio proceſſiſſent, tamen ex proceſ- „ſu hujusmodi nullus fuit conſecu- „tus effectus. Subſequenter autem „Venerabili fratri noſtro Joanni „Olomucenſi, & prædicto Joanni „Luthomiſslenſi Epiſcopis, ac Ec- „cleſiarum prædictarum Capitulis „ſignificantibus nobis, quòd licèt „ipſi ſuper hujusmodi partè depræfa- „taOlomucenſis Diœceſis dictæ Lu- „thomiſslenſis Eccleſiæ proDiœceſi „aſſignanda nequiverunt hactenus „concordare poſtea tamen interve- „niente prædicto Carolo Rege ſu- „per his concordes erant effecti, & „unà cum eodem Archiepiſcopo „nobis inſtanter, et humiliter ſup- „plicantibus, ut dictæ Luthomiſs- „lenſi Eccleſiæ proDiœceſiClerum, „et populum, ac Cœnobium, et tri- „ginta Parochial.EccleſiasinSchom- „bergenſi et Huſſovienſi Decanati- „bus in ArchidiaconatuOlomucenſi „ſituatas conſiſtentia dictæ Olomu- „cenſi Diœceſi, videlicet Cœno- „bium fratrum Ordinis Sancti Bene- „dicti quod vulgariter dicitur Clau- „ſtrellum ac in Ludovici villa Detz- „nicz, Schönvvald, Zorkycel, Al- „tus Lapis, Adolphi villa, Schilt- „berg, Scriptoris villa, Odendorff, „Ferreus Mons, Jacobi villa, Ni- „cols, Martini villa, Joannis villa, „Erhardi villa, Goldenſtein, An- „tiquum Golden, Richardi villa, „Sobetinna, Marchionis villa. In „Schömbergenſi, nec non in Bla- „denis villa, Reymarſtad, Re- „chendorff, Moravv, Novum „Cechaus, Alberti villa, Tylonis „villa, & Lomnicz. Parochiales „Eccleſias in Huſovienſi Decanati- „bus prædictis conſiſtentes dictæ „Olomucenſis Diœceſis cum uni- „verſis eorum juribus, & pertinen- „tiis eidem Lithomyslenſi Eccleſiæ „pro Diœceſi aſſignare,incorporare „& unire in perpetuum dignaremur, „prout in patentibus literis, inde „prædictorum Epiſcoporum & Ca- „pitulorum Olomucenſis, & Litho- „myſslenſis confectis, ſigillis mu- „nitis, quarum tenorem, de ver- „bo ad verbum in præſentibus inſe- „ri fecimus,pleniùs continetur. Nos „deſiderantes, quòd ea, quæ con- „corditer, & providè circa hæc „acta ſunt, illibata perſiſtant, ac „volentes hujusmodi negotium „perducere ad debitum executionis „effectum, Clerum & populum, „ac Cœnobium & Parochiales Ec- „cleſias ſuprà dicta in eisdem „Schömbergenſi, & HuſovienſiDe- „canatibus conſiſtentia cum earum „juribus, & pertinentiis univerſis „ab eadem Diœceſi Olomucenſi „Autoritate prædictâ dividimus, & „totaliter ſeparamus, & ab omni ju- „risdictione, dominio, & poteſtate „Epiſcopi, & Capituli Olomucenſis „prorſus eximimus, & etiam libe- „ramus, ipsáque Clerum, et po- „pulum ac Cœnobium, et Eccle- „ſias Parochiales cum eisdem juri- „bus et pertinentiis eidem Eccleſiæ „Lithomyſslenſi pro Diœceſi in „perpetuum aſſignamus, incorpo- „ramus, et unimus, et eorundem „Epiſcopi, et Ecclesiæ Luthomyſs-

„lenſi

„ lenſis jurisdictioni, dominio, & po-
„ teſtati ſubmittimus, decernentes
„ Clerum, & populum, ac Cœno-
„ bium, & Eccleſias parochiales
„ prædicta cum ejusdem juribus, &
„ pertinentiis præfatis Epiſcopo, &
„ Eccleſiæ Luthomyſslenſi, perpe-
„ tuò ſubeſſe, & ſubjacere debere,
„ quemadmodum prædictis Epiſco-
„ po & Eccleſiæ Olomucenſi, ante
„ diviſionem, & ſeparationem, ac
„ aſſignationem hujusmodi ſube-
„ rant, & etiam ſubjacebant, ac ir-
„ ritum, & inane, ſi ſecus ſuper his
„ à quoquam quavis autoritate
„ ſcienter, vel ignoranter contige-
„ rit attentari. Tenores autem
„ dictarum literarum eorundem Epi-
„ ſcoporum & Capitulorum Olomu-
„ cenſis & Luthomyſslenſis tales
„ ſunt:

Ut ſuprà per extenſum fuère relatæ.

„ Nulli ergò omnino homi-
„ num liceat hanc paginam noſtræ
„ voluntatis, diviſionis, ſeparatio-
„ nis, exemptionis, liberationis, aſ-
„ ſignationis, incorporationis, unio-
„ nis, ſumptionis, & conſtitutio-
„ nis infringere, vel ei auſu temera-
„ riò contraire. Si quis autem hoc
„ attentare præſumpſerit, indi-
„ gnationem omnipotentis DEI, &
„ & Beatorum Petri & Pauli Apoſto-
„ lorum ejus, ſe noverit incurſu-
„ rum. Datum Avenione 11. Idib.
„ Aprileis Pontificatûs noſtri, Annô
„ IX. Annô Chriſti 1351.

SERIES EPISCOPORUM LITHOMYSSLENSIUM.

Cùm nemo hactenùs Autorum ſeriem Epiſcoporum *Lithomyſslenſium*, quæ tamen plurimùm ad illuſtrandam *Bohemiæ* hiſtoriam facit; monumentis vetuſtate, ac *Taborum* excidiô fugientibus, annotare ſtuduerit; ſumpſi mihi laborem (inde potiſſimùm, quòd idem Epiſcopatus *S. Joanni Nepomuceno* à *Wenceslao* Imperatore oblatus fuiſſe notetur) & inter vetuſtatis margines ægrè hinc inde hærentia nomina in ordinem coegi, ut ſequuntur:

PRIMUS Epiſcopus Lithomyſslenſis; JOANNES; antea Abbas Monaſterii *Lucenſis* in *Moravia* Ordinis *Præmonſtratenſis*; à *Clemente VI.* Rom. Pontifice in Proto-Epiſcopum *Lithomyſslenſem* inſtitutus ad An. 1343. De eo ſuprà in bulla *Clementis VI.* legimus: *Et deinde de perſonâ Venerabilis fratris noſtri Joannis Epiſcopi Lithomyſslenſis tunc Abbatis monaſterii Lucenſis Ordinis Præmonſtratenſis & Olomucenſis Diœceſis prædictorum, eidem Eccleſiæ Lithomyſslenſi de prædictorum fratrum conſilio autoritate prædictâ providimus; quemque illi præfecimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Lithomyſslenſis Eccleſiæ ſibi in temporalibus & ſpiritualibus committendo prout in diverſis noſtris inde confectis literis pleniùs continetur.* Obiit Lithomyſslii, & ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali.

Secundus. JOANNES II. à NOVOFORO ſeu *Neümark*, patria ſuâ dictus; ubi tenuibus parentibus natus, eruditionis & virtutum præſtantiâ Principum amoribus ſe inſinuans, effectus eſt Aulæ Imperialis apud *Carolum IV.* Imperatorem Cancellarius. In aurea bullâ, ſive privilegio *Civitati Argentinenſi* An. 1355. *Sulzbachi* dato, ſonat ſubſcriptio: *Per Dominum Luthomyſslenſem Epiſcopum Imperialis Aulæ Cancellarium Rudolphus de Friedeberg.* Et clariùs in aurea bulla *Eccleſiæ Argentinenſi* An. 1356. *Norimbergæ* data: *Ego Joannes DEI Gratiâ Lithomyſslenſis Epiſcopus S. Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Reverendi in Chriſtò Patris Domini Gerlaci Moguntinenſis Archiepiſcopi S. Imperii per Germaniam Cancellarii; recognovi.* In literis *Caroli IV.* quibus *Barnabam* Vice-Comitem *Mediolanenſem* ut rebellem proſcripſit, & banno imperiali ſubjecit ſubſcriptio ſequens eſt: *Per Dominum Joannem Epiſcopum Lithomyſslenſem Cancellà-*

 cellà-

cellarium. *Henricus Theſauri* (Canonicus Pragenſis) *Corr. per Joannem Decanum Glogovienſem Dat. Pragæ An.* 1361. à tergo *R. Joannes Jaxo.* itidem Canonicus Pragenſis. Denique recognitio, in privilegio *Caroli IV. Imp. Lamperto Epiſcopo Argentinenſi* An. 1373. *Pragæ* conceſſo, ſic habet: *Ego Joannes Olomucenſis Epiſcopus Imperialis Aulæ Cancellarius, vice Dn. Moguntinenſis Archiepiſcopi recognovi.* Fuit enim *Joannes* ex *Epiſcopatu Lithomyſslenſi* An. 1364. ad *Olomucenſem* translatus poſt menſem *Julium.* *Auguſtinus* in catalogo *Epiſcoporum Olomucenſium.* *Joannes*, inquit, *de novoforo, Epiſcopus Lithomyſslenſis, ac Caroli Auguſti Cancellarius ad Eccleſiam Olomucenſem poſtulatus ipſius curam non invitus ſuſcepit. Hic monaſterium eremitarum S. Auguſtini in Litomysl à fundamentis erexit, ac liberaliter dotavit. Eccleſiam Olomucenſem per familiares Jodoci Marchionis ignis conſumptam injuriâ reſtituit. moritur Annô Chriſti* 1380. *in Litomysl humatus in Monaſterio, quod ipſe fundavit.* Suffraganeum ejus in ſpiritualibus, qui officii cauſa abſentis vices in Diœceſi ſuppleret ad Annum 1359. lego fuiſſe *Mathiam Epiſcopum Tribunienſem.* Videri etiam poteſt *Bernard à Mallenkrot de Cancellar. & Vice-Cancellar. Imp. & Jacobi* Wenker.

Tertius. NICOLAUS PRÆPOSITUS PRAGENSIS & Cancellarius *Romanorum & Bojemiæ Regis*, poſt *Joannis II.* ad cathedram *Olomucenſem* promotionem *Epiſcopus Litomyſslenſis* tertius, ſed priusquam realem poſſeſſionem Epiſcopatûs ſuſcepiſſet, mitram cum vita poſuit Annô 1364. die 6. *Auguſti.*

Quartus. ALBERTUS à STERNBERG, ex linea *Zdislai* Domino in *Moravico Sternberg* autore *Sternbergicorum* in *Moravia* qui obiit An. 1300. deſcendens & pronepos *Jaroslai*, qui An. 1240. *Tartaros* ad *Olomucium* clade affecit, è Decanatu *Wiſſehradenſis Eccleſiæ Nicolao* ſucceſſit Annô 1364. dein ad *Archiepiſcopatum Magdeburgenſem* circà An. 1370. translatus *Tom.* I. *Erect. lit. E. 6. fol.* 15. *An.* 1370. *die* 13. *Julii.* Fuit *Albertus* plurimùm amatus à *Carolo IV.* Imperatore, quod vel præ cæteris eliquet, ex ſequenti diplomate regio:

CAROLUS IV. divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex.

„NOtum facimus tenore præſentium univerſis. Inter illas „multiplices reipublicæ curas, qui„bus aſſiduè mens noſtra pro felici „ſtatu ſubditorum noſtrorum di„ſtrahitur, & quotidie fatigatur, ad „hoc præcipuè meditatio noſtra di„rigitur, qualiter perſonas Eccleſia„ſticas, & præſertim Principes Ec„cleſiæ, piæ deuotionis favoribus „complectamur. Hoc autem tunc „ritè exequi perpendimus, dum ſin„gularium quidem Eccleſiaſticorum „Principum libertates, & jura in„tacta ſervamus, & liberalibus mu„nificentiæ noſtræ gratiis favorabi„liter adaugemus. Hinc eſt, „quòd intuitu præmiſſorum Vene„rabili Alberto Epiſcopo Litho„myſslenſi, Principi, Conſiliario „& devoto noſtro dilecto, gratiam „ſpiritualem, & juri conſonam fa„cere cupientes, animo deliberato, „non per errorem, aut improvidè, „ſed de certa noſtra ſcientia autori„tate Regia Bohem. conceſſimus, ac „etiam benignitate ſolita, & ex in„nata nobis pietatis clementia teno„re præſentium gratioſè concedi„mus, ut ipſe pro quibuscunque „debitis, ſeu damnis coram Po„pravczonibus, Czduariis, Bene„ficiariis, Juſtitiariis, ſeu Judici„bus regni noſtri Bohem. quibus „etiam diſtinctis vocabulis nuncu„pentur, conveniri, aut in jus trahi „nullâ ratione debebit, ſed ſi quis „eum pro debitis, ſeu damnis conve„nire

„nire voluerit, hoc coram Pragenſi „Archi-EpiſcopoOrdinario ſuo faciet, ubi conquerentibus de ipſo „juſtitiæ faciet complementum. „Cùm juris explorati exiſtat, quòd „Clerici coram Laicis non debeant „conveniri, ſed Actor forum rei „ſequi debeat, & reus alibi non „debeat reſpondere. Præcipimus „igitur,& mandamus ſeriosè univerſis Papracvczonibus, Czudariis, „Beneficiariis, Juſtitiariis, ſeu Judicibus Regni noſtri præfati, quarenus dictum noſtrum Principem „pro debitis, ſeu damnis, ùt præfertur, ad aliqua judicia ſæcularia „in antea trahere non præſumant. „Si quis autem contrarium attentare præſumpſerit, indignationem „noſtram, & pœnam pro motu „proprio infligendam ſe noverit incurſurum. Præſentium ſub noſtræ Majeſtatis, ſigillo, teſtimonio literarum. Datum Pragæ „An. Domini 1365. Indictione „tertia, decima ſexta Calend. Febr. „Regn. Noſtrorum decimô nonô, „Imperii verò decimô.

Magnus præterea fuit Albertus fautor Religioſorum ordinum, & monaſteriorum, quorum plura fundavit, reſtauravit, & dotavit, de quibus infrà, hìc ſolùm Opatovicenſis Ord. S. Benedicti ditiſſimi monaſterii memoriam agemus, quod Albertum ob inſignia in illud beneficia & merita in confratrum numerum ſuſcepit. Juvat Abbatis literas, quia ſpeciales Monaſterii, & Præpoſiturarum eis incorporatarum notitias continent, ex Epiſcopalis Lithomyſslenſis Archivo excerpere, quæ habent:

„Neplach, DEI & Apoſtolicæ ſedis gratiâ Abbas Monaſterii „Opathovicenſis Ordinis S. Benedicti Pragenſis Diœceſis. Notum facimus univerſis præſentes „literas inſpecturis, quòd nos cum „honorabilibus, & religioſis Viris „Martino Priore, Martino Oeconomo, Joanne Camerario, Przedborio Præpoſito, Nicolao Supriore, Thoma Cuſtode, Joanne „Rectore curiarum, Wenceslaö „Cantore, Mathia Celerario, Neplachone Hoſpitalario, Wilhelmo Infirmario, Petro Veſtiario, „Martino Præpoſito Wrchlabienſi, „Hrziczkone Præpoſito Novi forenſi, Joanne Præpoſito Waldſtatenſi, ſingulisque fratribus, ac toto conventu monaſterii noſtri „Opatovicenſis, fratribus noſtris in „Chriſto chariſſimis, maturo conſilio & tractatu præhabitis, & præſertim cupientes periculoſis eventibus, qui Chriſtianæ religioni ex „quadam corporis fragilitate, & „ad inſtigationem inimici noſtri „Diaboli tanquam leonis rugientis „ſalutem animarum ex innata ei „malitia impedientis, accidant, & „accidere poſſint, occurrere, & „ea per bonorum operum præordinationem, quantùm nobis foret „poſſibile ammovere, de ipſorum „fratrum noſtrorum conſilio, & „aſſenſu, Venerabilem in Chriſto „Patrem, ac Dominum, Dominum „Albertum Epiſcopum Lithomyſslenſem, Dominum in Sternberg, „& Capitulum EccleſiæLithomyſslenſis, qui quidem Venerabilis „Pater & Dominus, Dominus Epiſcopus prædictæ Eccleſiæ Lithomyſslenſis eſt ſpecialis & ſingularis promotor, & benefactor monaſterii noſtri, in noſtram & fratrum noſtrorum prædictorum fraternitatem recipimus, & cum ipſis facimus, & contrahimus confraternitatem, & eandem cum „ipſis totaliter roboramus, ut ipſi „ſint, & eſſe debeant participes „omnium vigiliarum, orationum, „miſſarum, jejuniorum, eleemoſynarum, & aliorum bonorum „omnium in ipſo noſtro monaſterio „perpetuis temporibus peragendorum, quódque, cùm ipſum Dominum Epiſcopum, vel ſuos ſuc-

 „ceſſores

„ ceſſores contingeret ab hac vita „ migrâſſe, quòd ex tunc mox certi- „ tudine ipſius mortis compertâ, in „ animæ ſuæ remedium vigiliæ no- „ vem Lectionum per conventum „ noſtrum, in craſtino verò una miſ- „ ſa defunctorum per noſtram, & „ ſucceſſorum noſtrorum propriam „ perſonam, ſi legitimè præpediti „ non eſſemus, aliàs per Priorem, „ vel aliquem ex Officialibus noſtris „ dicti monaſterii noſtri ſolemniter „ expediantur. Sacerdotes verò „ quilibet tres miſſas, & infrà Sacer- „ dotium conſtituti, quilibet tria „ pſalteria legere teneatur. In aliis „ verò inferioribus, cùm & quoties- „ cunque eos ingredi contingeret „ viam carnis univerſæ, taliter tene- „ ri & obſervari debebit, quòd vi- „ giliæ trium lectionum, & in craſti- „ no miſſa defunctorum modo de- „ centi debeat expediri. Sacerdo- „ tes verò ad unam miſſam, & infrà „ Sacerdotium conſtituti ad unum „ pſalterium legendum in remedium „ animæ defuncti, quilibet ſint ad- „ ſtricti. Qua quidem ſimili gratiâ „ Nos, & noſtri fratres prædicti pro „ eodem Domino Epiſcopo, & ſuo „ Capitulo ſimili viciſſitudine Altiſ- „ ſimi favente gratiâ conſequemur. „ In cujus rei teſtimonium præſen- „ tes literas exinde fieri, & ſigilli „ noſtri unà cum ſigillo conventûs „ fratrum noſtrorum prædictorum „ præſentibus appenſo, mandavi- „ mus & fecimus appenſione com- „ muniri. Datum Opathovvicz „ An. Dom. *1366.* In Vigilia S. „ Joannis Baptiſtæ.

Neplach, vel *Neplacho* Abbas Mo- naſterii *Opatovicenſis* (quod *Wratis- laus I. Bohemiæ* Rex An. 1091. *Hrade- cium* inter & *Parduitium* prope mon- tem *Cunaci* ad *Albim* fundaverat) na- tus erat die 21. *Februarii* An. 1322. in pago *Horzinovves*, Vir pietate & li- terarum ſcientiâ inſignis, ſub *Caro- li IV.* Imp. regimine ex multis *Bohemi- corum* ſcriptorum annalibus hiſtoriæ confecit epitomen, quæ non am- pliùs extat: ſed *Ziſcæ* flammis, ùt plura alia literaturæ *Bohemicæ* cimelia, in cineres abiit *Lupac. Calend. Hiſtor. Bohem.*

Quintus. PETRUS cognomento *Gelito Landſcronæ* in *Bohemia* tenuibus parentibus natus, *Bononiæ*, *Perusii*, ac *Romæ* juri operam navans docto- ratûs gradu inſigniri meruit. Cul- turâ ingenii, ac decore virtutum Principum amoribus ſe brevì inſi- nuavit. Epiſcopus primùm *Curien- ſis*, dein *Lithomyſslenſis*, tandem *Mag- deburgenſis*, ultimò *Olomucenſis*. Po- ſteaquam enim triennio Eccleſiam *Lithomyſslenſem* rexiſſet, cùm *Alberto*, qui ob linguæ *Teutonicæ* imperitiam *Magdeburgi* parùm erat acceptus, rur- ſus commutationem fecit, & eô *Magdeburgi* ſuccedente, *Albertus* ad priorem ſedem *Lithomiſslenſem* rever- ſus eſt. Fundavit *Petrus Landſcronæ* in patria ſua Canonicis, Regulari- bus *S. Auguſtini* monaſterium, cui dein *Albertus* ſucceſſor Eccleſiam Parochialem *S. Mariæ* ibidem pro meliori ſubſiſtentia univit. Literæ ſonant ex Archivo Epiſcopali.

In nomine SS. & individuæ Trinitatis. Amen.

„ ALbertus, DEI Gratiâ, Litho- „ myſslenſis Epiſcopus ad per- „ petuam rei memoriam, univerſis „ ad quos præſentes pervenerint, „ ſalutem in eo, qui eſt omnium ve- „ ra ſalus. *Et infrà.* Sanè honora- „ biles & religioſi Viri Domini Hen- „ ricus Præpoſitus, & Conventus „ Canonicorum Regularium Ordi- „ nis S. Auguſtini, monaſterii in „ Landscrona, noſtræ Diœceſis co- „ ram Nobis proponere curârunt. „ Quòd licèt Reverendiſſimus in „ Chriſto Pater Dominus Petrus, „ Archiepiſcopus Magdeburgenſis „ mihi amicus chariſſimus, ſalutari „ ductus conſiliô ex devotione ſpe- „ ciali, cordi ſuo divinitus illapſo, „ ipſum

„ipſum monaſterium fundaverit, „erexerit, & extruxerit opere „ſumptuoſo, ad divini cultûs au- „gmentum pro inhabitatione per- „petua dictorum Canonicorum, & „in remedium animæ ſuæ, proge- „nitorum, fratrum, ſororum, & „omnium fidelium animarum, qua- „rum curam geſſit, & gerit, de „bonis à DEO ſibi collatis compe- „tenter dotaverit, & tamen de fa- „cultatibus eisdem tam Canonici, „quàm aliæ perſonæ Monaſterii „ejusdem in victualibus, & ami- „ctualibus non poſſint commodè ſu- „ſtentari &c. Propter quæ Nobis „humiliter & cum debita inſtantia „ſupplicârunt: unà cùm præfato „Domino Petro fundatore, qua- „tenus ad ſuccurrendum inopiæ, & „defectui ſupradictis ad augmen- „tum cultûs divini Eccleſiam Paro- „chialem S. Mariæ Landscronæ „cum omnibus pertinentiis ſuis, & „quæ prædicto monaſterio ipſo- „rum eſt quasi contigua, & val- „de propinqua, cujus collatio & „proviſio, & alia quævis diſpoſi- „ſitio ad nos jure ordinario pertine- „re dignoſcitur, prænominato mo- „naſterio ipſorum in Landscrona „incorporare, annectere, & unire „dignaremur.„ (Dein eam Mona- „ſterio unit, & incorporat) „Acta „ſunt hæc præſentibus honorabili- „bus Viris D. Nicolao de Gyczin „curiæ noſtræ Officiali, Wences- „lao Pragenſi, Artlebo Olomucen- „ſi, & Wenceslao Ratisbonenſi „Canonicis familiaribus noſtris. „Actum & Datum Lithomiſslii An. „Dom. 1375. In vigilia aſſum- „ptionis Virginis Benedictæ Mariæ, „quæ fuit 14. Auguſti.

Defuncto *Joanne* à *Novo Foro* Epi- ſcopo *Olomucenſi* An. 1380. ei ſucceſ- ſit *Petrus* relicto *Magdeburgo*. De quo *Auguſtinus* in Catalogo *Epiſc. Olomu- cenſ. Petrus* cognomento *Gelito* vi- geſimus ſextus in Epiſcoporum ordi- ne Eccleſiæ *Olomucenſi* præſedit. Ho- mo magni animi, deque Eccleſia ſua & religione optimè meritus, mo- naſterium Canonicorum regularium in *Landscrona* magnis ſumptibus, pro- priisque impendiis extruxit, orna- mentis Eccleſiaſticis egregiè decora- vit. Inſuper altare s. *Briccii* in Ec- cleſia *Olomucenſi* erexit. Hic etiam munitionem *Drzewiczicz* cum villa *Popowicz* pro ſe & ſuis ſucceſſoribus favore Regis *Wenceslai* emit. Mori- tur pius Pontifex Idibus *Februarii* An. Chriſti 1387. in Monaſterio *Lands- cronenſi* ſepultus.

Sextus. ALBERTUS à STERN- BERG, *Magdeburgo Luthomyſslium* re- diens, inde præter magnam partem reliquiarum *S. Mauritii M.* ex *The- bæis*, corpus *S. Victorini*, Epiſcopi *Amiternenſis* & Martyris, quod *Otto* ejus nominis *I. Imperator Magdebur- gum* portaverat An. 965. *Litomiſslium* in *Bojemiam* An. 1373. tranſtulit, & ut feſtum illius ſub *ritu duplici* per uni- verſam *Bojemiam* celebraretur à *Gre- gorio XI. Pontifice Maximo* adjuvanti- bus *Carolo IV. Imperatore* & *Joanne I. Archiepiſcopo Pragenſi* Cardinali, & Legato nato impetravit. Bellorum dein diſturbiis hoc ſacrum corpus putatur rurſus *Magdeburgum* reporta- tum. In *Lithomyſslenſi Parochiali Ec- cleſia* pars de brachio aut tibia *S. Vi- ctorini* etiamnum piè colitur, quam à *Jaroslao Sternbergio Epiſcopo Litomericen- ſi* acceptam, *Eva Joanna Comitiſſa de Sternberg*, conthoralis *Adami Mathiæ Comitis de Trauttmansdorff*, Domini in *Luthomysl* Eccleſiæ donavit, ut ſe- cunda quoque *S. Victorini Litomys- lium* translatio *Sternbergiis* debeatur. Fundavit *Albertus* An. 1371. *Stern- bergæ* in *Moravia* Monaſterium *Canoni- corum Regularium*, dotem ei aſſignando in pagis, & prædiis *Weyſchowicze* & *Stadlo*. Titulus fuit datus novo cœno- bio, & Eccleſiæ *intemeratæ Virginis Ma- riæ ab Angelo ſalutatæ*. Templum inibi etiam Parochiale antiquitate labefactatum, ac ruinæ proximum *S. Georgii* nuncupatum caſſavit, &

 Pa-

Parochiam monaſterio adjunxit, útque Præpoſitus per ſuos fratres idoneos, perpetuis temporibus parochialia munia obiret, ab *Epiſcopo Olomucenſi* impetravit. Item Anno 1376. erexit & fundavit eremum *Carthuſianis* ſub *Lithomyſlio* propè pagum *Trzek* ſub titulo *rubus Beatæ Virginis*, dein ab *orphanis* cum *Lithomyslio* exciſam, & An. 1378. alterum conſtituit eremitorium *Carthuſianis* in valle *Joſaphat Dolani* ultrà *Olomucium.* Obiit die 14. *Januarii* An. 1380. ſepultus *Sternbergæ* in monaſterio *Canonicorum Regularium*, quod fundaverat, propè ingreſſum chori. Ejus oſſa *Joannes à Roſenblut XII.* loci Præpoſitus dum Eccleſiæ pavimentum ſub Annô 1599. innovat, feliciter invenit, ac cujus eſſent, è textu ſtanneæ tumbæ intellexit. Quare in novam cryptam, ad aram majorem à ſe recenter erectam honorificè 6. *Novembris* etiam eodem Annô intulit, & diſpoſuit.

Septimus. JOANNES SOBIESLAWEK, *Jodoci & Procopii Marchionum Moraviæ* frater, ac ipſius *Caroli IV.* Imperatoris ex *Henrico* fratre *Nepos*, *Præpoſitus Wiſſehradenſis. Joanne Nepomuceno* Reginæ *Confeſſario*, & Regio *Eleemoſynario* oblatum Epiſcopale munus deprecante, pedum *Litomyslenſe* à *Wenceslao* Imperatore obtinuit, & quia nec Præpoſituram *Wiſſehradenſem Joannes* accipere volebat, utrumque *Sobieslawek* retinuit, quousque An. 1388. ad *Patriarchatum Aquilegienſem* ab *Urbano VI. ſum. Pontif.* promotus fuiſſet. Obiit *Aquilegiæ* tabe phthiſicâ An. 1400. 5. *Cal. Martii.*

Octavus. JOANNES IV. ad *Litomyslenſem Cathedram* evectus Annô 1388. à ſacris recognitionibus *Wenceslao IV.* Imperatori exiſtens in diplomate Regio, quo idem Imperator *Eccleſiæ Pragenſi* jus regium donat vulgò *Oſtroze* ſubſcriptus legitur. *Datum Pragæ An.* 1388. *die 7. Junii. Per Dominum Joannem Lithomyſslenſem Electum Wlachnico de Weitmüle.* Inveniuntur plures literæ *Wolframi Archi-Epiſcopi* ad eundem circa An. 1398. datæ. Vixit adhuc An. 1400. Ejus Vicarius Generalis in ſpiritualibus & Officialis fuiſſe legitur *Hermannus de Mirovv Canonicus Pragenſis.*

Nonus. JOANNES V. cognomento de *Praga*, honeſtis *Pragæ* parentibus ortus, in Univerſitate *Pragenſi* ſacræ Paginæ & Decretorum Doctor, Canonicus *Pragenſis*, & Præpoſitus *Wiſſehradenſis* circa An. 1400. ad Epiſcopatum *Lithomyſslenſem* promotus. Quem virum gravem & expertum *Cochleus lib. 1. Hiſt. Huſſit.* nominat. Poſtea An. 1406. poſt obitum *Wenceslai Kralik* ad Epiſcopatum *Olomucenſem* poſtulatus, ubi variam fortunam expertus eſt. Adverſante enim ſibi *Wenceslao Rom. & Bohemiæ* Rege *Alzo* Canonicus *Wiſſehradenſis* favore *Conradi* Archi-Epiſcopi *Pragenſis*, per factioſos quosdam Canonicos in Epiſcopum *Olomucenſem* fuit electus. *Auguſt. in Catalog. Epiſc. Olomuc.* Verùm cùm ea de re coram S. Concilio *Conſtantienſi* controverſum eſſet, *Joannis* poſtulatio An. 1418. approbatur, adeò ut in Cardinalium etiam cætum ſub titulo *S. Cyriaci* fuerit aggregatus, ſervatâ Epiſcopatûs *Lithomyſslenſis* adminiſtratione. Bulla Papæ ex *Archiv. Epiſc. Lithomyſl.* in hæc ſonat.

„MARTINUS, Epiſcopus Servus Servorum DEI. Dilectis filiis Capitulo Eccleſiæ Lithomyſslenſis ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Regimini univerſalis Eccleſiæ, quamvis inſufficientibus meritis diſponente Domino præſidentes. Et infrà. Cùm itaque nuper Venerabilem Fratrem Noſtrum Joannem Olomucenſem, tunc jure Lithomyſslenſis Eccleſiæ Epiſcopum licet abſentem, à vinculo, quo ipſi jure Lithomyſslenſis Eccleſiæ, cui tunc

„præ

„ præerat tenebatur, Apoſtolicæ „ poteſtatis plenitudine abſolventes „ ipſum Joannem Epiſcopum ad Ec- „ cleſiam Olomucenſem, tunc per „ obitum bonæ memoriæ Wences- „ lai Patriarchæ Antiocheni ejusdem „ Eccleſiæ commendatoris perpe- „ tui, qui in illis partibus diem clau- „ ſit extremum, vacantem duximus „ transferendum, ipſum eidem Ec- „ cleſiæ Olomucenſi præficiendo in „ Epiſcopum & Paſtorem. *Et infrà.* „ Conſiderantes, quòd ipſe Joannes „ Epiſcopus, qui eidem jure Litho- „ myſslenſis Eccleſiæ laudabiliter „ præfuit, quique fidem orthodo- „ xam, & libertatem Eccleſiaſticam „ contra hoſtes, & adverſarios eo- „ rundem veluti Athleta fortis viri- „ liter defendit, & defendere non „ deſiſtit, quódque Olomucenſis „ & Lithomyſslenſis Diœceſes ſunt „ contiguæ, propter quod ipſe Joan- „ nes poſſit Eccleſias ipſas comodiùs „ gubernare, ac quòd ipſa Olomu- „ cenſis Eccleſia ſit in proventibus, „ & reditibus plurimùm diminuta, „ & propterea non valeat de bonis „ ad ejusdem Olomucenſis Eccleſiæ „ menſam ſpectantibus ſtatum ſuum „ juxta horum meritorum, & digni- „ tatis Pontificalis exigentiam tenere „ decenter, nè igitur ipſa noſtra Li- „ thomyſslenſis Eccleſia longæ vaca- „ tionis incommoda deplorare co- „ gatur, utque ſtatum ſuum, ùt me- „ retur, tenere valeat, attentiùs „ providere volentes, cuſtodiam, „ curam, regimen, gubernationem „ & adminiſtrationem ipſius Litho- „ myſslenſis Eccleſiæ ſibi in ſpiritua- „ libus, & temporalibus per ipſum „ usque ad noſtrum & Apoſtolicæ „ ſedis beneplacitum regendam, „ & gubernandam commiſimus &c. „ Quo circa diſcretioni veſtræ per „ Apoſtolica ſcripta mandamus &c. „ Datum Conſtantiæ XVI. Calend. „ Martii Pontificatûs Noſtri Anno „ primo.

Fuit *Joannes* acerrimus fidei Catholicæ adverſus *Huſſiadum* phalanges propugnator, acies eorum ferrô & flammâ aſſiduò perſequens, & cataphracto equo inſidens loricâ, galeáque tectus Catholicorum copias ductabat, ac propterea ferreus cognominatus eſt. In concilio *Conſtantienſi Seſſ. XIII.* qua error de utraque ſpecie damnatus fuit, divinum officium celebravit. Ab eodem Concilio in *Bohemiam*, & *Moraviam* miſſus legatus. De hoc apud *Paprocz. in Stat. Dom. fol.* 80.

„ DIlectis Eccleſiæ filiis, Nobilibus „ Viris Wilhelmo, Jaroslao, „ & Nicolao Fratribus dictis de Ha- „ zenburg, Regni Bohemiæ Baro- „ nibus, ſacroſancta & Generalis „ Synodus Conſtantienſis ſalutem & „ DEI omnipotentis benedictionem. „ Quantis providentiæ ſtudiis &c. „ *Et infrà.* Nec non Venerabili fra- „ tri Joanni Epiſcopo Lithomyſs- „ lenſi fidei Catholicæ ferventi de- „ fenſori, quem aliàs veluti ex milli- „ bus electum ad regnum & Mar- „ chionatum hujusmodi propter o- „ pus iſtud ſalubre, ſi, & quantùm „ DEO placuerit, in illis partibus „ utiliter peragendis, legatum no- „ ſtrum deſtinavimus in favorem fi- „ dei, quæſumus opem, & operam „ impendatis efficaces, & quantùm „ vobis fuerit poſſibile, ſibi, ſi ne- „ ceſſitas ingruerit, in tali opere ſa- „ lutari fideliter, & conſtanter aſſi- „ ſtatis, viribus & opere vobis cœli- „ tus miniſtratis. Datum Conſtan- „ tiæ ſexto Calend. Aprilis Anno á „ Nativ. Domini 1416. Apoſtolica „ ſede vacante. „ Hic è *Lithomyſslenſibus* Epiſcopis fuit ultimus.

Obiît piè in Domino Catholicæ militiæ & religionis Athletes imperterritus *Strigonii* in *Hungaria* die 9. *Oct.* An. 1430. ſepultus *Vaciæ*. *Lithomyſslium* porrò oppidum pridem occupaverant *Pragenſes*, illúdque An. 1421. die 2. *May Dionyſio Borzek* à *Miletnik* partium ſuarum ſtudioſo donâ-

donârunt. Arx tamen ſeu caſtrum *Lithomyſslenſe* oppido imminens ab *Joanne* Epiſcopo ultimo firmiſſimô præſidiô tenebatur, & ideò expugnatio illius *Orphanis* multo ſanguine ſtetit. Jam diebus quatuordecim fruſtra oſſiliebant Catholicis heroibus hæreticorum furorem fortiſſimè reprimentibns, donec tandem die 9. *Martii SS. Cyrillo & Methudio* ſacrà An. 1425. omni conniſu, toto *Orphanorum* exercitu, valla, murósque rabiosè ſcandente, etsi ſemel, iterúmque repulſo, in hoſtium poteſtatem caſtrum venit. Nihil ibi deditionis mentio, nihil abjecta arma, nihil preces, nihil ætas, ſexus, dignitas valuêre, ſinè diſcrimine unà omnes etiam milites, utpote Catholici, & ex Epiſcopi militia, quódque atrociùs infantes pueri, puellæque, Religioſi, & Sacerdotes ferrô conciſi, flammâ exuſti perierunt omnes. *Peſſina Mart. Morav. lib.* 5. *cap.* 1. *fol.* 511. Exciſo *Lithomyſslio* latifundia Eccleſiæ Cathedràlis, menſæ Epiſcopalis, & Capituli expulsô *Genrk* de *Wedanicz* primò incubô, Equites *Koſtkiani* de *Poſtupicz* invaſerunt, & occupârunt. Fuêre illi *Huſſæo* calice dementati *Ziſcæ*, *Taboribúsque* dedìtiſſimi, atque adeò bonorum Eccleſiaſticorum inhiatôres perpetui, ferrô ac flammâ Eccleſias & cœnobia invadentes, ac Cleri nomen in omni *Bohemiæ* loco perſequentes, ſed non ſinè præſenti DEI vindicta. Plures eorum horribili morte abrepti ſunt. Quare in ore totius Eccleſiæ *Bohemicæ* perpetuò amareſcit iſtius gentis memoria. *Nomen Koſtkarum* (verba ſunt *P. Balbini* in *Volum.* 10. *Erect. fol.* 196.) „cum „execratione in hiſtoria Bohemiæ „legendum eſt, ac licèt Poſtupicen-„ſem Eccleſiam eorum majores fun-„darint, quantulum eſt hoc pieta-„tis, ſi rapinas, ſacrilegia, & ſi quid „his poteſt eſſe atrocius, ab iis per-„petrata conferamus. Koſtkæ in-„ter primos manus Eccleſiis, cœ-„nobiisque injecerunt.„ In eundem ſenſum *Æneas Sylv. Hiſtor. Bohem. cap.* 49. *Guilielmus Koſtka non tam equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione inſignis.*

SERIES SUCCESSIONIS EQUITUM KOSTKA DE POSTUPICZ, QUI BONA EPISCOPATUS LITOMYSSLENSIS USURPARUNT.

PRimus *Lithomyſslii* uſurpator ex *Koſtkianis* fuit WILHELMUS *Koſtka* de *Poſtupicz*, de quo *lib.* 10. *Erect. A.* 9. ad An. 1414. Fidelis *Ziſcæ* commilito, & *Taborum* Dux, ad concilium *Baſileenſe* legatus An. 1433. de quo ſuprà *Sylvius.*

Secundus BOHUSSIUS *Koſtka* de *Poſtupicz* filius *Wilhelmi.* Extant ejus literæ, quibus *Lithomyſslenſes* liberat ab acceptatione cujusdam ſalis die *S. Margarethæ* An. 1442. Et aliæ literæ ejus ſuper molendino hoſpitalis An. 1447.

Tertius ZDENKO *Koſtka* de *Poſtupicz*, Magiſter montium. De quo *Georg. Pontan. Bohem. Piæ Lib.* 1. *fol.* 8. *Zdenko Koſtka An.* 1463. *Monetarum Magiſter jubens feriis S. Laurentii monetam cudere, DEO & ſanctis maledicens, tactus fulmine, ſextô die moritur infauſtiſſimus.* Sepultus ad murum monaſterii *Sedlecenſis. Kapihorsk. in Hiſtor. Monaſt. fol.* 50.

Quartus ALBERTUS *Koſtka* de *Poſtupicz*, Magiſter montium in amoribus *Georgii Bodiebradii* Regis. De quo in ſuis literis *Hanuſſius* à *Kollowrat* & *Zbirow* Præpoſ. *Prag.* & Adminiſtrator in ſpiritualibus Archi-Epiſcopatûs *Prag.* Sede vacante. *Vobis D. M. Valentino Plebano in Budina ſalutem, & diligentiam in commiſſis. Quia Generoſus Albertus Koſtka infirmitate corporali gravatus, mederi cupit animam;*

mam, jacens in Seplicz. Quare præſentibus damus vobis autoritatem abſolvendo eundem, faciendo ea, quæ facienda ſunt, & quamquam S. Auguſtino dicente: Pœnitentia ſera, rarò vera; tamen non deſperandum de gratia DEI. Dat. in Zvvirkovv die 14. *Decembr. An.* 1469.

Quintus JOANNES *Koſtka* de *Poſtupicz*, ad inſtantiam illius latinum diploma dedit *Wladislaus* Rex, quòd poſſint Cives *Lithomyſslenſes* telonium elevare. Dat in *Montibus Kuttnis* die 3. *Januarii* An. 1474.

Sextus JOANNES, & BOHUSSIUS fratres *Koſtkae* de *Poſtupicz*, filii *Joannis*, poſterior Capitaneus diſtrictûs *Chrudimenſis*, impetrant Majeſtales à *Wladislao* Rege circa eſculenta & poculenta An. 1490. Et varias gratias, & indulta concedunt Civitati *Lithomyſslenſi*. Die *Martis* ante *S. Georgium* An. 1491.

Septimus BOHUSLAUS *Koſtka* de *Poſtupicz*, Magiſter montium, & monetæ Præfectus malâ morte obiit An. 1505.

Octavus WILHELMUS *Koſtka* de *Poſtupicz*, itidem monetæ Præfectus, impetrat *Lithomyſslenſibus* Majeſtales à *Wladislao* Rege ſuper nundinis. Dat, *Budæ* die *Ven.* poſt *S. Annam* 1512. Hic ſe ipſum ſclopetô violentè occidit. Die 11. *Decembris* An. 1521. *Weleslav. Calend. Hiſtor. fol.* 609.

Nonus ZDENKO & JOANNES fratres *Koſtka* de *Poſtupicz* impetrant a *Ludovico Bohem.* Rege confirmationem privilegiorum per Reges, Epiſcopos, & loci poſſeſſores *Lithomyſslenſibus* conceſſorum. Dat. *Budæ* die *S. Michaelis* An. 1524. Dant literas in cauſa piſcinarum. *Lithomyſsli* die *Mercurii* ante *Philippi* & *Jacobi*, An. 1528.

Decimus BOHUSSIUS *Koſtka* à *Poſtupicz*, ſuperiorem partem Urbis *Lithomyſslenſis* ante arcem jacentis dividit, & diſponit. *Lithomyſsli* Sabbatho ante *S. Antonium*, An. 1530. Elargitur confirmationem omnium privilegiorum Civitati *Lithomyſslenſi* An. 1536. Piſtoribus varia indulta concedit. *Lithomyſslii* die *Veneris* ante feſtum *Pentecoſtes*. An. 1545.

PERILLUSTRIS FAMILIA EQUITUM HAUGVVICZ à BISKUPICZ.

WENCESLAUS *Haugvvicz* à *Biskupicz* remittit hæreditatem caducam poſt *Margaretham Beraukovva*. *Lithomyſslii* die *Veneris* poſt converſionem *S. Pauli.* An. 1561. Dat literas, ut ſpolia poſt *Pikarditas* exuſtæ Eccleſiæ *S. Crucis* reſtituantur.

ILLUSTRISSIMA FAMILIA BARONUM à PERNSTEIN.

JOANNES à *Pernſtein* matrimonio ſibi junxit *Catharinam Koſtkiam* à *Poſtupicz*. VVRATISLAUS à *Pernſtein*, filius *Joannis*, Aurei velleris Eques, & Supremus Regni *Bohemiæ* Cancellarius, accipit per ceſſionem à *Wenceslao Haugvvicz* à *Biskupicz* Dominium *Lithomyſslenſe*. Die *Lunæ* poſt Aſſumptionem *B. Virginis* An. 1567. Quare nominat Commiſſarios ad acceptandam poſſeſſionem ejusdem, cùm ipſe perſonaliter adeſſe non poſſet. Datum *Proſtiegovii* die *Veneris* ante *Aſſumptionem B. V.* An. 1567. Impetrat confirmationem omnium privilegiorum Civitatis à *Maximiliano II.* Imp. & *Bohemiæ Rege*. Dat in Caſtro *Pragenſi* die

Mercurii ante Dominicam *Miſericordias* An. 1570. A *Rudolpho II.* Dat. in Caſtro *Pragenſi* die *Veneris* poſtDominicam *Miſericordias*. Ponit fundamenta pro nova arce ædificanda in eodem loco, ubi olim Eccleſia Cathedralis, domus Epiſcopalis, & Canonicorum ſteterant; die *Jovis* ante Dominicam *Oculi* An. 1568. fabricam dirigente ædili *Joanne Baptiſta*, eam finit An. 1573. opere magnifico & ſtabili, ùt adhuc in hodiernum extat: An. 1577. *Antonius* Archiepiſcopus *Pragenſis* conſecravit Capellam arcis novæ *Lithomyſslenſis*, die *S. Jacobi* Apoſtoli in honorem DEI & *S. Monicæ* Matris *S. Auguſtini*. Obiît VV*ratislaus* die 20. *Octobris* An. 1587. ſepultus in Eccleſia Metropolitana *Pragenſi*, ſacello *Pernſteinico*.

VVRATISLAUS junior, Baro à *Pernſtein*, filius *Joannis*, An. 1597. in militia occiſi, nepos *VVratislai* ſenioris, accepit ab Amita ſua *Polexina* Principe à *Lobkovvicz*, nata de *Pernſtein*, Dominium *Lithomyſslenſe* per ceſſionem, die 12. *Julii* An. 1627. Idem *VVratislaus* ſecutus militiam Cæſaream tribus milliaribus *Magdeburgo* non procul ab *Halberſtad*, & *Tangermund* à *Suecis* noctu repentino incurſu obrutus, equo inſidens heroicè ſe defendit, ſed tandem multitudine Suecor. obrutus occubuit. Die 2. *Julii* An. 1630. ſepultus *Pragæ* apud Patres *Capucinos* die 8. *Martii* An. 1631. Ultimò hoc extinctò familia hæc in *Bohemia* eſſe deſiît.

FREBONIA, Baro à *Pernſtein*, ſoror germana *VVratislai* occiſi accepit poſſeſſionem Dominii *Lithomyſslienſis* An. 1632. Eadem dein, die 22. *Novembr.* An. 1640. R. R. Patres *Piarum Scholarum Lithomyſslium* introduxit.

ILLUSTRISSIMA FAMILIA S.R.I. COMITUM DE TRAUTMONSDORFF.

JOANNES FRIDERICUS, S. R. I. Comes de *Trautmonsdorff*, impetrat à *Ferdinando III.* Rom. Imp. *Bohemiæ* Rege, confirmationem omnium privilegiorum oppido *Lithomyſslenſi*. Die *Lunæ* poſt Dom. *Oculi* An. 1653. Nunc ad memorias Epiſcopatûs redeamus. Exciſo ab Orphanis *Lithomyſslio* latifundia Eccleſiæ Cathedralis, menſæ Epiſcopalis, ac Capituli, manibus *Koſtkianis*, ùt viſum eſt, in prædam ceſsêre. Adminiſtrationem verò Epiſcopatûs in ſpiritualibus *Joannes V.* & ultimus Epiſcopus *Lithomyſslenſis* usque ad mortem fideliter geſſit. Sed & poſt mortem ejus velut An. 1438. in coronatione *Alberti*, Regis *Bohemiæ*, adhuc Epiſcopum *Lithomyſslenſem* extitiſſe invenio, etſi bona Epiſcopalia poſſiderent *Koſtkiani*. Ait enim in MS. ſuo *Bartoſſak fol.* 17. *An.* 1438. „ ipſo die SS. Petri „ & Pauli Apoſt. horâ tertiâ D. Albertus in Eccleſia S. Viti eſt in Regem Bohemiæ coronatus. Epiſcopus Olomucenſis ipſum coronavit, ſede Archiepiſcopali tunc vacante. „ Præſentibus Dominis Conſtantiæ Magnæ, & Lithomyſslenſis, „ Epiſcopis, & multis aliis Prælatis. Tandem autoritate ſedis Apoſtolicæ adminiſtratio Epiſcopatûs *Lithomyſslenſis* in ſpiritualibus manſit penes Priorem Conventûs *B. V. Mariæ Sitaviæ* duobus milliaribus *Lithomyſsliô* diſtantis Ordinis *Præmonſtratenſis*.

SERIES QUORUNDAM ADMINISTRATORUM.

JOANNES V. & ultimus Epiſcopus ad Cathedram *Olomucenſem* poſtulatus retentâ Epiſcopatûs *Lithomyſslenſis adminiſtratione*.

BENEDICTUS Prior, & *Joannes* Cuſtos Ord. *Præmonſtrat.* in *Sittau* Adminiſtratores Epiſcopatûs *Lithomyſslen-*

myſslenſis in ſpiritualibus. Die 16. *Auguſti* An. 1457.

JOANNES de *Ruina*, Prior, Ord. *Præmonſtrat.* in *Sittau* Adminiſtrator in ſpiritualibus Epiſcopatûs *Lythomyſslenſis.* Die 17. *Decembr.* An. 1463.

MARTINUS, Eccleſiæ *Lithomyſslenſis* Adminiſtrator in ſpiritualibus. Die ultimâ *Jul.* An. 1484. Et idem die 14. *Jun.* An. 1490.

Reverendus in Chriſto Pater & Dominus, Dominus ELIAS Eccleſiæ *Lithomyſslenſis* Prior & Diœceſis Adminiſtrator per ſedem Apoſtolicam deputatus, Ven. D. *Martinus* Cuſtos, D. *Erneſtus* Scholaſticus, Eccleſiæ *Lithomyſslenſis* Canonici & Prælati. Die 18. *Octobr.* An. 1491. Habuit *Elias* uſum mitræ & pontificalium.

NICOLAUS Prior, *Arneſtus* Cuſtos Ord. *Præmonſtrat.* Adminiſtratores Eccleſiæ *Lithomyſslenſis.* Die 10. *Decembr.* An. 1497. Et ultimâ *Febr.* An. 1501.

NICOLAUS Prior de *Sittavia*, *Bernardinus* Cuſtos Ord. *Præmonſtrat.* Adminiſtratores Epiſcopatûs *Lithomyſslenſis.* ultimâ *Octobris* An. 1503.

LUCAS, Ord. *Præmonſtrat.* Adminiſtrator Epiſcopatûs *Lithomyſslenſis*, *Joannes* Canonicus *Lithomyſslenſis*, die 7. *Novembr.* An. 1519.

LUCAS Prior de *Sittavia* Ord. *Præmonſtrat.* Adminiſtrator Orbatæ Eccleſiæ *Lithomyſslenſis*, *Gregorius* Cuſtos, *Joannes* Scholaſticus, *VVenceslaus* Cantor, & totum Capitulum ejusdem Conventûs commutat cum *Stanislao* Epiſcopo *Olomucenſi* agros, hortos, & prata hoſpitalis *Sittavienſis.* Datum *Cremſirii* Feriâ Tertiâ, die *Aſſumptionis B. V.* An. 1525.

SERIES QUORUNDAM VICARIORUM GENERALIUM IN SPIRITUALIBUS EPISCOPATUS LITHOMYSSLENSIS.

Sub *Joanne II.* Epiſcopo *Lithomyſslenſi.*

JOANNES, Decanus *Glogovienſis*, Officialis Curiæ Epiſcopatûs, & Vicarius Generalis in ſpiritualibus. Die 18. *Octobr.* An. 1358.

Sub *Alberto* Epiſcopo.

NICOLAUS Plebanus de *Giczin*, Canonicus *Magdeburgenſis*, Officialis Curiæ Epiſcopalis, & Vicarius Generalis. An. 1366. & An. 1375.

Sub *Joanne IV.* Epiſcopo.

HERMANNUS de *Mirovv*, Canonicus *Pragenſis*, Officialis Curiæ Epiſcopalis *Lithomyſslenſis.*

Magiſter *Vitus*, Canonicus Eccleſiæ *S. Egydii* Majoris Civitatis *Pragenſis*, Officialis Curiæ Epiſcopalis, & Vicarius Generalis An. 1393.

JACOBUS *Bauſſek*, Baccalaureus in Decretis, Officialis Curiæ Epiſcopalis, die 19. *Aug.* An. 1398.

Sub *Joanne V.* & ultimo Epiſcopo.

Magiſter JOANNES de *Colonia*, Officialis Curiæ Epiſcopalis An. 1407.

Georgius Bodiebradius, Rex *Bohemiæ*, hunc Epiſcopatum aliquando reſtaurandum adpromiſit *Paulo Zidek*, in quinque Univerſitatibus SS. Theologiæ Doctori, ùt ille narrat *Lib. 1. Conſil. ad Georg. MS.*

DE EPISCOPATIBUS LITOMERICENSI ET REGINÆ-HRADECENSI.

Videtur hìc non abs re eſſe neo-erectarum Epiſcopalium ſedium Suffraganearum *Litomericenſis*, & *Reginæ-Hradecenſis*, cùm Litomyslenſi, & *Olomucenſi* recenter ſuccenturiatæ ſint, brevem mentionem texere, ut Eccleſiarum Regni memoriæ hoc opere exhibeantur integræ. Reſuſcitato *Archiepiſcopatu Pragenſi*, viſum quidem fuit de Suffraganeis proſpicere, id tamen ſtatim pro voto non accidit. Caruerunt *Antonius*, *Martinus*, *Zbinko*, *Carolus*, & *Joannes* Lohelius Suffraganeis. Primus *Cardinalis ab Harrach* ſollicitudinem ſumpſit quoſdam Archi-Diœceſis circulos in Epiſcopales Suffraganeas ſedes ſeparandi, & erigendi. Nam cum glorioſæ memoriæ *Ferdinandus II. Romanorum Imperator*, & *Bojemiæ Rex*, ad ſedandos bellorum tumultus, qui Regnum *Bojemiæ* tunc conciebant, in quaſdam pacis conditiones conſenſiſſet, per quas multa hujus Regni bona Eccleſiaſtica ante, & inter bellicas tempeſtates per ſæculares occupata, ipſis occupatoribus rata manebant, nec reddebantur, quæ erant DEI, DEO. Mox hujus permiſsûs, ſeu commiſſi pœnitens, ac ſuæ & avitæ pietatis memor, ad damna, quæ per eam pacificatiouem res Eccleſiarum *Bojemiæ* capiebant, utcunque reparanda penſionem annuam perpetuam, *quindecim millium aureorum* ex vectigali ſalis *Bojemiæ* Regni, quot annis percipiendum conſtituit & aſſignavit, ratam habente *Felic. record.* *Urbano VIII. ſum. Pontif.* eâ quidem gratiâ, ut quandocunque ex dicta annua penſione, ſeu adminiſtratione Congregationis *S. R. E. Cardinalium* rebus propagandæ fidei præpoſitorum tanta excreviſſet pecuniarum ſumma, quæ unius Eccleſiæ Epiſcopalis doti in eodem Regno erigendæ ſatis eſſe videretur, tunc à Diœceſi *Pragenſi* pars aliqua avelleretur, idque dicta penſione annuatim redeunte, & poſt aliquos iterum Annos ad notabilem ſummam coacta pluries fieret, donec *quatuor* omnino *ſedes Epiſcopales* novæ in *Bojemia* ſic dotatæ & creatæ forent. Primò igitur *diſtrictus Litomericenus* in longitudine duodecim, & in latitudine octo milliaria germanica continens in *Diœceſim*, *Eccleſia* verò *Litomericenſis S. Stephani Proto-Martyris* ex *Collegiata* in *Cathedralem* an. 1654. evecta fuit, comparato pro menſa Epiſcopali Dominio *Drumenſi*. Eminentiſſimo *Cardinali ab Harrach* & ſucceſſoribus ejus *Archiepiſcopis Pragenſibus* conceſſo *jure metropolitico* in neo-erectam Eccleſiam. Auguſtiſſimo verò *Imperatori* & Regi *Bojemiæ*, (quia pro ejus dote ultra bona ex reditibus Caſſæ ſalis empta idem conſenſum præſtitit uniri *Præpoſituram* Litomericenſem de ſuo Regio jure Patronatûs) donatô *jure Epiſcopum nominandi*. Continet hæc Diœceſis octo-ginta aliquot Parochias, & ultra quinquaginta filiales.

SERIES EPISCOPORUM LITOMERICENSIUM.

Primus. MAXIMILIANUS RUDOLPHUS è Baronibus de *Schleinitz*, Canonicus *Pragenſis*, ſpectatæ eruditionis, prudentiæ, magnanimitatis, & Clementiæ Antiſtes. Hunc Litomericenſis Cathedra ob multa rectè & ſapienter facta & ordinata, quaſi alterum *fundatorem*: Baſilica *S. Stephani* à fundamentis ipſius propriis impenſis extructa, & multiplici apparatu exornata, dote etiam ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex florenorum ditata ſuum *Zorobabelem*; Capitulum denique duo-

duobus Canonicalibus Præbendis ab eo piâ liberalitate auctum, ac novis etiam Canonicalibus ædibus exornatum ſuum *Patrem* benigniſſimum reſpicit, & veneratur, ſolemni ritu die 25. *May*, quæ erat *Aſcenſionis Domini.* An. 1656. *Litomericii* intronizatus, vitam egit inter literas; oratione ligata, ac proſâ potens. Scripſit *Inſtructionem parochorum* longè utiliſſimam, & *Memorabilium Romanorum exornatorum poeticè Centuriam unam.* ac *Vandalo Bojemiam* ſeu novam & curioſam gentis *Slavicæ* Hiſtoriam, quæ duabus partibus conſtat, & nondum typis data eſt. Obiît *Litomericii* die 13. *Octobr.* An. 1675. ſepultus in Eccleſia Cathedrali.

Secundus. JAROSLAUS FRANCISCUS IGNATIUS è familia Comitum de *Sternberg*, die 13. *Septembr.* An. 1676. ſolemniter introductus prudentiâ, liberalitate, devotionis zelo, magnanimitate, ac aliis Præſulum virtutibus opiparè inſignitus, præprimis verò immunitatis Eccleſiaſticæ, ob quam plurima perpeſſus, acerrimus defenſor. Diœceſim vigilanter ac ſapienter triginta quatuor annis rexit. Cathedralis Eccleſiæ ſuppellectilem auxit. Cæmeterium cum ſumptuoſa Capella in ſepulturam illius populi, qui cum cura animarum immediatè ad Eccleſiam Cathedralem pertinet extruxit. Obiît plenus dierum die 12. *Aprilis* An. 1709. ſepultus in Eccleſia Cathedrali.

Tertius. HUGO FRANCISCUS, Comes de *Königseg* & *Roſenfels*, SS. Metropolitanarum & Electoralis Eccleſiæ *Colonienſis*, & *Argentinenſis* Canonicus, Decanus Capitularis, & Capellanus *Sac. Cæſ. Reg. Majeſt.* Conſiliarius Sereniſſimi Electoris *Colonienſis* ſupremus Aulæ Præfectus, ſolemni ritu intronizatus die 4. *Octobr.* An. 1716. Fundatis duobus ad Eccleſiam Cathedralem Canonicis *Bonnæ* die 6. *Septembr.* An. 1720. in Domino obiît.

Quartus. JOANNES ADAMUS, è. *S. R. I. Comitibus* Wratislavv *de Mitrovvicz*, Regiæ, & exemptæ Eccleſiæ *VVyſſehradenſis* Præpoſitus, *S. Metrop. Eccleſiæ Pragenſis* Prælatus Scholaſticus Emeritus, è Cathedra Epiſcopali *Reginæ-Hradecenſi* ad *Litomericenſem* translatus *octavo Cal. Octob.* An. Dom. Incarn. 1721. Pontificatûs *Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XIII. An. I.* cum applauſu Cleri populique ſolemni ritu intronizatus die 3. *May* An. 1722. Nominatus Archiepiſcopus *Pragenſis* die 5. *May* An. 1733. Oſtenſus non datus. Obiît *Medlingæ* in *Auſtria*, apoplexiâ tactus die 2. *Jun.* horâ undecimâ matutinâ A. 1733.

Quintus. MAURITIUS ADOLPHUS, DEI & S. Apoſtolicæ ſedis gratiâ Epiſcopus *Regino-Hradecenſis*, Dux *Saxoniæ*, *Juliæ*, *Cliviæ*, *Montium*, *Angariæ*, & *VVeſtphaliæ*, Landgravius *Thuringiæ*, Marchio *Miſniæ*, ſuperioris & inferioris *Luſatiae* Comes, Princeps *Henneburgenſis*, Comes *Marchiae*, *Rabenspurgi*, & *Barby*, Dominus in *Rabenſtein*, ordinis *Polonici* Albæ Aquilæ Eques, Præpoſitus *Vetero-Oetingae*, Decanus Illuſtris Eccleſiæ ad *S. Gereonem*, Metropolitanæ Electoralis Eccleſiæ *Colonienſis*, & Cathedralis *Leodienſis* Canonicus, nominatus Epiſcopus *Litomericenſis.*

Erectô ſtabilitóque Epiſcopatu *Litomericenſi* alium rurſus ſuæ Archi-Diœceſeos diſtrictum videlicet *Reginae-Hradecenſem* pro novo Epiſcopatu, determinavit, & ſeparavit Eminentiſſimus *Cardinalis ab Harrach.* Coëmpto igitur ab *Anna Euſebia* Comitiſſa *Harrachiana*, nata de *Schvvamberg*, die 8. *Mart.* An. 1656. *octuaginta octo millibus floren. Rhen.* ad ſuſtentandam menſam Epiſcopalem Dominio *Chraſt*, & ſede Nobili *Aurzeticz*, nec non à „ Guilielmo Alberto Krakovvsky de Kollovvrat „ viginti millibus & octingentis floren. Rhen. „ ad alendos tres Canonicos bono *Biſchoſtein*; aliis tribus

 Cano-

Canonicis ex alio fundo ſuſtentatis, *Alexander VII. ſummus Pontifex* oppidum *Regino-Hradecenſe* & ejus diſtrictum, ac Parochialem Eccleſiam ab ipſa Diœceſi *Pragenſi* perpetuò diſmembravit, idémque oppidum in *Civitatem*, & ejus diſtrictum in *diœceſim*, dictámque Parochialem Eccleſiam in *cathedralem Reginæ-Hradecenſem* nuncupandam cum Capitulo ſex Canonicorum cum Clero & populo autoritate Apoſtolica erexit, atque in ejusdem cathedralis Eccleſiæ dotem, ejúsque menſæ Epiſcopalis ſupradictum dominium *Chraſt* & alia *florenorum Boemicorum triginta millia* ab Auguſtiſſimo *Imperatore Leopoldo* in ſupplementum dictæ dotis liberaliter donata applicavit, & adſcripſit, aſſignando Eminentiſſimo *Cardinali ab Harrach* & futuris *Eccleſiæ Pragenſis* Præſulibus, *jus metropoliticum* in præfatam *Eccleſiam Regino-Hradecenſem*, altememorato verò Auguſtiſſimo *Leopoldo Imperatori* & Regi *Bojemiæ*, aliisque venturis *Bojemiæ* Regibus, in *fide orthodoxa* & obedientia *S. Sedis* perſeverantibus, *privilegium nominandi* Romano Pontifici ad dictam *Eccleſiam Reginæ-Hradecenſem* perſonam idoneam. *Datum Romæ apud S. Mariam majorem An.* 1664. *quart. Idus Novembris Pontificatûs Anno X.* Pro primo *Epiſcopo Reginæ-Hradecenſi* nominatus erat notiſſimus ille orbi literato *Joannes Caramuel Ord. S. Benedicti*, at certis de cauſis die 19. *Octobris* Anno 1659. Epiſcopatum reſignavit. Igitur ad novam Cathedram Epiſcopalem *Reginæ-Hradecenſem* evectus fuit *Mathæus Ferdinandus*. Canonici primi ab eodem *Mathaeo Ferdinando* An. 1665. die 22. *Jul.* in *Eccleſia Chraſtenſi* nominati, & inſtallati.

Primus. Jacobus Zottines, SS. Theologiæ Doctor, Archi-Abbas S. Crucis ad *Murum* in *Hungaria*.

Secundus. Mathias Stephetius, Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiarum *Wratislaviae* Canonicus & Vice-Officialis.

Tertius. Wenceslaus Bilek à Bilenberg, SS. Theologiæ Doctor, Decanus *Smirczicz enſis*, dein Proto-Officialis & Vicarius Generalis *Reginae-Hradecenſis*.

Quartus. Franciſcus à Kirchhoffen, Decanus *Kadanenſis*.

Quintus. Wenceslaus Reger, Archidiaconus *Reginae-Hradecenſis*.

Sextus. Non fuit illa vice nominatus.

Hi neo-electi Canonici profeſſionem fidei, & juramentum in manus Domini Proto-Epiſcopi eodem die depoſuerunt.

SERIES EPISCOPORUM REGINÆ-HRADECENSIUM.

P*Rimus.* MATHÆUS FERDINANDUS SOBEK à *Bilenberg*, patriâ *Moravus Raybradenſis Ord. S. Benedicti Vetero-Pragæ* ad *S. Nicolaum* & ad *S. Joannem ſub rupe* Abbas, poſt reſignationem *Caramuelis* ab Auguſtiſſimo *Imper. & Rege Bojemiae Leopoldo I.* nominatus Proto-Epiſcopus Regino-Hradecenſis An. 1660. die 1. *May.* Confirmatus ab *Alexandro VII.* die 4. *Novembris* An. 1664. *Reginae-Hradecii* intronizatus die 29. *Jul.* An. 1665. doctrinâ ac pietate inſignis. Bona Epiſcopalis menſæ diligenti labore inſtruxit, tres domos *Gallaſchianas* pro reſidentia Epiſcopali moderna coemit. An. 1668. ad *Archiepiſcopatum Pragenſem* translatus. Tandem An. 1675. die 29. *Apr. Pragae* diem obiît.

Secundus. JOANNES FRIDERICUS, Comes à *Waldſtein*, nominatus An. 1673. 5. *Cal. Decembr.* con-

Conſecratus à *Mathæo Ferdinando*, Archiepiſcopo in Eccleſia Metropolitana Pragenſi *Dominica Lætare*, quæ incidit in 4. *Mart.* An. 1674. Translatus ad Archiepiſcopatum An. 1675. obiît *Duxovii* in Dominio ſuo die 3. *Jun.* An. 1694.

Tertius. JOANNES CHRISTOPHORUS, Baro de *Tallmberg*, J. U. Doctor, Canonicus Pragenſis, & primus Præpoſitus Infulatus ad *omnes Sanctos* in Caſtro Pragenſi. Confirmatus ab *Innocentio XI.* An. 1676. die 14. *Calend. Novembr.* Intronizatus *Reginæ-Hradecii* die 23. *Oct.* An. 1677. Vir incomparabilis memoriæ, quidquid legit, memoriter reddidit. Divini humaniſque juris ſcientiâ, ac omnigenæ eruditionis ſplendore illuſtris. Rexit Epiſcopatum Annis *viginti*, *&* *uno*. Obiît piè in Domino. *Chraſtii* die 3. *April.* An. 1698. ſepultus in Eccleſia *Podlaczieczenſi*, quam ex fundamentis cum fundatione perpetua Altaris erexit.

Quartus. GODEFRIDUS, Baro *Kapaun* de *Svvoykovva*, SS. Theologiæ Doctor, ex Archi-Diacono *Crumlovienſi*, Epiſcopus quartus *Reginæ - Hradecenſis*, nominatus An. 1698. Confirmatus ab *Innocentio XII.* An. 1699. 15. *Cal. Jun.* Conſecratus die 28. *Jun.* Intronizatus *ult. Auguſti* eodem Annô. Vir gravis & prudens, ac plurium annorum in vinea Domini exantlatorum laborum meritis ubique commendatus. Obiît *Chraſtii* die 19. *Novembr.* An. 1701. ſepultus in crypta Epiſcopali *Reginæ-Hradecii.*

Quintus. TOBIAS JOANNES BEKER, SS. Theologiæ Baccalaureus & *S. Metropolit. Eccleſiæ Pragenſis* Scholaſticus. nominatus An. 1701. die 24. *Novembr.* confirmatus à *Clemente XI.* An. 1702. 3. *Non. Aprilis.* Conſecratus *Litomericii* Dominicâ *Cantate*, quæ erat 14. *May*, & die 27. ejuſdem anno eodem intronizatus. Vir gravis, & devotus, doctus, ſobrius, in Eccleſiaſticis functionibus apprimè verſatus, viginti & unô annô munere Concionatoris in Eccleſia Metropolitana, ac editione plurium librorum egregiè conſpicuus, magnus Cultor *S. Joannis Nepomuceni*, ad cujus ſepulchrum marmoreum mauſolæum ſplendido opere Annô 1692. conſtruxit. Cæpit ædificare *reſidentiam Epiſcopalem*, *Seminarium* Alumnorum & Eccleſiam *Chraſtenſem.* totam Diœceſim perſonaliter viſitavit. Fundavit monaſterium *Ordinis Servorum B. M. V. Grulichii.* Demum An. 1710. die 11. *Septembr. Reginæ-Hradecii* piè ad Dominum migravit ſepultus ibidem in crypta Epiſcopali.

Sextus. JOANNES ADAMUS, Comes *Wratislavv* de *Mitrovvicz*, Regiæ & exemptæ Eccleſiæ collegiatæ *Wiſſehradenſis* Præpoſitus, *S. Metropol. Eccleſiæ* Prælatus Scholaſticus, nominatus à *Joſepho I. Imp. &* *Bojemiæ* Rege An. 1710. die 12. *Nov.* Confirmatus à *Clemente XI. ſum. Pontifice.* An. 1711. 4. *Id. May.* Conſecratus ab Eminentiſſimo *Cardinali Chriſtiano Auguſto de Saxonia Archiepiſcopo Strigonienſi* die 14. *Jun.* intronizatus pridie Feſti *B. M. V.* naſcentis quæ erat 7. *Septembr.* eodem Anno. Magno zelo Epiſcopatum rexit, Parochias auxit, Epiſcopalem reſidentiam, Eccleſiam Chraſtenſem & presbyterorum ſeminarium ab Anteceſſore inchoata ædificiô complevit. Cantum quotidianum horarum Canonicarum juxta *ritum Cathedralem* fundatis ad id in ſeminario Presbyteris introduxit. Primam in Regno Bojemiæ Eccleſiam *S. Clementis Papæ & Martyris Reginæ-Hradecii* hactenus deſolatam ſplendidè reſtauravit. Primam quoque in honorem *S. Joannis Nepomuceni* in eodem Regno Eccleſiam ab Anteceſſore ſuo ad ſeminarium Epiſcopale *Reginæ - Hradecii* inchoatam exædificavit & conſecravit. Templum *S. Martini Epiſc.* in

in *Chraſſicz* à fundamentis excitavit & unà cum *Chraſtenſi* & *Podlaczkczenſi* conſecravit. Tandem ad Epiſcopatum *Litomericenſem* An. 1721. *octavo Cal. Octobris*, ut & ibi optimi Præſulis virtutibus præfulgeat, translatus.

Septimus. WENCESLAUS FRANCISCUS CAROLUS KOSSINSKY *Liber Baro de Koſſchin*, Canonicus Olomucenſis ab Auguſtiſſimo Imperatore *Carolo VI.* nominatus, & ab *Innocentio XIII. ſum. Pontif. Anno I. Pontificatûs* confirmatus, die 8. *Febr.* An. 1722. *Olomucii* ab *Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino*, *Domino Suffraganeo Olomucenſi Comite à Breida* in aſſiſtentia *Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Comitis à Thurn*, Canonici Olomucenſis, ac *Reverendiſſimi Domini Præpoſiti omnium Sanctorum Ord. Canon. Regul. Lateranenſ.* conſecratus, ac eodem anno die *S. Wenceslai* Patroni Regni *Regino-Hradecii* ſolemni ritu intronizatus. Obiit *Chraſtii* die 26. *Martii* An. 1731.

Octavus. MAURITIUS ADOLPHUS, DEI & S. Apoſtolicæ ſedis Gratiâ, Epiſcopus *Regino-Hradecenſis Dux Saxoniæ*, *Juliæ*, *Cliviæ*, *Montium*, *Angariæ* & *Weſtphaliæ*, Landgravius *Thuringiæ*, Marchio *Miſniæ*, ſuperioris & inferioris *Luſatiae* Comes, Princeps *Henneburgenſis*, Comes *Marchiae Rabenspurgi*, & *Barby*, Dominus in *Rabenſtein.* Ordinis *Polonici* Albæ Aquilæ Eques, Præpoſitus *Vetero-Oetingae*, Decanus Illuſtris Eccleſiæ ad *S. Gereonem*, Metropolitanæ Electoralis Eccleſiæ *Colonienſis*, & Cathedralis *Leodienſis* Canonicus. Translatus ad Eccleſiam Cathedralem Litomericenſem.

Nonus. JOANNES JOSEPHUS, S. R. I. Comes *Wratislavv* de *Mitrovvicz*, S. Cæſ. Regiæ Catholicæque Majeſtatis Prælatus domeſticus, Regiæ Capellæ omnium Sanctorum in Caſtro *Pragenſi* Præpoſitus, Eccleſiæ *Olomucenſis* Canonicus, nominatus Epiſcopus *Regino-Hradecenſis.*

Palatium vetus. Id palatium extruxiſſe primitùs fertur *Krzezomyslus.* *Krzezomyslus Princeps* (ait „Stransky Rep. Boj. cap. 2. fol. 17.) „extructâ intra Urbis Pragenæ muros verſus orientem magnificâ corte, frequens ipſe quoque, ut & „poſt eum Principes plerique omnes, usque ad Wladislai II. tempora eam incolebant.„ Videtur tamen *Stransky* confundere palatium regium *laetam curiam*, & *Tein* dictum cum altero palatio, poſt lætam Curiam à *Boleslao ſaevo* erectum; nam in poſteriori, non priori *Wladislaus II.* habitavit. Ideò notandum, quòd *Borzivvogius* quidem primus Chriſtianus Dux in *laeta Curia* vulgo *Tein* dicta reſederit, ac eam etiam magnifico templo *B. M. Virginis* exornaverit, Anteceſſores quoque & Succeſſores ibidem habitaverint, poſteaquam verò *Boleslaus Saevus* è regione *aulae Teinenſis* ad confinia portæ *Boleslavienſis* aliam ædem ducalem extruxiſſet, & ibi frequens egiſſet, prior Teinenſis partim Eccleſiæ, partim aliis ſtructuris collectationum Regiarum vulgò *Ungelt* dictarum ſenſim ceſſerit. Narrat rem „Hagekus: „Annô 944. placuit Boleslao Duci „habitare Pragæ, ideò Aula Teinenſi reparata è regione ejus propè „portam Boleslavienſem magnificam domum excitavit, & licèt „Pragenſes præſentiam ducis formidantes primò renuerint, dein tamen gratia victi opus complêrunt.„ In hoc palatio poſt *Boleslaum* habitaverunt Duces & Reges plerique, præterquam, quòd diſtractionis gratiâ quidam ſubinde in *Wiſſehrado*, aut in Caſtro *S. Wenceslai* velut *Carolus IV.* ſubſtiterint. Nam & tribunalia & judicia terræ hîc fiebant. Moris erat Regii poſt coronationem ex Eccleſia *S. Viti* ſub corona huc vehi, aut equitare. An. 1437.

1437. die 11. *Febr. Barbara Cilia Sigiſmundi Rom. Imp. Hungariæ Boemiæque* Regis conjux ſecunda, coronata in *Eccleſia Pragenſi* à *Philiberto Præſule Conſtantienſi*, ſub diademate Regio magnificè vecta ad aulam urbis majo„ris. Welesl. 5. Id. Febr. Lupac. „Hagek: Anno eodem die 23. „Auguſti Sigismundus ingreſſus „Pragam (Lupac. 10. Kal. Sept. „à ſtatibus Regni excipitur honori„ficè, divertit in curiam Regiam ſi„tam in majori urbe Pragenſi, quæ „quondam fuit nuncupata domus „Hanconis:„ id eſt *Joannis*.

Anno 1453. die 24. *Octobr. Ladislaus* Rex poſt ſolemnia coronationis ex caſtro Pragenſi diademate redimitus ad eandem *Aulam* equitat, & miſſilia in populum ſpargi mandat *Beczkovvsky Chron. Boj. cap.* 59. Hic diem itidem ſupremam à *Georgio* venenô ſublatus *Cruger ad* 3. *Febr.* clauſit. *Mortuus eſt Ladislaus* (verba ſunt *Cochlæi Hiſt. Huſ. lib.* 11. *fol.* 405.) „Pragæ non in arce, ſed in antiqua „civitate, in domo Regia ad S. Be„nedictum in Feſto S. Clementis „ſub veſperam die 23. Novembr. „quæ eſt IX. Calendas Decembris.

Georgius Rex conſtantem hic loci habitationem tenuit An. 1470. *Georgius Rex* (narrat Hagekus) „ pluri„ribus diebus ſubtriſtis, & animo „anguſtiatus ad hypocauſtum viri„de Aulæ Regiæ in urbe majori, quod „ſuper foſſa monaſterium S. Ambro„ſii diſcalceatorum reſpicit, Regni „proceres convocans &c.„ etiam hìc mortuus die 22. *Mart.* An. 1471. *Zidek in lib. conſil.* Celebris illa diſputatio de myſteriis fidei catholicæ ab *Hilario Decano Pragenſi*, & *Krzizanovvio* Canonico contra *Joannem Rokiczanam* in eodem loco habita *Peſſ. in phoſph. Rad.* 3. *fol.* 263.

Wladislaus Rex Bojemiæ poſt coronationis actum in Eccleſia *S. Viti* celebratum, ingenti magnificentia vectus ad *aulam regalem* cinctus diademate regio *Hagek ad An.* 1471. Ejus tempore An. 1475. ſolida turris è quadro, quæ etiamnum extat, hic ſtructa, ſed à ſeditione populi An. 1483. continuari prohibita. *Hagek fol.* 447. *Welesl. Cal.* 13. *Cal. April.* Dietæ, Regni & Conventus Procerum hìc celebrati. *Welesl. Cal. Non. Octobr.* Demum exciſô ſeditione Pragenæ plebis monaſterio *S. Ambroſii* è regione *aulæ regalis*, *Wladislaus* Rex An. 1484. à factioſis *Huſſi* calice dementatis jaculo petitur. Statim noctu *Moldavam* trajiciens in caſtrum *S. Wenceslai* ſe unà cum tota aula recipit. Manè in Eccleſia *S. Viti* ante Altare DEO de periculo gratias referens, firmiter obteſtatur, ſe nunquam *Pragam* rediturum, quod & ſucceſſores obſervârunt, ac caſtrum *S. Wenceslai* ab eodem *Wladislao* uſui reſtitutum, ac novo ædificii tractu, à Capella Regia *Omnium Sanctorum* usque ad veterem Regiam cum eleganti, & grandi porticu è fundamentis excitato, ſplendidè inauctum (ùt fragmen inſcriptionis in hypocauſto *Tabularum Regiarum* atteſtatur) relicto illo *veteri Palatio* inhabitârunt. Expedito Rege tabulæ Regni An. 1512. cum omnibus tribunalibus, & judiciis ſecutæ ſunt, & illa *domus Regia* per concluſum diætale An. 1556. die 15. *April. Ladislao à Lobkovvicz*, *Mareſchallo* Regni & *Appellationum Præſidi* ad uſus privatos vendita, quam tandem Cardinalis *ab Harrach* in *Collegium Clericorum* juxta *Tridentinam Synodum Seſſ.* 23. *cap.* 18. *de reform.* vertit.

Diploma Regium Caroli IV. cum ſerie Decanorum.

Datum eſt Diploma An. 1366. decernens, nè impoſterum ullus alius ad Canonicatus & præbendas Eccleſiæ *Omnium Sanctorum* Regalis Capellæ in *Caſtro Prageņſi* eligatur, niſi Senior de numero magiſtrorum *Collegii Carolini* Tenor. eſt talis:

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis.

CAROLUS IV. Divinâ favente Clementiâ Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

„Sicuti Divina veritate atteſtante, „nemo ad coronam accipien„dam fuerit immiſſus, niſi, qui le„gitime certaverit, ità operi vir„tuoſo, & legitimè certantibus eſt „corona proponenda, ut in certa„minum laborantes diſcrimine præ„ter meritum retributionis æternæ „& ſperent materialis ſolatii præ„mium: quatenus duplicis retri„butionis officiô certantium corda „ad aſſecutionem præmii præpoſiti „fortius animentur.

„Sanè cùm pridem animô de„liberatô Principum, Baronum, ac „Procerum Regni, & Coronæ Boe„miæ Fidelium Noſtrorum acce„dentes Conſilio quoddam in „Nobili Civitate Noſtra Pragenſi „Collegium fundavimus, & reſtau„ravimus, quod ex Noſtro Nomine, „Authore felicibus auſpiciis Colle„gium Caroli decrevit Noſtra Sere„nitas perpetuis temporibus ap„pellari.

„Quod quidem Collegium do„mo Inhabitationis munivimus, „numero Perſonarum diſtinximus, „officio lecturæ, & ſtudiorum diſtri„buimus, reditibus, & proventi„bus congruis dotavimus, ſicut in li„teris fundationis, & inſtaurationis „hujusmodi pleniùs & expreſſiùs „continetur. Ut igitur Magiſtri, & „Studentes dicti Collegii ſtrenuæ „militiæ laboribus, officia lecturæ, „& ſtudiorum exerceant, Magi„ſtris ipſis, ac & Studentibus dicti „Collegii infrà ſcriptas gratias con„cedendas duximus ſub modis, & „conditionibus, prout inferiùs eſt „expreſſum.

„Primò quidem Authoritate „Regia Boemiæ pro Nobis, Hæredi„bus, ac Succeſſoribus Noſtris „Boemiæ Regibus, & ejusdem Re„gni Corona in perpetuum decerni„mus, & hoc Regio Boemiæ per„petuo ſancimus decretô, QUOD „AD OMNES ET SINGULOS „CANONICATUS, ET PRÆ„BENDAS ECCLESIÆ OMNI„UM SANCTORUM REGALIS „CAPELLÆ IN CASTRO PRA„GENSI NOSTRO, DUM ET „QUOTIES EOSDEM QUOVIS „MODO VACARE CONTIN„GET, NEMO AMPLIUS PRÆ„SENTARI DEBEAT AUTHO„RITATE REGIA BOEMIÆ „PRÆFATA, NISI SENIOR „VACATIONE DE NUMERO „MAGISTRORUM ET STU„DENTIUM DICTI COLLEGII „NOSTRI, quòdque Decanus „ejusdem Eccleſiæ, ad quem inveſti„tura Canonicorum ſpectare di„gnoſceretur, antè ſui approbatio„nem, confirmationem, ſeu quam„vis aſſumptionem tactis ſacroſan„ctis Evangeliis jurare debeat, „nullum penitus ad Canonicatus, „& Præbendas hujusmodi admitte„re, inſtituere, ſeu inveſtire quo„quomodo, niſi eum quem de nu„mero

„mero dicti Collegii juxta formam
„expreſſam ſuperiùs Rex Boemiæ,
„qui pro temporibus fuerit, duxe-
„rit præſentandum, Prælaturis,
„Præpoſiturâ, & Decanatu dunta-
„xat exceptis, quas in conſuetis ſuis
„ab antiquo juribus, & conditioni-
„bus volumus permanere. Atque
„pro uſu & commoda habitatione
„dictorum Magiſtrorum & Studen-
„tium communiter, & diviſim, dum
„Canonicatus & Præbendas hujus-
„modi aſſecuti fuerint, ut eò con-
„ventiùs in Eccleſia dicta Omnium
„Sanctorum Divinis officiis vacare
„poſſint, & valeant, in minore Ci-
„vitate Pragenſi domum, quæ fuit
„aliquando Bohutæ, bonæ recorda-
„tionis quondam Canonici, quæ ſi-
„ta eſt in oppoſito Curiæ Plebani
„Eccleſiæ S. Nicolai dictæ Minoris
„Civitatis Pragenſis ipſis, & eorum
„ſucceſſoribus in perpetuum Au-
„thoritate Regia Boemiæ pro No-
„bis, Hæredibus, & Succeſſoribus
„Noſtris Regni Boemiæ, & ejuſdem
„Regni Corona, animo deliberato,
„ac de Noſtra certa ſcientia damus,
„conferimus & donamus ſub ea
„conditione, ut dum unus, duo,
„vel plures de Collegio Caroli hu-
„juſmodi Canonicatus, & Præben-
„das aſſecuti fuerint, mox alius,
„ſeu alii ſufficientes, & idonei in lo-
„cum illorum aſſumi debeant, ut
„numerus Magiſtrorum & Studen-
„tium dicti Collegii in ſua ſemper
„integitate continuò perſeveret.

„Volumus &, quòd nullus di-
„ctorum Canonicorum ex tunc in
„antea reditibus, fructibus obven-
„tionibus ſuæ Præbendæ gaudeat,
„niſi præſens & actu legens extite-
„rit; dum tamen infirmitate nota-
„bili, & ſeriò etiam fuerit impedi-
„tus, in quibus caſibus deliberatio-
„ne Regiâ infirmitati compatientes
„humanæ, ipſos fructibus & pro-
„ventibus Præbendarum ſuarum
„absque impedimento gaudere vo-
„lumus & potiri. Decernentes,
„& hoc Regiô Boemiæ ſtatuentes
„decretô, quòd præfati Canonici
„ſingulis diebus ſolùm ipſos ſole-
„mnitati Miſſæ Majoris intereſſe
„volumus.

„Nulli ergò omninò homi-
„num liceat hanc Noſtræ Fundatio-
„nis, Inſtaurationis, dotationis,
„collationis, decreti, & inhibitio-
„nis paginam infringere, ſeu ei au-
„ſu temerariô contraire ſub pœna
„mille marcarum auri puriſſimi,
„quos ab eo, qui contra fecerit,
„toties, quoties contrà factum fue-
„rit, irremiſſibiliter exigi volumus,
„& earum medietatem Regali no-
„ſtro Fiſco Boemiæ, reſiduam verò
„partem injuriam paſſorum uſibus
„applicari.

Sigillum
Caroli
IV.

Teſtes: „Rudolphus Dux Sa-
„xoniæ, S. R. I. Mareſchallus.

„Otto, Marchio Brandebur-
„genſis, S.R.I. Archi-Camerarius.

Principes Electores. „Venerabi-
„lis Marquardus S. Aquilegienſis
„Eccleſiæ Patriarcha.

„Joannes Prag. Eccleſiæ Ar-
„chiepiſcopus, Legatus ſedis Apo-
„ſtolicæ.

„Joannes Olomucenſis Impe-
„rialis Aulæ Cancellarius. Lam-
„bertus Spirenſis. Petrus Ulyſſi-
„ponenſis, Apoſtolicæ ſedis Nun-
„tius. Joannes Wormatienſis, &
„& Petrus Curienſis Eccleſiarum
„Epiſcopi. Et alii ſæculares ſub-
„ſcripti.

Capellam omnium Sanctorum primùm excitâſſe fertur *Borzivogius*, primus Chriſtianus Dux. Eam circa Annum 1263. ex perſuaſu *Viti Decani Pragenſis* reſtauravit *D. Czieczo* Judex Regni. De hoc *Continuator Coſmae* ad An. 1271. „Induxit „etiam idem D. Decanus Vitus „Gieczonem Judicem Regni Boje„miæ, ad conſtruendam Eccleſiam „Sanctorum, quæ ſita eſt in exitu „clauſtri, verſus curiam Regalem, „quæ Eccleſia ædificata eſt, procu„rante & conducente lapicidas, & „alios operarios eodem Decano, „usque ad perfectionem operis „prænotati, in qua inſtituti ſunt „duo Presbyteri ad officiandum, „quibus etiam proviſum eſt in agri„culturis, & in dote mobili, & im„mobili, & hominibus cenſualibus, „in duabus villis videlicet Dich„kovv & VViſſin.

An. 1342. *Carolus IV.* adhuc exiſtens *Marchio Moraviae* cum conſenſu ſui Parentis *Joannis Lucemburgii* Regis *Bojemiae*, & *Joannis* à *Dracziczi Epiſcopi Pragenſis* erexit in collegiatam & Regiam Capellam, quam largiſſimè dotavit, eíque multa bona attribuit, & penes illam Præpoſitum, & undecim Canonicos, decémque miniſtros inſtituit, & fundavit. Jus eligendi Canonicos, idque è numero magiſtrorum Carolini, ſibi, ſuíſque ſucceſſoribus Regibus *Bojemiae* reſervavit, & Canonicis licentiam Decanum ſibi vel ex Collegio ſuo, vel extra eligendi conceſſit, quod etiam *Benedictus XII.* & alii Romani Pontifices confirmârunt.

An. 1541. poſt fatale incendium, quo die 2. *Jun.* ante feſta Pentecoſtalia tota Arx & Capella Regia omnium Sanctorum igne abſumpta fuit, Sereniſſima Domina *Eliſabetha Maximiliani II. Imperatoris* filia *Viennae* An. 1554. nata, & Spiræ per *Danielem Archiepiſcopum Moguntinum* An. 1570. *Carolo IX.* Regi Galliarum matrimonio juncta, ſed non plenè completis in conjugio quatuor annis vidua facta, in *Bojemiam* redux, exuſtam hanc Capellam ſumptibus (prout hodie ſpectatur) ſplendidè reædificavit, & ſacra ſuppellectile providit. Munificentiæ teſtem agit exarata tabella: „Sacellum hoc Re„gale omnium Sanctorum An. „1541. 2. Junii, communi hujus „Arcis conflagratione deſtructum, „& per multos Annos in magnum „abuſum redactum, Sereniſſima & „Chriſtianiſſima Domina, Domi„na Eliſabetha DEI Gratia, Galliæ „Regina, Archi-Duciſſa Auſtriæ „pro ſua innata pietate, & zelo erga „DEI gloriam, ejúsque cultum „propagandum An. Domini 1580. „liberaliter, & expeditè longè illu„ſtrius reſtituit, & Reverendiſſimus „Dominus, Dominus Antonius, „Archiepiſcopus Pragenſis legatus „natus eodem Anno, & die S. Bern„ardi ad honorem DEI, B. M. V. & „omnium Sanctorum conſecravit, „diémque annuum dedicationis ſe„quentem Dominicam ſtatuit. Re„verediſſimus Dominus, Dominus „Martinus Archiepiſcopus Pragen„ſis legatus natus An. 1595. die „29. May corpus S. Procopii Abbatis „Confeſſoris & Patroni comitante „S. Cæſ. Maj. Rudolpho II. tota au„la, populíque frequentia ſolemni„ter huc tranſtulit. Reverendiſſi„mus Dominus, Dominus Sbi„gneus Berka Archiepiſcopus Prag. „legatus natus ad inſinuationem Il„luſtriſſimorum Regni Officialium „An. M DↃIc. conſenſit, ut janua „per magnum palatium longô tem„pore concluſa ad excipienda pro „more patriæ juramenta rurſus pa„teſceret, atque organa ad dex„trum latus ſeponerentur. In cu„jus memoriam Reverendus Domi„nus Bartholomæus Flaxius à „Czenkovv hujus Capellæ Decanus „hanc tabulam. F. F.

Præ-

Præpoſitorum & Decanorum quorundam nomina, hinc inde in vetuſtatis marginibus ægrè hærentia collegi ſequentia.

SERIES PRÆPOSITORUM COLLEGIATÆ ECCLESIÆ OMNIUM SANCTORUM IN CASTRO PRAGENSI.

PRimus. Præpoſiti nomine audiit JOANNES OCZKO à *VVlaſſim*, dein An. 1364. *Archiepiſcopus Pragenſis* & primus legatus natus, magnæ apud *Carolum IV.* ac *VVenceslaum* autoritatis.

PETRUS de ROSENBERG, Canonicus Pragenſis profuſiſſimus in res ſacras, & plurium Eccleſiarum, & monaſteriorum reſtaurator & fundator. Obiît An. 1390.

WLACHNICO de WEITMüHLE, Canonicus Pragenſis, circa An. 1394.

JOANNES de PRAGA, dein *Epiſcopus Lithomyſslenſis* An. 1400.

JOANNES de SMILKOW, ad An. 1407.

ZDISLAUS CHRT, Decanus & Præpoſitus. Obiît An. 1414.

ZDENKO de LABAUN, An. 1418.

WENCESLAUS KRZIZANOWSKY ad An. 1462. de eo in theca libri Bibliothecæ „Capituli „Pragenſis: Doctor VVenceslaus „de Krzizanovv, Præpoſitus omnium Sanctorum in caſtro Pragenſi, „Prædicator Eccleſiæ Pragenſis „hunc librum propriâ manu „ſcripſit, & legavit Eccleſiæ Pragenſi.

JOANNES AUTERI, SS. Theologiæ Magiſter, Canonicus Pragenſis An. 1492.

SIMON FLAGELLUS VILLATICUS, Archi-Diaconus Pragenſis, & Præpoſitus *omnium Sanctorum*, Decanus *VViſſehradenſis*, Poëta Laureatus. Inter ejus opuſcula, quorum meminit *Gesnerus in Bibliotheca*, eſt *liber hymnorum*, & inter alios etiam hymnus de *S. Joanne Nepomuceno*.

Inter tot celebres, Czechia quos colit
Patronos, minimus non celebraberis
Votis Jane ſacer Presbyter optime
Prognate è Nepomucio.

Typis excuſ. *Lipſiæ* An. 1538. quem hymnum *Georgius Bartholdus Paritanus* inter ſuos hymnos *Joanni Adamo Archiepiſcopo Moguntino* dedicatos, & *Pragæ* in officina *Nicolai Straus* An. 1602. typis datos, retuliſſe dicitur. Liber Epigrammatum ad *Ferdinandum I.* typis editus eſt *Pragæ* in officina *Joannis Colubri* An. 1545. Alius liber Epigrammatum ad *Joannem ſeniorem Hodieiovvsky ab Hodieiovva* manuſcriptus extat in Bibliotheca *Capituli Pragenſis*. Obiît An. 1549.

MARTINUS ad An. 1542.

LUCAS PROTIVA, Baro de *Sſvvihovv* An. 1547.

JOANNES PRZEFTICZKY, Canonicus Pragenſis An. 1565.

FELIX à LINDA, Archidiaconus Pragenſis, Præpoſitus Wiſſehradenſis. Circà An. 1579.

BALTHASAR REICHENBACHER,

CHER, Sacriſtanus *Eccleſiæ Pragenſis* per viginti quatuor annos, *Præpoſitus Regiæ Capellæ in Caſtro Pragenſi*, & Parochus ad *S. Benedictum* in *Hradczano*, obiît die 29. *Jul.* An. 1606.

GEORGIUS HIRSBERGER, Archidiaconus, & Concionator *Eccleſiæ Pragenſis* ad An. 1616. obiît die 7, *Novembr.* An. 1631.

DANIEL HESSELIUS CETUINGER, Pragenſis Scholaſticus, & Canonicus Brunenſis An. 1632.

MARTINUS MäNNER, Canonicus Pragenſis, obiît *Ponti* An. 1669. die 23. *Januar.* in ſua domo, & ſepultus ad *S. Annam* in crypta, quam ædificavit, eandémque Eccleſiam hæredem inſtituit. Vir ſingulari devotione præditus, ſemper media nocte ſurgens, & per duas horas DEUM orans.

JOANNES FRANCISCUS, Baro de *Tallmberg*, in Univerſitate Pragenſi J. U. Doctor, Canonicus Pragenſis, dein *Epiſcopus Reginæ-Hradecenſis.* A *Clemente X. ſum. Pontif.* obtinuit bullam: *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Annô Incarn. Dom.* 1672. *Sept. Id. Jan. Pontificatûs An.* 3. qua pro ſe, ac ſucceſſoribus ſuis Præpoſitis *omnium Sanctorum* uſum *mitræ* & *Pontificalium* impetrat. Quam in originali membraneo è manibus privatis miro caſu vindicatam ad Capituli omnium Sanctorum Archivum An. 1732. reſtitui. Præbendam etiam Præpoſitalem aſſignatis 15000. *florenis* è Paterna ſua legitima peregregiè auxit. Obiît *Chraſtii* die 3. *April.* An. 1698.

JOANNES JACOBUS, Baro à *Tallmberg*, obiît An. 1702.

ADAMUS IGNATIUS MLADOTA de *Solopisk*, Eccleſiæ Pragenſis Decanus, obiît die 17. *Oct.* An. 1708.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſi-„ mus Dominus, Dominus Joannes „ Adamus, S. R. I. Comes Wratis-„ lavv de Mitrovvicz, Eccleſiæ Pra-„ genſis Prælatus Scholaſticus *vetero Boleslavienſis* Præpoſitus, ac Canonicus *Olomucenſis* poſt ſecutam ad Præpoſituram *Wiſſehradenſem* An. 1709. promotionem ſucceſſit.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſi-„ mus Dominus, Dominus Michael „ Fridericus, S. R. I. Comes ab Al-„ than, „ Baro de *Goldburg*, & *Murſtaden*, *Olomucenſis* & *Wratislavienſis* Canonicus, Nunc „ Eminen-„ tiſſimus S. R. E. Tit. S. Sabinæ „ Presbyter Cardinalis, & Epiſcopus „ Vacienſis S. Cæſ. Regiæque Cath. „ Maj. Actualis Intimus Conſiliarius, „ Comprotector Germaniæ, Re-„ gnorúmque ac Provinciarum Hæ-„ reditariarum Auguſtiſſimæ domûs „ Auſtriacæ, „ in Alma Univerſitate *Carolo Ferdinandea Pragenſi*, SS. Theologiæ Doctor, Abbas *S. Petri Tapolczæ* in *Hungaria*, Antiquiſſimæ Eccleſiæ Collegiatæ ad *SS. Coſmam*, & *Damianum Vetero-Boleslaviæ* in Regno *Bohemiæ* Præpoſitus. Poſt reſignationem ſuæ *Reverendiſſimæ Eminentiæ* deſignatus An. 1719.

„ Illuſtriſſimus & Reverendiſſi-„ mus Dominus, Dominus Joſe-„ phus, S. R. I. Comes Wratislavv „ de Mitrovvicz, Eccleſiæ Olo-„ mucenſis Canonicus „ Capellæ Regalis ad *omnes Sanctos* in caſtro Pragenſi Præpoſitus.

SERIES DECANORUM ECCLESIÆ COLLEGIATÆ OMNIUM SANCTORUM.

SEriem Decanorum itidem abſolutam dare non poſſum, potiſſimùm è Capitulo Metropolitano ad id munus adlegabantur. Primus Decani nomine invenitur

FRAN-

FRANCISCUS, Canonicus Pragenſis circa An. 1363.

ULRICUS à SULTZBACH, Canonicus Pragenſis,& Decanus omnium Sanctorum circà An. 1375. invenitur in eo munio adhuc vixiſſe An. 1381. die 13. *Octobr.*

S. Joannes Nepomucenus, Canonicus Pragenſis, & Decanus omnium Sanctorum Martyrio affectus An. 1383. Canonici eodem Martyrii annô, & *S. Joanni Nepomuceno* conviventes in Capella Regia omnium Sanctorum erant ſequentes: *Fridmannus de Praga*, Magiſter in Theologia, *Tilmannus de Caſſele*, *Joannes Marienvverde*, Baccalaurei formati in Theologia, *Lupus de Straʒni*, Magiſter in Artibus, *Menſo de Bekhauſen*, *Nicolaus de Gubin*, *Conradus de Zoltau*, Baccalaurei Formati in Theologia, Matthæus de Cracovia Magiſter in Theologia Profeſſores in *Univerſitate Carolina Pragenſi*, &Canonici Capellæ Regiæ omnium Sanctorum in Caſtro *Pragenſi lib. 2. Erect. A. 4.*

BLASIUS dictus *Lupus* An. 1398.

ZDISLAUS CHRT, Decanus,& Præpoſitus, ac Canonicus Pragenſis An. 1407.

STEPHANUS de STANKAW, Magiſter in artibus, Canonicus Pragenſis An. 1418.

GEORGIUS de PRAGA, Magiſter in artibus, Canon. Prag. A. 1444.

HILARIUS à LITOMERICZ, Decretorum Doctor, Pragenſis Eccleſiæ Decanus Cancellariæ Regalis in *Bojemia* Proto-Notarius, & Archiepiſcopatûs Adminiſtrator. Obiit An. 1468. Subſcriptum legi in privilegio pagi *Stadicʒ à Georgio* Rege tribus ruſticis conceſſo velut: *Dat. Pragae die 21. Aprilis An. Dom. 1460. Regni noſtri An. II. Ad mandatum Domini Regis*

Hilarius, Decanus OO. SS. Pragenſis.

JOANNES RACZEK de PRAGA. In membr. Brev. Bibl. Capit. „ Anno „Domini 1489. in die S. Sylveſtri „hora Completorii obiit Dominus „Joannes Raczek de Praga Decanus „Capellæ omnium Sanctorum, & „Canonicus Pragenſis, ſepultus an„te S. Sigismundum.

BLASIUS de PLANA, Canonicus Pragenſis Annô 1499.

NICOLAUS HAUSKA, J. U. Doctor, Scholaſticus Pragenſis, & Archiepiſcopatûs Adminiſtrator, An. 1524.

LUCAS BROTIVA, Liber Baro de *Sſvvihovv* An. 1545.

JACOBUS PLZENSKY, Anno 1556.

SIGISMUNDUS CROCOTIUS, Archidiaconus Pragenſis. An. 1576.

PAULUS, An. 1577.

BENEDICTUS de CHYSS, Canonicus Pragenſis, & Præpoſitus Wiſſehradenſis An. 1579.

BARTHOLOMÆUS FLAXIUS, Archidiaconus Pragenſis An. 1596.

CHRISTOPHORUS MILLEDERUS, Archidiaconus Pragenſis An. 1603.

JOSEPHUS MACARIUS, SS. Theologiæ Doctor, Decanus Eccleſiæ Pragenſis An. 1612.

ELIAS KOLBIUS, Præpoſitus Eccleſiæ Pragenſis An. 1635.

GEORGIUS NEFESTIN, Eminentiſſimi *Cardinalis ab Harrach* Secretarius An. 1642.

CHRISTOPHORUS REINHELD, Decanus Eccleſiæ Pragenſis An. 1653.

GODE-

GODEFRIDUS ALOYSIUS KINNER, An. 1665. Fuit hic priùs à Canonicatu *Pragenſi*, quem optimè merebatur, factione quorundam eruditioni ejus invidentium, prohibitus. Sepultus è fronte ingreſſûs ad Capellam *S. Adalberti Eccleſiæ Pragenſis*, ubi ante jacta ibi fundamenta novæ partis Eccleſiæ in marmore legebatur:

Pax tecum Viator
Hanc tibi optat DEI
Godefridus Kinner
à Leventhurn Decanus Eccleſiæ
omnium Sanctorum
Archimedes ſui ſæculi
Philoſophiæ, J. U. & Theologiæ
Doctor
Caroli Joſephi Archi-Ducis Auſtriæ
Præceptor
Hic in pace dormiens, ibi in Eccleſia
omnium Sanctorum reverenter
vivens, jam verus Decanus
ad omnes Sanctos.
MDCLXX. in Martio Die XIX.

WENCESLAUS BILER, SS. Theologiæ Doctor, Decanus Eccleſiæ Pragenſis, ædificavit reſidentiam decanalem ad omnes Sanctos An. 1670. Obiît 20. *Aug.* An. 1704.

MATHIAS JOSEPHUS Fiſcher, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus *Litomericenſis* & *Regino-Hradecenſis* An. 1704. obiît die 18. *Martii* An. 1709.

Reverendiſſimus ac Perilluſtris Dominus Joannes Adamus de Widman. An. 1709.

Autores fatigavêre ſcribendo. Non eſt equidem hìc mei inſtituti *Wenceslai* delidioſam vitam deſcribere, quam Autores penè innumeri etiam coetanei ſatis ſupérque depinxêre. Id tamen in teſtimonium adductorum conducere viſum, quorundam & potiſſimè probatorum de eo ſententias referre, dicente *Tacito Annal. lib.* 3. *n.* 65. „Exequi „ſententias, haud inſtitui, niſì inſignes per honeſtum, aut notabili „decore: quod præcipuum munus „annalium reor, nè virtutes ſileantur, utque pravis dictis factiſque „ex poſteritate, & infamia metus „ſit.

Juvat præmittere diſtinctionem de nomine *Wenceslai*; quidam dicunt *Wenceslaum quartum*, quidam ſextum, quod inde venire notandum eſt. Qui vocant *Wenceslaum ſextum* computum ordiuntur à *Wenceslao ſancto* conſtituentes primum inter Bojemiæ Principes nomine *Wenceslaum*, *S. Wenceslaum* Patronum *Regni*. *Secundum*, *Wenceslaum* Principem Bojemiæ *trigeſimum quartum*. *Tertium*, *Wenceslaum Regem*

Bojemiæ quartum cognomine *Monoculum.* *Quartum* *Wenceslaum* Bojemiæ Regem *ſextum* cognomine *pium.* *Quintum* *Wenceslaum* *Regem* Bojemiæ *ſeptimum* occiſum *Olomucii.* *Sextum* demum *Wenceslaum* *Regem* *Bojemiæ* cognomine *pigrum.* Priores, qui *Wenceslaum quartum* appellant omiſſis *VVenceslao ſancto*, & *VVenceslao* Principe *Bojemiæ trigeſimo quarto*, rationem numerandi inchoant à *VVenceslao Monocolo*, qui ex Principibus *Bojemiæ* primus fuit *Rex* ejus nominis; *quartus* autem *Regia* dignitate. Nunc in viam. Duplicis ſunt claſſis Autores, *VVenceslai pigri* vitam attingentes. Quidam vitioſa facta candidè narrantes, quidam extenuantes. Priores ſunt *Catholici*, poſteriores *hæretici.* Audiamus ergò, quantùm colligere licuit, priùs ultimos. Profeſſores ſectæ *Huſſiticæ* in *Academia Pragenſi* ad quamvis Philoſophicam promotionem præmittere ſolebant, ùti *cap. 4.* inſinuari, panegyrim de laudibus *VVenceslai pigri*, & programmatis eam vulgabant. Ab illo videlicet habebant, & pluralitatem votorum in collegio & ſectæ ſuæ augmentum per deſidiam. Ideò celebrant illum ùt ſingularem *Patronum.* *Facultas Philoſophica* (ait M. *Nicolaus Troilus Acad. Prag. Pro-Rector* in program. An. 1612. apud *Mathiam Giczinczky*) *candidatis honorem primum in Philoſophia die proximo jovis hora* 14. *præmiſsâ oratione de Sereniſſimo Bojemiæ Rege VVenceslao ejus nominis IV. quem aliæ nationes ignavum ſinè ejus merito vocant, per me conferre decrevit.*

In CRONICA GERMANICA edita *VVittenbergæ* typis *Petri Seiczen* An. 1534. mala facinora *VVenceslai* omnia reticentur, in vicem narrantur indifferentia. Anni 1383. & 1393. quibus ſubmerſit *S. Joannem Nepomucenum*, & poſtea *Joannem Vicarium Generalem*, penitus omittuntur, cùm tamen alii anni omnes ponantur.

PROCOPIUS LUPACIUS Huſſita malos *VVenceslai* mores per relationem ad alios extenuat. Die 20. *Aug.* An. 1399. *VVenceslao Cæſari, quòd ferretur non ſatis ſuo facere officio, à Proceribus abrogatur Imperium. Calend. Hiſt.* 13. *Cal. Auguſti.*

PAULUS STRANSKY Pikardita in Germanos pro more ſuo quaſi calumniantes improbitatem rejicit. „ Ignavum quidem ipſum (VVenceslaum) vocant Germani, ſed „ quæ pro republica egit nonnulla, „ non ſolùm hominis haudquaquam „ ignavi ſunt, verùm &, ſi à vino „ temperâſſet, judiciô ipſum *Regibus* aliquot Germanis præſtitiſſe „ non obſcurè innuunt. „ Ità denique paſſim *Huſſitæ*, ac fermento eorum ſuccedentes recentiores Hæretici *VVenceslai* malos mores excuſare & extenuare nituntur. Verùm econtra ſunt Autores penè innumeri patrii, æquè ac exteri, etiam coetanei, qui vitia *VVenceslai* poſteritati in dehortamentum genuinè depromunt.

1. S. ANTONINUS, Ord. Prædicat. *Archiepiſcopus Florentinus*, qui obiît die VI. Non. May An. 1459. *Part. Tert. Hiſtor. Tit.* 22. *cap.* 3. §. 34. „ Carolus Imperator filios reliquit „ duos, VVenceslaum, & Sigis„ mundum, Wenceslaum, qui erat „ major natu ante obitum ſuum Cæ„ ſarem appellavit, ac ſucceſſorem „ ſibi in imperio delegit. Eidem „ quoque regnum *Boemiæ* per ma„ nus tradidit. Mortuô igitur Caro„ lô, cùm principatum multos per „ annos VVenceslaus tenuiſſet, nul„ láque illius actio cerneretur prin„ cipatu digna, cùm neque in Ita„ liam tranſire, neque cætera Impe„ rii munera obire curaret, duæque „ tantummodo artes illius circum„ ferrentur. Una voluptatibus ſe de„ dere, altera cumulationi pecu„ niarum intendere, cætera verò „ omnia negligere, ſegnitérque, ac „ diſſolutè ſe gerere, ea cùm diutius „ face-

„ faceret, ac nomen, autoritáſque „ Romani Imperii in illo deperiret; „ Electores Imperii his rebus permo- „ ti, de conſenſu ac conſilio alio- „ rum procerum, illo antiquato, ac „ remoto, Robertum Bavariæ Du- „ cum magnæ rei virum, magnæque „ autoritatis ad imperium delege- „ runt. „ Hæc S. Antonin. cui additur

CRONICUM ANTIQUUM deſcribens ætates mundi, impreſſum *Norimbergæ* An. 1493. *X. Cal. Junii* ætat. ſexta *fol.* 233. „ Wenceslaus „ vinô cibóque marcens, lucem „ dormiendo nocti conjungens, ab „ Electoribus Imperii comprobante „ Romano Pontifice Imperio deje- „ ctus, domi torpens illaudatum „ egit ævum.

2. ÆNEAS SYLVIUS, qui & *Pius II. Pontifex* in *chron. Bojem.* ad *Alphonſum* Regem *Arogonum. cap.* 28.

„ Wenceslaus deſidia corru- „ ptus, præſenti rerum ſtatu con- „ tentus, neque præterita corrigere, „ neque futura curavit præcavere. „ Fuit enim VVenceslaus longè Pa- „ tri abſimilis, voluptatum ſequax, „ ac laboris refugiens, vini prorſus, „ quàm regni curioſior.

3. VVERNERUS ROLEVVINK de LAER, *Ord. Carthuſianorum Coloniæ Agripinæ* vixit adhuc annô 1494. *in faſciculo temporum ætat. ſext.* „ Iſte VVenceslaus filius præ- „ dicti Caroli Regis Bojemiæ, & ad- „ huc patre vivente electus eſt in Re- „ gem, cum adhuc puer eſſet, ſed „ non curavit de imperio: & ideò „ poſt multas admonitiones depoſi- „ tus fuit. Nobilem ejus indolem „ libidinoſa vita polluit, & fuit finis „ ejus ſinè honore, nimis enim de- „ neger erat à moribus, & virtutibus „ ſui genitoris, nec unquam Impe- „ riali diademate coronatus eſt.

4. JOANNES COCHLÆUS, Capituli *VVratislavienſis* Decanus, *Lutheri* malleus orbi, literato notiſſimus *Hiſtor. Huſſit. lib.* 4. *fol.* 168. „ Ex „ his facilè intelligit prudens lector, „ quanta fuerit in Bojemia religionis „ turbatio, & omnium ordinum, ac „ ſtatuum diſcordia, ſub ignavo „ Rege VVenceslao, qui inerti ſo- „ cordia ſtertens, principiis tanti „ mali non obſtitit, ſecta verò jam „ prævalente obſtare ampliùs non „ potuit. Fecerunt ergò ſub eo „ Huſſitæ, quidquid libuit facere, col- „ ligaverunt ſeſe novis fœderibus, „ de quibus arguit eos (ùt ſupra re- „ latum eſt) Sigismundus Cæſar. „ Expulerunt de beneficiis Eccleſia- „ ſticis Presbyteros Catholicos, ac „ ſuos intruſerunt pro illis, proſcri- „ pſerunt, & extorres egerunt mul- „ tos egregios Viros, Prælatos, & Do- „ ctores, quicunque adverſùs Joan- „ nem Hus, & complices ejus ege- „ rant, vel in curia Romana, vel in „ Concilio Conſtantienſi. Quod „ ſi licuit eis Metropolitanam Eccle- „ ſiam Pragenſem (quæ in medio „ Arcis poſita undique circum mu- „ nita eſt) theſauris & reliquiis ſpo- „ liare, quid obſecro in aliis templis „ & monaſteriis ab eis tutum eſſe „ potuit?

Et eodem *lib. fol.* 176. „ Hic „ eſt exitus VVenceslai Regis Boje- „ morum duodecimi, ſtirpis quidem „ nobiliſſimæ, ſed ignobiliſſimæ vitæ „ De quo poſſis illud Saluſtii dicere. „ Ventri atque ſomno deditus, in- „ doctus, atque incultus, vitam ſi- „ cuti peregrinans tranſegit. Cui „ ſanè contra naturam corpus volu- „ ptati, anima oneri fuit, cujus & „ vitam mortémque juxta æſtimare „ queas. In vetuſto quodam codi- „ ce de eo ſcriptum reperio, quod „ juſſerit cocum quendam, qui ſibi „ cibum petenti denegaverat, veru „ transfigi, & in modum aſſaturæ tor- „ reri, quemdam verò ſacræ Theo- „ logiæ Doctorem (*Janconem videlicet Vicarium Generalem*) ſubmergi eò

„ quod

„ quòd dixerit, eum Regis nomine „dignum eſſe, qui benè regnaret. „Verùm hæc crudelia videntur. „Additur in eodem libro, quòd „canem quemdam habuerit ſibi „charum & pretioſum, ob id ma„ximè, quia mordendo invaderet, „quemcunque ille digito demon„ſtraret. Et quòd Lictorem ſem„per ad latus habuerit, ut aliis timo„rem incuteret, quem & compa„trem ſuum vocaverit, eò quòd le„vâſſet ei puerum de baptiſmo. An „hæc vera ſint,neſcio, parva tamen, „& levia videntur præ maximis, & „graviſſimis malis, quæ per ejus „ignaviam inclytum Regnum (quod „ipſe à Patre florentiſſimum acce„perat) invaſerunt, hæreſes, ſedi„tiones, ſacrilegia, bella, cædes, „& quid non? Certè unicum illud „malum (quod tamen præ cæteris „parvum videri queat) deſolatio „celeberrimæ Univerſitatis ſtudii „Pragenſis odioſum ſatis ad poſte„ros nomen ejus redderet. Quam„vis gravior longè fuerit culpa circa „illud malum Joannis Huſs, quàm „Regis, quem ille malitioſè dece„pit. Ea tamen fuit Rex iſte gene„roſitate animi, ut à priſca fide & „religione majorum ſuorum nullis „potuerit hæreticorum technis, & „machinationibus averti. Mor„tuus eſt autem An. Dom. 1419. „die 16. menſis Auguſti. „ hæc *Cochl.* Cui addo CUSPINIANUM. „ Sterilis erat (nempe Sophia) & „ nullam genuit ex VVenceslao pro„lem, ſicut nec prima Uxor Joanna, „quæ pariter infœcunda nihil po„tuit generare ex hoc teterrimo „monſtro. Fatis ità fortaſsè volen„tibus, quandoquidem, ſi prolem „protuliſſet virilem, fortaſſe uni„verſa Chriſtiana periclitata fuiſſet „religio. „ Hæc *Cuſpin. in VVencesl.* & finit:

VVenceslaus iners Epicurus de grege porcus,
A patris penitus ſanguine degenerat,
Imperium tenuit, regnum fœdavit avitum,
Attonitus tandem, ceu fera fœta cadit.

5. JACOBUS PICOLOMINEUS, „Cardinalis Papienſis lib. 6. „Regnum tenebat eo tempore „VVenceslaus Caroli Cæſaris filius, „publicorum omnium negligens, „atque ità voluptatibus deditus, ut „de paranda tantùm menſa illi eſſent „conſilia.

6. JOANNES EKIUS, SS. Theologiæ Doctor, qui primus *Lutherum* publicâ diſputatione confutavit, ac Catholicam fidem contra novas hæreſes in Germania Herculeè propugnavit, in egregio illo opere contra *Lutherum præfat.* ad *Carolum V.* *Niſi enim fuiſſet VVenceslai Regis deſidia, Bohemiam non haberemus ab unitate Eccleſiæ diviſam.*

7. FLOREMUNDUS RÆMUNDUS, V.CL. olim Conſiliarius *Regis Galliarum* in præclara illa hæreſum noſtri temporis hiſtoria *lib. 4. cap. 3. n. 3.*

„ Alexander V. qui tum ſe„dem Pontificiam tenebat, ubi de „miſerabili ſtatu Bojemiæ cogno„vit, pro ea, qua pro Chriſti grege „excubabat ſollicitudine Huſſium „Romam ad dicendam cauſam ci„tavit. Idem deinde fecit ejus ſuc„ceſſor, qui inſuper ad VVences„laum Regem vehementer affectuo„ſam ſcripſit epiſtolam, monens, ut „malo in Regno ipſius gliſcenti tem„peſtivè occurreret. Hanc verò ad„monitionem VVenceslaus non „majoris fecit, quàm Præficæ næni„am, ut qui dies noctéſque conti„nuis commeſſationibus exigeret, „ nec quidquam aliud curæ haberet, „ quàm ut menſa opiparis ferculis, & „ bono vino eſſet inſtructa, iis, quo„rum cerebella & delicatiora mem„bra quotidie commedebat ani-

„ mantibus perſimilis, de præſenti- „ bus æque, ac præteritis, & de fu- „ turis, ac de præſentibus parùm ſol- „ licitus, adeò ut tanquam alter „ Vitellius etiam Regem ſe eſſe obli- „ viſceretur, niſi ſubditorum mo- „ deſtia ei memoriam ſubjiceret. „ Summum illi bonum venter erat, „ & acceptiſſimus, qui novam ad „ irritandam vel explendam gulam „ potius voluptatem inveniſſet. Fe- „ runt, cùm aliquando prandium „ non ità, utì juſſerat, offendiſſet, „ juſſiſſe miniſtrum caponis inſtar „ veru affixum ad ignem torreri. „ Plusquam crudele & belluinum „ profectò facinus, ut circà tam le- „ vem voluptatem negligentia, tam „ inhumanô ſuppliciô puniretur. „ Hæc *Florim.*

8. HULDRICUS MUTIUS, *Baſilienſis* Gymnaſii Profeſſor, *Cron. Germ. lib.* 26. „ Annô 1400. cum „ Turca in dies Romanorum Impe- „ rium & Eccleſiam carperet, Wen- „ ceslaus autem Imperator (cujus „ præcipuum officium debuiſſet eſſe „ hoſtes Eccleſiæ & Imperii propul- „ ſare) otioſus torperet, imperii „ Electores Principes neceſſariò „ de alio eligendo Imperatore cogi- „ tare cæperunt, nam præter Tur- „ cicos horrendos conatus Principes „ Chriſtiani inter ſe gerebant bella. „ Nec multùm curabat imperator, „ tantùm ſtudebat iis rebus, quibus „ otium ſuum foveret.

9. THEODORUS PETREUS, *Ord. Carthuſianorum Coloniæ* in Chronologica Pontificum & Imperatorum Hiſtoria *fol.* 83. *Wenceslaus.*

„ Succeſſit hic quidem parenti „ ſuo Carolo, ſed impari eventu, „ quippe qui voluptatis viníque „ amantior, quàm imperii promo- „ vendo ſtudioſior extitit: tam ani- „ mo, quàm corpore deformis. Qui „ non ſolùm à fratre ſuo Sigismundo „ captus, & incarceratus, verùm „ etiam ab Imperii Principibus re- „ gnô privatus fuit, poſtquam illud „ perditè ſatis annis viginti & uno „ adminiſtrâſſet.

10. BREVIS DELINEATIO HISTOR. „ Imperat. M. Chriſtoph. „ Cauſii. Fuit Wenceslaus ingenio „ hebeti, ac ſordido, nullarum re- „ rum, nisì voluptatum, & venationis „ intelligente, animo non à republica „ tantùm, ſed penè ab omni hone- „ ſtate alieno, ſævo, truculento, ipſe „ omnium ignaviſſimus.

Symbolum
MOSOPHI MORIONES PESSIMI.

11. JOANNES de BUSSIERES, S. J. in *flor. Hiſtor.* ad An. 1379. „ Wenceslaus non tam „ geſſit, imperium quàm infecit. „ Pragæ in Bojemia frequens vino, „ luſtrísque marcidus paternam ſa- „ pientiam turpiſſimis vitiis oblite- „ ravit, imò flagitiis crudelitatem „ adjungens, carnificem habebat „ pro comite, qui ad nutum novi „ Neronis quemque, ut eſſet libi- „ tum, interficeret.

12. NICOLAUS REUSNERUS & GEORG. SABINUS in deſcript. Cæſar. *fol.* 117.

At piger ingluviem dapibus vinóque replebat,
Et grave diſtenti ventris alebat onus.
Omnibus inviſus, ceu deteſtabile monſtrum.

Exteris addo Autores *domeſticos*, qui pari veritatis ſtudio vitioſam Wenceslai ætatem poſteris reliquêre. Primas teneat.

13. WENCESLAUS HAGEKUS in *Cron. Bojem.* ad An. 1385. *fol.* 352. „ Hoc Anno Domini, & „ Equites Regni Bojemiæ videntes „ Regem ſuum Wenceslaum mira„ biles voluptates & luſus exercen„ tem, & Patris ſui Caroli veſtigia „ minimè prementem, unus adver„ ſùs alterum inſurrexit, quouſque „ plurima in Regno damna exorta „ fuiſſent. „ Et alibi ſæpiùs.

14. JOANNES DUBRAVIUS, *Epiſcopus Olomucenſis*, patria *Plznenſis* in *Cron. Bojem. lib.* 23.

„ Wenceslaus Carolô parente „ ſolemnibus exequiis funeratô, „ poſtquam regimen in Bojemos ſu„ ſcepit, initio ſtatim adeò diſſolutè „ illud auſpicatus eſt, ut nullam, ne„ que legum, neque judiciorum cu„ ram habuerit, ex quo velut juſti„ tio, & impunitate facinorum inde „ conſequente, latrocinia, & rapi„ næ, mala nuper intercepta, rurſus „ per vias publicas cooriri cæpta, in„ gentem rerum jacturam præſertim „ mercatoribus Pragam tanquam ad „ celeberrimum emporium con„ fluentibus afferebat. „ & alibi „ ſæpius.

15. BARTHOLOMÆUS PAPROCZKY de *Glogel Eques Polonus* in *diadago*, id eſt „ ſucceſſione Princi„ pum & *R*egum Boemiæ fol. 151. „ An. 1381. erant magna & plurima „ diſſidia inter Proceres *R*egni pro„ pter negligentiam *R*egis Wences„ lai, hoc dum ei indicatum fuiſſet, „ nihil curavit. Et exinde orta fuêre „ latrocinia in *R*egno. „ & ità ſæpiùs.

16. GEORGIUS BARTHOLDUS PONTANUS, *Præpoſitus Pragenſis Bohem. piæ lib.* 2. *fol.* 27.

„ Wenceslaus filius degener, „ qui Norimbergæ mingens in fon„ tem ſacrum, & aram alvi fimô ſub „ coronatione polluens, actionum „ ſuarum futurarum ſpecimen dedit „ ignobile; fuit enim vitæ diſſo„ lutæ, neque Regni, neque Imperii „ habens curam, longè diſſimilis Pa„ tri quoad affectum ergà Patriam, „ ità ut prædonibus liber pateret re„ ditus. Evocatus in Germaniam „ ab Electoribus reſpondit legatis „ inconſideratiſſimè: ſe, quæ in Ger„ mania ſibi peragenda fuerant, pri„ dem omnia negotia confeciſſe, „ Regno Romanorum legitimè ibi „ inito, nec in præſens videre „ quidquam ſupereſſe, quod è re „ ſua iſtic agat. Si quis Princeps „ eſt, qui operâ ſuâ indigeat, cur „ ille ad Regem ſuum potiùs non ve„ niat, quàm Rex ad illum? exinde „ & ille contemptus fuit ab omni„ bus.

17. MARTINUS CUTHERUS, *de Duc. & Reg. Bojem.* ad *Maximilianum, & Ferdinandum Archi-Duces Auſtriæ.*

Wenceslaus IV. Rex Bojem. XII.

Wenceslaus multùm Rex vitâ inglorius actâ.
Bis captus populi ſeditione ſui.

18. CASPARUS CROPACIUS PLZNENSIS, *de Duc. & Reg. Bojem.* ad *Rudolphum II. Rom. Imp. & Bojem. Regem.*

Wenceslaus;

UT pater inſignis, præſtánsque virilibus auſis,
Eximiâ virtute animi, multóque decore,
Romanos faſces, & ſceptra Boemica geſſit,
Sic eadem luxu, nimiô torpénsque veternô
Filius, heu nimium neglexit deſide vitâ;
Degener è patriis ætatem moribus omnem

Implicitus, Veneríque, gulæque tyrannide, mixta
Exegit. Non hunc monitis à tramite lævo
Imperii Proceres, non Regni cura retraxit.
Forſitan à primo labem contraxerat ortu
Culturæ impatiens, mores mutare ferinos
Indocilis, vitium naturâ pronus ad omne.
Námque ubi ſacratô baptiſmi fonte levatur
Dicitur infauſtô luſtrales omine lymphas
Fœdâſſe, & ſacras, novus ùt *R*ex ungitur, aras.
Hæc præſaga mali jam tunc quoque ſigna futuri,
Non ſinè ſucceſſu nimis infelice fuêre
Imperio tandem, frugis cum nullius eſſet
Deturbatur iners, melior nec poſtmodo factus,
Noctes atque dies Bromio, Veneríque vacabat,
Crudelis, pravíque tenax, osórque bonorum,
Inviſus poſthac patribus, populóque Boëmo
Ventris ob ingluviem fædam, morésque malignos
Admoto vinctus Pragæ cuſtode tenetur.
Pertulit ipſe ſui captus quoque vincula fratris.
Fraude ſed evaſit de carcere ſalvus utroque,
Et regno, & ſceptris Regali in ſede potitus.
Mox ubi commotâ plebs ſeditione laborat,
Expers conſilii, ſubitóque exterritus amens
Concidit. Hunc talem meruit vita impia finem.

19. ZACHARIAS THEOBALDUS JUNIOR Patriâ *Schlakenvverdenſis* in *Genealogia Ducum & Regum Bojemiæ* Edit. An. 1612.

„ Wenceslaus ignavus, quem „ parens, vivus & in Bojemico 1363. „ & in Romano 1367. imperio ſibi „ ſucceſſorem ordinavit. Parente „ laudatiſſimo 1378. defuncto, il„ laudatus rem domi torpens geſſit „ publicam. Præter ingratam & „ deteſtabilem tyrannidem nihil „ laude dignum effecit. Præſenti „ rerum ſtatu contentus, neque „ præterita corrigere, non futura „ præcavere curavit. Bis captus, „ & liberatus, imperio tandem 1400. „ exutus. Voluptatum ſequax ac „ laborum fugiens, vini otiíque „ quàm Regni curioſior, vitam vi„ xit vitioſam. Huſſus ſub rege „ hoc pennas in Papam vibravit, & „ citatus ad concilium Conſtantien„ ſe fide publicâ munitus compa„ ruit An. 1415. & exuſtus eſt, ob „ quam rem bellum totô orbe pro„ vulgatum coortum. Apoplexia „ denique Wenceslaus correptus „ non bene ſanâ mente die 17. Aug. „ An. 1419. deceſſit. Duas Uxo„ res è Bavaria duxit Joannam, & „ Sophiam, ſed nihil liberorum „ ebrioſus tulit.

20. JOANNES AUGUSTINUS TICHTENBAUM, Patritius & Senator *Auſtenſis* in *Uſta ad Albim carmine delineata.* An. 1614. *fol.* 36.

GEns furibunda calet, cædes vehementior ardet,
Belláque, & oppreſſis poſtrema pericla minatur
Chriſticolis, cædit, mactat, ferróque trucidat,
Latiùs & multo magna cum ſtrage per Urbes
Oppida, & totas Boemorum fermè per oras
Imperii paſſim, nullo prohibente, malíſque

Prin-

Principe præveniente, frequens ſua ſchiſmata fundit,
Donec ob ignavos luxus, & inertia vitæ
Ocia, & heu nimium laxatas turpiter inde
Cum damno, & triſti interitu totius habenas
Imperii, populo Rex Wenceslaus ab omni
Et ſummo Heroum cœtu, mundique Monarchis
Cæſarei ſpretus, celebrique exutus honore
Sceptri, & Romani inſigni diademate Regni.
Et tandem Rex Pannonicis Sigismundus ab arvis
Accitus, totâ procerum adſtipulante coronâ
Præſidet & fractas Regni reſtaurat habenas

21. HISTORIA SEMPER CATHOLICÆ CIVITATIS PLZNENSIS MS. *cap.* 4. „Hoc uno „infeliciſſimus fuit Imperator Carolus, quòd fuerit infelix Pater, „filii plane degeneris progenitor „Wenceslai, nimirum ob ſuam „ignaviam cognomento pigri, qui „per omne genus ebrietatis, crudelitatis, luxuriæ, pérque omne cœnum fædiſſimorum ſcelerum volutari non contentus, etiam Dœmoniacas adamavit artes, ut non erubeſceret proximum poſt ſuum Cæſareum currum palam Pragæ admittere vehi magum, cognomine „zitto, qui & ipſe ſuo ſuperbus in „curru ſex gallis gallinaceis ope „diabolorum trahebatur. Unde & „ſubditi per totam Bojemiam pedentim à ſanctitate, quam ſub Patre „ejus didicerant, degeneres, cœperunt etiam ipſi à diabolo non tantopere abhorrere, ſed ſceleribus „aſueſcere, ac paulatim pro hæreſi „diſponi, donec diuturna ejus ab „An. 1378. usque ad An. 1419. „per 40. & ultra annos gubernatione tandem Regum totum datum „eſt in præceps.

22. THOMAS JOANNES PESSINA, *Eccleſiæ Pragenſis Decanus*, & *Epiſcopus Samandrienſis*, lucubrationibus Hiſtoricis de Regno *Bojemiæ* & Marchionatu *Moraviæ* optimè meritus. *Mart. Morav. lib.* 4. *cap.* 3. „Wenceslaus denique primis initiis, „optimi Principis formam in ſe expreſſit, adeo, ut ab omnibus amaretur, ſpémque præberet cunctis, „quòd evaſurus eſſet in egregium „Principem, Patri æqualem. Verùm paulò poſt, & ut animadverſum, quinquennió poſt Eheu! „quàm mutatus ab illo; ità ut, quod „de Nerone dictum olim: quinquennió primô optimus, poſt peſſimus, id quoque de Wenceslao „Rege dici potuerit: quinquennio primo optimus Princeps fuit; „eo exactô ſibi diſſimillimus evaſit, animo non à republica „tantùm alieno, ſed ad immanitatem usque ſævo, ac truculento, nec „niſi in obſcœnas & turpes crapularum, helluationum, & libidinum „voluptates (ſi tamen his voluptas „ineſt) proclivi. Unde adminiſtrationem tam Regni Paterni, „quam imperii veluti ad ſe non usque adeò pertineret, ità neglexit, „ut nulla neque legum, neque judiciorum cura habitâ, & exinde impunitate facinorum conſequente, „ſúsq; deque omnia agi occiperent.

23. BOHUSLAUS BALBINUS, S. J. *decad.* 1. *lib.* 7. *Sect.* 2. *cap.* 3. „Wenceslaus, cùm ad ſe „homines ludiones, præſtigiatores, „helluones, & aliis vitiis infames „nullo delectu admittere cæpiſſet, „totus à ſe ipſo mutatus, à curis „regnorum abhorrere, nihil niſi „lætum audire, otiari, helluari, & „in vino inſomnes noctes ducere „cœpit. Duo maximè ejus opera „execrabilia in annalibus lego: Primum eſt, ſuſcepta Huſſi Hæreſiarchæ defenſio, nam cùm is Sophiæ, „quam ſecundam conjugem Wen-

„ceslaus

„ceslaus habebat, à confeſſionibus
„eſſet, delatus ad ſedem Apoſtoli-
„cam, & de hæreſi poſtulatus, Ro-
„mámque peremptoriè citatus, pa-
„trocinium invenit in uxorio Rege,
„qui gratiosè impetravit à Papa, ut
„illud judicium de Huſſo Pragæ
„fieret, quod tanto ambitu
„petebat, intereàque Huſſus
„annis aliquot noxios errores diſ-
„ſeminavit, & non minimam Boje-
„miæ partem corrupit Rege ſterten-
„te, & judicium differente. Al-
„terum factum Reipubl. maxima
„damna attulit, quod Rex civita-
„tem & Academiam Pragenſem na-
„tionum ſtudiis & odiis laboran-
„tem, non in tempore, ut poterat,
„compoſuiſſet, ſed potiùs accen-
„diſſet, itáque curiam germanis
„implevit, at contra in Univerſitate
„Carolina Bojemiæ nationi jus
„omne & prærogativas omnes at-
„tribuit; unde indignatæ cæteræ
„nationes valedixerunt Bojemiæ, &
„unâ omnes ſententia una die Pragâ
„diſceſſerant Univerſitatem penè
„vacuam relinquentes.

24. Claudat Autorum phalangem P. GEORGIUS CRUGERIUS S. J. *Sacr. Memor. Regn. Bojem. ad diem* 16. *Auguſti.*

EPITAPHIUM WENCESLAI IV. JUXTA DEMERITA HOMINIS EPICUREI & CRUDELITATI OBNOXII.

Vis haud dubiè lector brevi verbo famam
totam Wenceslai?
Habe, prout eam Hiſtorici deſcripſerunt
quam non quidem incidas marmori,
ſed æternæ includas memoriæ.
Fuit, & cum hoc elogio, an potiùs vituperio?
Inſepultus eſt Aulæ Regiæ, rurſum Pragæ
Henrici VII. Romani Cæſaris
Joannis Bojemiæ VIII. Regis
Quin & Caroli IV. è *Bojemis* I. *Cæſaris*
Quantorum Marte, arte Heroum
Filius, Nepos, ac demum etiam Pronepos
Necdum miſerum ad unguem expreſſiſti!
Fuit extrema noxa.

CA-

CAPUT OCTAVUM.

Regina Joanna virtute vitæ Wenceslao fit inviſa. Ille ream agere, & flagitiis ſibi parem reddere animo inducit. Ideò in facinora vitæ indagat; ſed nihil culpabile reperiens ex Confeſſario B. Joanne à Pomuk, Canonico Pragenſi peccata Reginæ reſcire tentat. Is, dum violare ſecretum Confeſſionis modis omnibus recuſat, à VVenceslao quæſtionibus ſubjicitur, & ignibus crudeliter uſtulatur. Sed divina confortatione roboratus tormentis ſuperior, libertati reſtituitur.

JOanna Regina virtute nobiliſſima, ſceleribus Mariti quotidie magìs ac magìs perauxiata, cùm in Regia dignitate, & rebus adeò humanis nihil ſolatii caperet, ad cœleſtia ſe penitus convertere, omnem mundi ornatum, fucúmque abjicere, in pietatis opera incumbere, ſacris confeſſionibus mentem piare, cum lachrimis minimas labeculas aperire, DEum aſſiduè precari,ut ſaniorem conjugi mentem daret. Nec fefellit ſollicitudo precantem, quin repetitis monitis adire Maritum cogitaret. Acceſſit igitur, & rurſus obſecravit,prioribus ſuaviora, ac ſeveriora etiam adhibuit, cum lachrimis obteſtata, fidem conjugalem interpoſuit, Regium munus oſtendit, exempla Patris exaggeravit (a). At quo in ſingulis fructu? caſſo. VVenceslai animus ſcelerum conſcius, monitione exaſperatus, odiô palam in Reginam fremuit. Primum criminoſi perfugium monentes odiſſe. Rex iracundiâ candens ſeverè obteſtari, ſeponat fœmininas, & præcoces adeò ſollicitudines, ſe velum Maritum, quid conjugii leges præſeferant, optimè nôſſe. Superſedeat hortationibus, niſi ſe quoque in lupanar transferri velit (b). Quid ageret anxia, Mariti crudelitatem inter ipſas etiam epulas ſæpè experta? DEO ac directori ſuo ſecretò conqueritur, & conſolationem expoſcit. Interea VVenceslaus magorum uti dixi philtris intoxicatus, conthoralis ſuæ præſentis odium, abſentis verò deſiderium ferre non potens,multô cogitatu conſultabat, qua viâ potiſſimum conjugis monitiones vindicaret? Novit ille quidem innocentis mores, & probam vitam, attamen cùm ſæpè in eo arbitremur alios furere, in quo ipſi inſanimus. Ideò adulterii ſuſpicionibus, uti libido furioſa eſt, per abſentiam conjugis exagitatus, in eam cogitur ſententiam, paria delicta (ſi idipſum in Conjuge, uti in ſe, reperiret) mutuâ quaſi compenſatione attenuare, partéſque ſuas delictis paribus excuſabiliores reddere. Aut ſi effectum fruſtraretur, ſpecie alterius criminis, & vel machinatione occultâ, quaqua via mortem conjugi accelerare. Tam potens erat vindictæ cupido. Nunquam magis feraſcimus quàm cùm odimus. Nec animi moti fluctus in furioſo Rege ante cognita Reginæ delicta malaciam promittebant. Interea tamen quo ſe certò verteret, ambiguus manſit. Ex aulicis in tanta probitate Reginæ ſe parùm reſciturum ſperabat, ex Regina ipſa penitus nihil. Quid igitur? ut ſatietur vindictæ impetus, cæcis furiis abripitur, à Confeſſario, cui Regina conſcientiam ſecretò exomologeſeos confidere ſolebat, delicta prodi tentat. Primùm blanditiis, ut furorem celet, utitur: mox faces & equuleum, par quo modo cupitis potiatur, addit, ac inauditô hactenus in Eccleſia DEI facinore, ſacræ confeſſionis arcana tormentis à ſacer-

Boregk in Cron. Bojem. fol. 336.

(a) Hag. fol. 353. Dubrav. lib. 23. Hiſt. Bojem.

(b) Dubr. loc. cit. Paproc. in Catal. Epiſc. Prag. fol. 337. M.

ſacerdote elicere, celata aquæ ſubmerſione vindicare non formidat.

2. Igitur *Joannem à Pomuk*, Canonicum Pragenſem *R*eginæ *Confeſſarium* Virum DEI timore plenum ad ſe accerſit, ſpe plenus *R*eginæ occulta crimina, ac fors etiam, ut ſuſpicabatur, adulteria ex eo cogniturum. (c) Sciebat illum unum *R*eginæ Conſiliis intimè conſcium. Rex præmiſſô affabili ſermone, & mentione *R*eginæ injecta, ſenſim ad confeſſionem ſacram delabi, uxorum ſubjectionem, qua maritis earum omnia nota oporteat, enarrare, Cæſaream, *R*egiámque gratiam, opes, honores, & quidquid felicitatis à *R*ege ſperare liceret, firmiter & veraciter polliceri, modò obtemperet, & peccata Reginæ, quæ ei confeſſa fuit, ſibi ſoli, & ſecretò aperiat. (d) Exhorruit omnino Vir ſanctus temeritatem ſacrilegam *R*egis, & ſceleratas preces. Ad hæc reſponſum non diſtulit, ſed reſolutè repoſuit: *Domine mi Rex! ego id certè memoriâ non teneo, & etiamſi tenerem, id facere mihi non competit, ut ſecretum confeſſionis manifeſtare deberem, DEO tantùm id ſcire competit, quod mihi homo in confeſſione dicit. Quare ſcito Rex, quòd de hoc inquirere res non ſit decens.* (e) Hanc objurgationem ſanctam commoviſſe *R*egis animum eò minus in dubio eſt, quo ſubſequi iracundiæ motus dein vehementiùs *Joannem* velut per torturam, ac mortem impetivêre. (f) Preſſit nihilominus diſguſtum *R*ex, futuri adhuc ſucceſsûs ſpe alitus. Quamvis enim (ùt rectè obſervant quidam (g)) ad mandandas ſuorum cædes præceps aliàs ferretur W*enceslaus*, in *Joanne* tamen diu cunctatum perſuadere curioſitatis importunæ vehementiam, etiam poſt iteratas repulſas repreſſum ab eo iracundiæ impetum ſpe eliciendi aliquando ſecreti. Et hic primus inſultus à *Joanne* perpeſſus ante, vel paulò poſt Feſtum *Paſchatis*, eô anno die 22. *Martii* celebrati occaſione confeſſionis juxta legem fidelium factæ. Non quievit interea Regis jam ſemel inſenſi efferata cupiditas, ſed repetitis ictibus quatere conſtituit prodere renuentem. Super hæc novum Regis atrociſſimum facinus in coco verubus transfixo, ac in neglecti caponis pœnam ignibus torreri juſſo, Aulicis (ut ſolent) aſſentatione, aliis præ horrore, & ſtupore tacentibus, à *Joanne* moderatè redargutum, novum, ac implacabile vindictæ ſtudium in exulcerato prius animo accendit (h). Iterum iterúmque ſollicitatum modò incarceratum (i) modo menſæ Regali adhibitum, jam blandis, jam aſperis tentatum (ut variabiles ſunt Tyrannorum animi, potiſſimè dum ex voluptate ſæviunt) Non latebat *Joannem*, quo hujuſcemodi Regis angariatio pertineret, tormenta videlicet, ungulas, ſtridentésque flammis laminas, atque ipſam pœnarum ultimam mortem ſupereſſe, nisì impio deſiderio ſatisfaceret. Contra Vir Beatus ſummè obfirmare animum, & dura omnia expectare, quàm minimum è ſacræ confeſſionis ſecreto ſacrilegè prodere (k). Perſecutionem nihilominus Regis (quæ Reginæ interea animum multo cruciatu ſuſpenſum tenuit) hilari facie diſſimulans, ſtationis ſuæ munia repetit, & in *Eccleſia Metropolitana* functiones, quasì nihil actum fuiſſet, ſolerter obit.

3. *Dominica* erat *tertia* poſt *Paſcha*, eô annô 12. *Aprilis* celebrata, atque *S. Evangelii* textum: *modicum, & jam non videbitis me*, fidelibus prælegens; eâ occaſione id thema aſſumens, è ſuggeſtu verba facit *Joannes*. atque ſpiritu propheticô martyrium ſuum, nec non ſecutura Regni fata prædicit: Hæreſim, de qua jam ſuprà, ſeditiones, excidia, clades, & innumerabiles calamitates minitari patriæ, & feralem portendere caſum. Extremô ſermone vale faciens auditoribus veniam poſtulat (l), ac ut ex-

(c) Hag. fol. 353. Dubr. lib. 23. Boregk. fol. 336.

(d) Joan. Beckovvsky Cron. Bojem. cap. 52. fol. 605.

(e) Hag. loc. cit. & ex eo Paproc. in in Catal. Epiſc. Prag. fol. 337. Habentur veluti reſpondentis formalia.

(f) Joan. Adelsreiter Annal. Boj. Gent. lib. 6. fol. 113.

(g) Godefrid. Henſchen. Act. Sanct. Maj. tom. 3. die 16. fol. 668.

(h) Balbin. Bojem. Sanct. §. 59. c. 3.

(i) Hagek. cit. fol. 353. in gravem ſubterraneum carcerem intruſum narrat, & ubi non profeciſſet ad tormenta primò tractum.

(k) Math. Ferdin. Archi-Epiſc. Prag. in theſaur. ſacr. fol. 136.

(l) Mac. Merſelicz in vit. fol. 32.

expeditiùs ſe ad extrema pararet *munus prædicatoris* alteri Canonicorum commendat. *Wenceslaus*, quem malus ſpiritus jam penè inſedit, cognoſcendorum Reginæ delictorum ardore ultra, & ultra magis abreptus, inquietam trahit animam; omnes ſubinde cogit artes, quibus Confeſſarium impii cupiti compotem habere poſſet, perpenſis potiſſimè tot repulſis, compulſorium remedium arctiùs inducit animo, tacentem quæſtionibus ſubjicere & tormentis. Citatur rurſus ad *Aulam Regalem* Vir DEI, idque *die ſequenti* poſt feſtum *S. Sigismundi* quæ erat *tertia May*, & *dies dominica* inventioni *ſanctæ Crucis* celebris, & Regio conſpectui ſiſtitur, prout eam diem diligenter adnotavit *Hagekus* (m) primus quodamodo Martyrii *S. Joannis* ſcriptor, cui præ ceteris fides adhibenda. Coram Rege conſtitutus, cauſam confeſtim audit, cur rurſus accerſitus ſit. *Non poſſe ſe quieſcere, nec pacatum habere animum, ni, quæ Regina confeſſa ſit, ex ordine pandat, polliceri ſe ſilentium, & verbô Regiô ſtipulari omnem gratiam, opes, ac dignitates, ac obteſtari, nè ſe offenſum ſentiat, imminere tormenta, & extrema omnia.* Sanctus Vir excelsô animô minas, ac honores contemnere, Confeſſarii munus explicare, ſilentii ſacroſanctam legem extollere, pœnas temporales, & ſempiternas iis, qui ſecretum non tenuerint, conſtitutas exaggerare, deníque Regem monere, abſtineret captandis, quæ uni DEO cognoſcenda ſervantur, ſinè ſacrilegio talia tentari non poſſe, in cæteris omnibus Regis imperia ſe adorare, unum hoc deprecari, quod ſi millia martyria, & mortes ſubeundæ eſſent, non faceret. Ardens iracundia Rex ſinè mora *patrinum*, ità per delicias *carnificem* appellabat, cum ſociis inclamat (n), & non attenta ſacerdotii reverentia præceps imperat; in tetrum carcerem hunc trudite, ac

(m) Hagek. loc. cit. & ex eo Simon Kapihorsky in Hiſtor. Sedlecen. fol. 33. Cruger. Triumph. Majal. fol. 8. Joan. Nadazi in Ann. Joan. fol. 188.

(n) Hag. loc. cit.

Vinctum retortis brachiis
Surſum, ac deorſum extendite (o)

Illi mandata Regis crudelia efferè exequentes, *in locum ſubterraneum* lapideis fornicibus vinctum, tenebris & fætore horridum, ubi paſſim ſuppliciô afficiendorum quæſtiones fiebant, deducunt, trahúntque. Cùm nec horrore carceris, nec vinculorum attractu moveretur Vir DEI, nec in ſacri ſilentii conſtantia nutare vellet, juſſu Regio manus injiciunt, veſte nudant, funibus vinctum *in equuleo* crudeliſſimè extendunt, latera facibus uſtulant, quæſtiones ponunt, verba extorquent (p) adfuiſſe tormentis Cæſarem plerique putant (q) quod ſpectaculis hujusmodi delectari, & oculos paſcere conſueviſſet, ac ſperaret jam ſe in tormentis verbis, motu, ſignis intellecturum tandem, quæ antea non potuiſſet. Quinimò Coetaneus, qui rem optimè noviſſe potuit, ſævitiam hactenus incognitam addit, proprias etiam eheu! manus (ſuperaret vel Ethnicorum crudelitates) *Wenceslaum* torturæ, martyrióque addidiſſe. (r) *J.* Chriſti Martyr

Hæc inter immotus manet
tanquam dolorum neſcius,
Tendítque in altum lumina (s)

Sacra *Redemptoris* ac *Genitricis* DEI nomina ingeminans. Inſtitit tortor, & flammarum peruredine elanguia membra ſollicitat, fatigantur trochleæ, tenduntur rotæ, & vincula geminantur, nihil diligentiæ ad ſummam dirritatem! placeret regiæ truculentiæ, reliquum facit patrinus carnifex. At

Non ignis, candénsque chalybs, non verbera paſſim
Ictibus innumeris, lacerum ſcindentia corpus,
Carnificésque manus, penitúsve infuſa medullis
Peſtis, & in medio lucentes vulnere flammæ (t) *profécere.*

(o) Prudent. ode de S. Vincent.

(p) Sim. Flagel. & Georg. Pontan. in hymn. Hag. Paproc. Mac. à Merfelicz loc. cit.

(q) Balbin. Bojem. ſanct. §. 59. c. 4. & ex eo Macar. Merfelicz in vit. f. 31.

(r) Math. Sobernheim Rupert. Cæſar. Secret. in lit. ad Wernh. Spatzinger An. 1400. infrà cap. 10. n. 8.

(s) Prudent. Periſteph. ib.

(t) Sil. Ital. de Attil. Reg.

 Sed

Sed fruſtra fuêre conatus omnes, ubi inſuperabilis fortitudo ſancti, & ferociam Regis, & liƈtorum vicit inſaniam. Nudata pendent viſcera. Sanguis ſacratus funditur. Divino Numini innixus Myſtæ animus ſuperat omnia. Dolores diriſſimos voracis flammæ altâ patientiâ ſuſtinens, Sacramentum Reginæ abſcondit, Regis verò confundit tyrannidem. Cùm nihil proficeretur tormentis, furore infremuit Rex. Carnifices multâ horâ laſſi ſuſpirabant in gemitum, ab equuleo ſolventes martyrem, ac; ut vitentur turbæ, libertati reſtituunt. Illè aƈtis DEO gratiis, corpus à vulneribus curat, & cœleſti conſolatione perfunditur. Interea ſuperatâ pœnalitate (quæ occultâ narratione ad Reginam delata, novas ei inauxit curas) *Joanni* oſtenſum fuit velut præludium ſecuturæ majoris pugnæ, & viƈtoriæ. Inde ſe totaliter DEO addicere, animum valentiùs obfirmare inter adverſa, minas omnes contemnere, martyrium quàm zelantiſſimè anhelare.

NO.

NOTÆ IN CAPUT VIII.

MUnus prædicatoris. Nonnulli dictionem Valedictoriam *S. Joannis* poſt torturam collocant. Quidam verò penitus prætereunt. Quod priores attinet, non attingo, qualiter id fieri queat, ut *S. Joannes* ſuper evangelio *Modicum videbitis me, dominicâ tertiâ* poſt paſcha prælectum, poſt torturam primò dicere potuiſſet; indiſputabile enim eſt *S. Joannem* ad torturam tractum fuiſſe die poſt Feſtum *S. Sigismundi* id eſt *tertiâ May*, quæ inventioni *S. Crucis* ſacra, eô anno 1383. in diem *Dominicum* inciderat (ùt hanc diem clarè exprimit *Hagekus*, in ſimilibus Autor accuratus, & ejus autoritatem ſequitur *Georg. Crugerius Sacr. Mem. Regn. Bojem.* 6. *Non. May* itidem dierum obſervantiſſimus, cùm calendarium ſcribat, ac etiam *Joannes Nadazi* in *An. Joan. fol.* 188.) Igitur ſi *S. Joannes* die 3. *May* fuit ad torturam tractus, ampliùs ad evangelium *Dominicæ tertiæ* poſt Paſcha, quæ An. 1383. in 12. *Aprilis* inciderat, dicere non potuit, bene verò ante torturam valedicens dixerit. In ſententia ergò eorum, qui hanc ultimam dictionem torturæ poſtponunt aut bis tortum effingent, aut torturam in menſe *Majo* contigiſſe inficiabuntur, quod fieri quâ ratione queat, nemo eſt, qui non videat. Itáque concionem hanc ſuper evangelium *Dominicæ tertiæ* poſt Paſcha: *modicum videbitis me. S. Joannes* non poſt, ſed ante torturam ſuam habuit quia ea Dominica torturam tribus hebdomadibus anteceſſit. Et hæc ex ſpeciali menſium ſchemate juxtà calculos paſchales Anni 1383. debitè ordinato oculariter oſtendam in notis ad *cap. 9.*

Sequuntur, qui in Eccleſia *S. Viti* verbi DEI prædicatione fructúmque animarum collegêre. Cathedram hanc non immeritò vocat *Carolus IV. Magiſtram, Matrémque cæterarum Regni.* Perſonuit ea toto hæreſeos *Huſſiticæ* tempore nihil aliud, nisì Catholicum. Et ubi cæteræ ante ſacra *Huſſii* genua flexêre, hæc ſola DEO protegente impolluta permanſit, exaltans vocem ſuam ùt tubam, & annuntians *Huſſitis, Calixtinis, Pikarditis* ſcelera eorum. Omnium (qui iſthic è Collegio Canonicorum ob utiliter diſſeminatum DEI verbum adoreas meruêre) animi dotes, vitæ, & doctrinæ merita recenſere, prolixioris laboris eſſet; Interea quosdam, velut racemos in margine veterum relictos, poſterorum memoriæ commendabo.

SERIES QUORUNDAM VERBI DEI PRÆDICATORUM IN ECCLSIA S. VITI CASTRI PRAGENSIS.

SÆCULO DECIMO POST CHRISTUM.

EReċtâ Eccleſiâ *S. Viti* in *caſtro Pragenſi* inter primos verbi DEI præcones numerantur circà An. 938. (*Chriſtian. in vit. S. Wencesl.*) HOSTIWOD & BLOHOSLAUS CHWOGENSKIUS, Sacerdotes Collegii *S. Viti* à catechizatis, & ad fidem reductis Gentilibus ſub *Boleslao* ſævo multùm celebres.

GERARDUS, natione *Bavarus* Archi-Presbyter, & STEPHANUS

MISSLIBOR; LETOMYSLUS, ac BOLEHOST, Canonici

 ad

ad *S. Vitum* ſub *Boleslao pio* ſacra prædicatione plurimos gentilium ad fidem *Chriſti* converterunt. Hagek.

POKORZINUS & WILLICO, *S. Adalbertum* in diſſeminando verbo DEI ferventer adjuverunt. Poſterior exilii, & peregrinationis Romanæ comes. *Nam Præſul Adalbertus* (ait *Coſmas Cron. lib. 1.*) *videns, quòd grex ſibi commiſſus ſemper in præcipitium iret, non auſus eſt cum eis ampliùs ſtare, nec paſſus eſt ſuam ulteriùs incaſſum prædicandi operam dare.* §. PROSTIWOG, in divina ſcriptura Sacerdos valde eruditus, & Canonicus Collegii *S. Viti*, zelô prædicationis multos gentiles ad *Chriſtum* convertit. Merita converſionis præmiavit DEUS martyriô, nam an. Chr. 992. à *Hrabodoio Wiſſoveccio* ad pagum *Liboczi* odiô Chriſtianæ fidei fuit occiſus. Ejus corpus ſub quercu inventum *Boleslaus Pius Bohemiæ* Princeps in Eccleſia *S. Mathæi* ante portam *Hradezenſem*, quæ erat parochia Pragenſis Capituli, honorificè ſepeliri, & in loco occiſionis ad martyrii memoriam Eccleſiam ædificari fecit. *Archiv. Capit. & ex eo Hagek. Chron. Boem. fol. 93. b.*

SÆCULO UNDECIMO.

THEODATUS, *Epiſcopus Pragenſis* tertius, natione *Saxo* imitator virtutum *S. Adalberti* ſtrenuus Concionator, ait *Hagek*, & *Cæleſtinus Præp. in Catal. Epiſc. Prag.* contra vitia accerrimus, commiſſæ plebis perſequens vitia. Ideo *ob perſecutiones, ſi non corpore, mente tamen tulit martyrium. Coſmas Chron. lib. 1.* Hunc ſecutus.

EKHARDUS, *Epiſcopus Pragenſis* quartus, natione *Germanus*, Anteceſſorum veſtigia in perſequendis populi ſui vitiis fervidè preſſit, ideò *ad plebem*, inquit *Coſmas loc. cit.*, *facundiſſimus prædicator, & contra potentes erectus.*

IZO, SEVERUS, JAROMIRUS, *Epiſcopi Pragenſes* in Eccleſia *S. Viti* frequenter ad plebem prædicaverunt, ultimum ſublevavit, MARCUS Præpoſitus, Vir pari doctrinâ ac eloquentiâ præditus circa an. 1068. §. HROZECK Canonicus, & Prædicator *S. Viti* an. 1078. ad Eccleſiam *S. Petri* in montem *Budecz* peregrinans, à Judæis in via odiô fidei capitur, & extractis è ventre, ac in arbore ſuſpenſis ilibus occiditur. Eodem an. BLAHAUSIUS Canonicus, & Prædicator *S. Viti* in manus itidem Judæorum, & certum necis periculum incidens, liberatur. *Hagek Chron. Boem fol. 136. a.*

ANDREAS DAUBRAWICZ, Canonicus Pragenſis à prædicandi munio *Wratislao primo Bojemiæ* Regi chariſſimus, & inde ad Epiſcopatum *Moraviæ* circa An. 1091. promotus, *Cœleſtin. in Catal. Canon. Prag.*

SÆCULO DUODECIMO.

THUTA, & HEROLD Canonici, & Prædicatores in, templo *S. Viti* An. 1109. *MS. Archiv. Capit.* Poſterior dein circuli Plznenſis Archi-Presbyter, ac ambo circa An. 1131. in cauſa Epiſcopi Pragenſis *Meinardi* ad Archiepiſcopum Moguntinum Legati. *Hagek fol.* 173.

COSMAS, Decanus, & primus *Bojemicæ* hiſtoriæ conditor, prædicavit ad vulgum manè in Eccleſia, poſt meridiem vero ad *fratres*, id eſt *Canonicos*, in clauſtro, puta domo communi Canonicorum. obiit An. 1125. die 21. *Oct.* §. VINCENTIUS è prædicatore *Eccleſiæ Pragenſis* circa An. 1140. *Wladislai* Regis *Boemiæ* Notarius, cujus etiam geſta ad *Mediolanum* peculiari hiſtoriâ conſcripſit, de qua ſuprà *cap. 6.*

SLAVON, Archi-Diaconus & concionator *Eccleſiæ Pragenſis* valde facundus An. 1177. multos peccatores

tores ad pœnitentiam perduxit, ciborum abſtinentiâ, & meditandi ſtudiò cunctis prælucens. In munere adjuvit MAGISTER PAULUS dein *Scholaſticus Pragenſis.* MS. Capit.

HENRICUS ZDIK, Præpoſitus *Pragenſis Wratislai I.* Regis minimus natu filius, à ſacra prædicatione multùm commendatus, dein factus *Epiſcopus Olomucenſis* an. 1126.

PETRUS ROHOWICZ & JOANNES HROCHOW, Canonici zelo prædicationis in Eccleſia *S. Viti* præcellentes digni habiti ſede Epiſcopali vacante inter primos Epiſcopalis Cathedræ candidatos numerari An. 1170. *Hagek.*

BOHUSIUS & BUDEMIR, oratores peregregii. Prior ex Canonicatu *Pragenſi* ad Decanatum *Wiſſehradenſem* poſtulatus, in electione novi Epiſcopi an. 1197. verba fecit *Cœleſt. cit. loc.*

SÆCULO TERTIO DECIMO.

CHRISTIANUS, Canonicus *Pragenſis* poſt exactos plurium annorum prædicationis labores coram Rege *Przemyslao*, & aula ejus ad cancellarii Regii officium aſſumptus circa an. 1206.

HEBRHARDUS & RADOSLAUS, poſterior Archi-Diaconus *Plznenſis* in Eccleſia *Pragenſi* ſub *Wenceslao* Rege An. 1225. ſacræ prædicationis talentô plurimùm floruêre, quibus ſubcenturiatus.

FLORIANUS Canonicus, eloquii ſuavitate ad Notariatum *Regium* penetrans circa an. 1229.

BURCHARDUS, & NICOLAUS. Prior à *Sulevvicz* Alter â *Roſis* Canonici *Pragenſes*, ſicut in Cathedra prædicationis, ità & Epiſcopatûs Prag. ſe invicem ſubſecuti an. 1236. & 1239.

HERMANNUS dein Præpoſitus *Luitomiricenſis*, qui obiît V. Non. Martii an. 1254.

JOANNES, & GEORGIUS Canonici, & Prædicatores *in Eccleſia S. Viti* circa an. 1240. & ſequentibus.

WILLIMIR id eſt *Gullielmus* Canonicus *Pragenſis*, & Concionator aulicus *Przemyslii* Regis *Bojemiæ* ad proto-notariatûs Regii munus circa an. 1253. elevatus.

VITUS, Decanus, & Concionator eximius circa an. 1260. de quo MS. Continuator *Coſmæ*: *An.* 1271. *obiit Vitus Decanus Prag. Calend. May.* „Hic verbum vitæ prædi„cando, & docendo inter fideles „Chriſti ſalutarem diſſeminavit „ſcientiam, ſpe uberioríſque fru„ctûs pro meritis, & laboribus cœ„leſtia pro terrenis comparando. „Illuminabat enim mentes homi„num, utpote lucerna lucens, & „confluebant ad Eccleſiam Pragen„ſem occaſione ſermocinationis „ipſius, ſingulis diebus dominicis, & „feſtivis nobiles terræ, & Burgen„ſes cæteri etiam artifices, & ope„rarii, ut poſſent in arcella memo„riæ ſuæ ad laudem, & honorem „DEI, & profectum ipſorum ver„bum ſalutis conſervare. Contu„lerat enim ſibi Dominus gratiam „non modicam eloquentiæ propo„nendi verbi ſui, ſpiritu ſapientiæ „repleverat eum, & intellectûs, & „ipſe tanquam imbres miſit eloquia „ſapientiæ ſuæ, per quos arida cor„da hominum irrigabat.„ Hæc ille.

ALEXIUS, Canonicus, & Concionator *Eccleſiæ Pragenſis* An. 1282.

M. PRZNOBORIUS, Scholaſticus *Eccleſiæ Pragenſis*, Capellanus, & Concionator aulicus, Regis *Ottogari*, qui & *Przemysl* dicitur, ſacrâ facundiâ movit aulæ miniſtros,

ut

ut ab obſcæno libidinum conſortio abſterriti, vitam in meliùs mutârint. Obtinuit an. 1262. à Rege privilegium pro bono *Eccleſiæ*, & *Capituli Gnevvchovvich* dicto, ut ibi forum ſit, & tabernas, & judicia habeat more aliarum civitatum. *Archiv. Capit.*

MAGISTER PETRUS ex Canonico, & Concionatore *Pragenſis Eccleſiæ* Proto-Notarius Regis *Wenceslai II.* multùm pollebat favore Regis, unde effecit, ut Rex *Tobiæ Epiſcopo Pragenſi*, & Principi medietatem villæ *Chyrſchyn*, in qua erant hæredes quidam, & vigiles *Caſtri Pragenſis*, cum hominibus, agris, ſylvis, nemoribus, paſcuis, pratis, aquis, & omnibus utilitatibus, juribus, & pertinentiis donârit, & Epiſcopatui in perpetuum hæreditariô jure poſſidendum dederit. An. 1292. *Id. Aug. Indict. quint. Arch. Capit.*

M. GREGORIUS, Decanus *Pragenſis* eruditionis,& facundiæ laude celeberrimus, toto vitæ ſuæ tempore munus prædicationis exercuit, nec id Epiſcopus Pragenſis electus deſeruit, *ſed prædicavit* (verba ſunt *MS. Ser. Epiſc. Prag.* ut ſuprà) *ad vulgum in Eccleſia Pragenſi usque ad mortem.* Obiit An. 1301.

SÆCULO QUARTO DECIMO.

JOANNES à PRACZICZ, Scholaſticus *Eccleſiæ Pragenſis* & Concionator eximius, qui & *Gregorii* Epiſcopi & Prædicatoris ſucceſſor in utroque munere eſſe meruit.

ULRICUS, Decretorum Doctor An. 1320. è ſuggeſtu *S. Viti* plurimus contra vitia decertator, vanitatis oſor, ac ſæculi contemptor, reſignatâ Prælaturâ Scholaſtici, inter *Sedlecenſes* aſcetas monachus, tandémque; quoniam id viri merita exigere videbantur, à Fratribus electus Abbas. *Kapihorsky hiſtor. Sedlec. fol.* 27. *Aug. Sartori. Ciſterc. tit.* 20. *fol.* 540.

MAGNIVOIUS, Decretorum Doctor, Canonicus,& Concionator, tam zelosè ad populum in quadrageſima peroravit, ut *pauci* (ait *MS. Anonym.*) *ſinè fletu è templo abirent.* Floruit circa an. 1325. Ejus fuit ſynchronus.

WELTER, Canonicus Pragenſis & Concionator.

FRANCISCUS, ex Rectore ſcholæ in *Wiſſehrad* Pœnitentiarius *Joannis à Praczicz* Epiſcopi, & Canonicus *Pragenſis*, ut primùm cathedræ præpoſitus ſumma vigilantia, diſcretione & prudentia odioſiſſimas illas inter Clerum Eccleſiaſticum, & Regularem An. 1334. in pervigilio *S. Jacobi* occaſione populi parochiani *Pragæ*, & in toto Regno exortas, lites attemperavit quas alii Eccleſiaſtici, ac Religioſi dictionibus ad vulgum multùm exaſperaverant. Eruditionis, ac eloquii dotibus Epiſcopi, ac Regis gratiam comparavit. Scripſit *Cronicam Pragenſem*, de qua ſuprà, ubi per plures paginas *Religioſorum* lites, & enatas inde in templis ſanguinum effuſiones enarrat.

UDALRICUS à PABIENICZ, Decretorum Doctor *Pariſienſis* (quæ literaria dignitas etſi hodie quibusdam) ſed iniquis rerum cenſoribus (quasì nobilitatem dedeceret, vileſcere incipiat, illis tamen ſæculis, ac modò virtutem colentibus ſumma ſemper eſt viſa) Scholaſticus *Pragenſis*, & Concionator facundiſſimus, ob doctrinæ, & eloquentiæ dona à *Joanne Rege* legatione ad Pontificem an. 1332. honoratus.

NICOLAUS WOLFFLINI, Magiſter in ſacra pagina ſtudii *Pariſienſis*, *Joannis VVolfflini* Civis *Vetero-Pragenſis* filius plurimas perorando palmas promeruit, quibus evectus ad Decanatum Pragenſem an. 1334. §. M. THOMAS, Magiſter in ſacra pagina Pariſienſis, director ſpiritualis ſanctimonialium ad

D. Georgium, & concionator verbi DEI in Eccleſia *S. Viti* multùm celebris. Exantlati ſacræ eloquentiæ labores eum tandem ad Eccleſiæ Pragenſis Archi-Diaconatum, ac Summi Pontificis *Benedicti XII.* Capellanatum evexêre. Ejus memoria extat in *Archiv. Monaſt. Aul. Reg. Ord. Ciſterc. ad An.* 1336.

ARNESTUS à PARDUBITS Licentiatus in *decretis* Bononienſis, Canonicus *Pragenſis*, & an. 1338. electus Decanus, tandem *primus Archi-Epiſcopus Pragenſis*, ſummus Concionator, à cujus cæleſti facundia Pragena civitas admirabunda pependit. In deliciis *Caroli* IV. Imp. coram quo dum dixit, unum (ùt ait vitæ ſcriptor) erat concionum argumentum: *Reges bonos à DEO defendi, malos pœnis involvi. Regna à DEO dari, & auferri. Reges adverſis probari. Archiv. Capit.* De peritia linguæ Teutonicæ, qua perorando pollebat, plura habet *Hagek. fol.* 337. Exiſtens Archiepiſcopus inter ſumma Diœceſis, & aulæ negotia, verbi tamen DEI prædicationem non intermiſit, imò paulò ante mortem adhuc verba ſalutis ad populum fecit, prout vitæ ejus ſcriptor *Wilhelmus* ab *Hazmburg*, Decanus Wiſſehradenſis *MS. membran. Cod.* Bibliothecæ Eccleſiæ Prag. literis uncialibus, diligenter adnotavit: *Sub anno Domini M CCC LXIIII. Venerabilis Pater Arneſtus die ſancto Pentecoſtes facto ſermone vulgari ad populum, ipſiúsque feſti ſacris miſſarum celebratis ſolemniis mox febrium ſupervenientium atrocitate gravatur &c. ſe jubet in caſtrum Rudnicz languidum deportari &c. & non ſinè magna devotione, cordísque contritione animâ in DEI manibus commendatâ, die ultimâ menſis Julii, quæ fuit dies Dominica, in feſto Commemorationis S. Pauli Apoſtoli horâ quaſi completorii feliciter obdormivit.*

BUSCO, filius *Leonardi*, Baccalaureus in decretis, Archi-Diaconus *Curimenſis* & primus director fabricæ decenniô è cathedra *S. Viti* ad plebem dixit. Obiît an. 1350. Figura ejus lapidi inciſa, & antiquô capitio Canonicali ad morem veterum obtecta ſpectatur in pergula Eccleſiæ cum inſcriptione:

Buſco Archi-Diaconus Curimenſis, Canonicus Pragenſis, primus fabricæ director, Obiit An. M CCCL.

Pro celebrando anniverſario in refrigerium animæ ſuæ dedit *Capitulo & Eccleſiæ Pragenſi* duas ſexagenas redituum annui & perpetui censûs in & ſuper bonis, & curia dicta *Odranecz* in villa *Booskovv*.

JOANNES PADWAN, Doctor decretorum *Bononienſis Can. Prag.* doctrinâ & eloquentiâ excellens, diebus Dominicis verbum DEI explicuit in *Eccleſia Pragenſi*, diebus verò recollectionum verba habuit ad Virgines ſacras Parthenonis *S. Georgii*, earum ſpiritualis director. Ejus operâ & ſtudio antiqua Capituli ſtatuta renovata ſunt an. 1350. die 18. *Novembris*.

Circà hoc tempus ſtudii, doctrinæque excellentiam coronata *Caroli IV.* Auctoritas, ùt plurimâ decoravit majeſtate, dum relictâ cænâ Regali doctorum exercitamenta, non modò auſcultavit, verùm & auctis præbendis Canonicalibus *Eccleſiæ S. Viti* ſub aureæ bullæ typario ſancivit: „ ut ad Canonicatus iſtos „ (ſunt verba bullæ) „ perſonæ idoneæ, velut Doctores, Licentiati, aut „ ad minus Baccalaurei in ſacra pagina, aut decretis dicti Regni noſtri „ Bojemiæ vel incorporatarum ac „ hæreditariarum Provinciarum incolæ, futuris perpetuis temporibus eligantur. Et potiſſimùm ii, „ qui Conſiliarii Archiepiſcopi Pragenſis propter ſingularem doctrinam, probitatem, & pietatem „ eſſe poſſint. Dat. Pragæ an. 1352. „ Indict. quintâ, ſeptim Id. Januar.

„Regnorum noſtrorum annô ſextô. „Per Dominum Regem Weliſlaus „Prag. Can.

NICOLAUS HOLUBEK, Doctor *Bononienſis* prædicator verbi divini poſt *Buſconem*, quem etiam in directione fabricæ ſecutus fuit. Spectatur ejus effigies veteri Canonicali cappa obtecta, ſaxo inciſa, in pergula *Eccleſiæ Metropolitanæ* cum inſcriptione: „Nicolaus dictus Holubek „Canonicus Pragenſis, ſecundus „Director fabricæ Pragenſis hic obiît anno Domini 1355.

PLICHTA, Baccalaureus in decretis, *Scholaſticus Pragenſis*, octo annis è ſuggeſtu *S. Viti* ad Concionem dixit, dein electus Decanus. Virtute & facundiâ multùm commendatus *Carolo IV. Imp.* qui eidem conceſſit, ut in *caſtro Pragenſi* ad muros arcis (quod erat ſingularis gratiæ privilegium) ædificare queat domum ſuam, nec non feneſtras in arcis muro facere, & alia ſibi commoda ibi conſtituere. Ex *Caroli reſcript. dat. Wratiſlaviæ An.* 1358. 4. *Cal. Decembr.* De eo in *Regiſtr. fund. Alt. fol.* 48. *Dominus Plichta Scholaſticus Prag. dedit. XVIII. Sexag. cum XXX.* &c. *census annui in villa Donin pro Altari S. Urbani in Eccleſia Pragenſi cum judicio & pleno dominio.*

WRATIWOGIUS dictus MLYKOWICZ Decanus *Pragenſis*, filius *Cztiborii*: HENRICUS THESAURI, Magiſter in ſacra pagina, & NICOLAUS de CREMSYR, *Joannis Militii Cremſyrienſis*, & Archidiaconi, *Pragenſis* itidem prædicatoris celeberrimi patruelis, dictione verbi divini è ſuggeſtu *Pragenſi* plurium annorum fructum à populo collegerunt. *Wratiwogius* dictionis autoritate plurimùm valuiſſe commemoratur. Fit eorum mentio ad an. 1358. & 1363.

ADALBERTUS RAUCONIS in ſacra Theologia, & artibus Magiſter *Pariſienſis*, Scholaſticus *Pragenſis*, & Concionator Aulicus *Caroli IV. Imp.* pari facundiâ ac doctrinâ præſtans, in vita MS. *Joannis Militii*, *Vir nimiæ literaturæ*, ob ſtudii videlicet & ſcientiæ excellentiam appellatus, munus ſuum ultrà decennium coram Imperatore *Carolo* & aula ejus fructuosè & laudabiliter perorando protractum reſignavit, ſubſtitutus.

S. JOANNES à POMUK, Magiſter in ſacra pagina, & decretorum Doctor *Canonicus Pragenſis*, Reginæ *Joannæ* Confeſſarius, & *Wenceslai* Regis Eleemoſynarius. Cœleſtem *Joannis* in dicendo gratiam, & artes concionum, quibus populus admirans tenebatur, & ratione, & voluntate victa movebatur, jam ſupra vidimus. Divina ejus ad populum oratio citharæ videtur fuiſſe perſimilis, quam peritiſſimus artifex canendi percurrit. Nam eadem ſæpe chorta, varietate maxima, nunc acutum, nunc gravem, nunc altiorem, nunc varium edit ſonum, ſic *Joannis* mens, & lingua ut plectrum tot inter ſcientias, velut inter chordas oberrans mira arte tangebat omnia, & ex omnibus, quòd maximè conſonaret, nôrat eligere. *Mel & lac ſub lingua ejus.* quam ſententiam ad ſacros oratores *S. Greg. Nyſſenus hom. 9. in cant.* accommodat, quorum auditores, ut columbæ in canticis, lacte lavantur, melle reficiuntur. Nimirum tot, tantisque ſcientiarum præſidiis excultum pectꝯ tam divinis, imaginibus, & ideis ornata mens, quid aliud, quam ſapientiſſimos, ſanctiſſimósque partus proferret. Et inde, dum *os ſuum ſapientiæ aperuit*, & *lex clementiæ in lingua ejus verſata eſt*, ſtupendo illum DEUS miraculo illuſtravit, ſacrâ linguâ incorruptione indutâ. Circa an. 1387. officium prædicationis exercuiſſe invenio *M. Adam de Neczetiz.*

M. ADAM

M. ADAM de NECZETICZ, decretorum Doctor,& Archi-Diaconus *Pragenſis*, Vir à literarum ſcientiâ, ac facundiâ magnus. An. 1406. Vicarius Generalis in ſpiritualibus, & Officialis, tandem & Archi-Epiſcopatûs Adminiſtrator. Sacrorum Canonum peritiſſimus, ac editâ lecturâ in quartum decretalium clarus, conditô teſtamento *Eccleſiæ Pragenſi* in uſum Archi-Diaconorum *Gradicenſium* legavit magnam domum in *Hradczano*, additô parvô onere, die anniverſario obitûs ſui duas ſexagenas groſſorum *Pragenſium* ad Eccleſiam ſolvendi. Alteram domum priori contiguam tranſcripſit Canonico præbendato *Eccleſiæ Pragenſis*, adjunctô itentidem modico onere, die anniverſaria obitûs Priori, & conventui monaſterii fratrum *Carthuſienſium* propè *Pragam* duas ſexagenas groſſorum minus 10. groſſis pendendi in eorundem fratrum ipsô die meliorem ſuſtentationem. Super eleganti prorſus, & manuſcriptis rariſſimis referta Bibliotheca plurima etiam diſpoſuit: inter reliqua *Manipulum florum* videlicet librum ità dictum fratribus *Cæleſtinorum* Eccleſiæ *S. Michaelis* in *Praga* propè *Wiſſehrad.* Librum *ſcholaſticæ hiſtoriæ* Præpoſito, Priori,& Conventui Monaſterii *Canonicorum Regularium* in *Rokyczana* an. 1414. die 3. *Jan.* Codex fundationum memoriam quoque Adami poſteritati commendat: „ Altare Vi„ cariorum & Miniſtrorum frater„ nitatis dotatum per Adam, decre„ torum Doctorem, & Adminiſtra„ torem Archiepiſcopatûs Pragenſis „ XV. ſexag. groſſ. quæ venditæ ſunt „ in Vinarzicych Domino Burgan „ pro CCL. flor. Ungar. ex oppoſito „ turris ~~novæ~~, ante quam ipſe re„ quieſcit. In quo altari tenentur „ legere XV. miſſas, & providere „ ſemper de luminibus, & emptæ „ ſunt VII. ſexag. cenſûs in Rabange „ villa, & Borek villa circa Gylo„ vva. „ Fundavit item XX. ſexag. cenſûs pro duobus ſtudentibus, uno Theologiæ, altero juri Canonico, ſub ſeveriſſima tamen interminatione, nè ullus ad hanc fundationem ſuſcipiatur, qui de ſecta *Wiklephiſtica* (en *Huſſiticæ* hæreſeos initia) ſuſpectus ſit. *Ex original. Archiv. Cap.* Epitaphium lapidi porphyretico ante aditum portæ *S. Sigismundi* inciſum nuper ædificiô novæ cryptæ an. 1720. translatum ità ſonat;

Magiſter Adam de Neczeticz,
Doctor decretorum hic ſepultus.

SÆCULO QUINTO DECIMO.

AD initium ſtatim hujus ſæculi Eccleſiæ Metropolitanæ verbi DEI prædicatione abundanter proviſum fuit. Ultra Canonicos enim, qui ordinariam totius anni S. Evangelii lectionem per Dominicas & feſta matutinô tempore plebi exponebant, alii adhuc duo prædicatores de ſtatu Eccleſiaſtico à Nobili Domina *Catharina* nata *Wrabskiana Conradi Kappler* de *Sulevvicz* vidua an. 1400. & 1402. fundati fuère, qui ſingulis feriis adventûs, & quadrageſimæ, ac Dominicis,& Feſtis poſt prandium Chriſtianæ doctrinæ myſteria populo explicarent. Primi recenſentur *Nicolaus de Rakonik* & *Beneſſius* de *Oſtromierz* Presbyteri Eccleſiaſtici. *Lib. 6. Erect. M. 4. & S. 6.* Erat verò id apprimè eo tempore animarum ſaluti neceſſarium, velut ad *Wiklephiſticæ* hæreſeos fataliter tunc in *Bohemia* ſeminatæ primordia.

JAROSLAUS RACZESSIN ad *S. Vitum* laudatus verbi DEI præco ſæculo priori finem, & præſenti initium facit. Commendatur poſteritati è veteris codicis theca: „ An. Dom. 1403. in die S. Margarethæ 4. Cal. Julii obiit Venerabi„ bilis Dominus Jaroslaus Raczeſſin decretorum Doctor, Canonicus „ Pragenſis, & Concionator egre„ gius, qui ob remedium ſuæ, & ſuo„ rum parentum animarum compa-

„ravit, ac emit, ſex ſexag. groſſ. „cenſûs annui, & perpetui pro Ec-„cleſia Pragenſi in villa Vidinievves „propè Slanam.„ Ejus ſynchronus & homonymus.

JAROSLAUS de KLINSTEIN, Licentiatus in decretis,& Concionator in Eccleſia *S. Viti* valde celebris. *Wenceslai* pigri carceribus an. 1393. poſt ſubmerſionem *Johanconis* Vicarii toleratis pro juſtitia insignis. Vir ſanctimoniâ vitæ, veritatis amore, ac dicendi libertate veteribus commendatus, adverſùs enaſcentem *Huſſi* hæreſim Αδαμάντινος. *Jaroslai* eloquentiam & doctrinam *Huſſus* pertimeſcens, quosdam, qui peroranti in Eccleſia *S. Viti* publicè obſtreperent an. 1412. ſubornavit. *Hagek. fol.* 369. Sequitur,& in carceribus Wenceslainis, & munere concionandi ſocius.

JOANNES KBELL, decretorum Doctor, Vicarius Generalis in ſpiritualibus *Zbinconis* Archiepiſcopi, controverſiſticis dictionibus adverſùs *Wiklephi* hæreſim, omnibus *Huſſum* olentibus Αρχιδάμος. Cum Doctore *Marco de Praga* Canonico *Pragenſi*,& tunc Rectore *Univerſitatis Pragenſis* confutavit *Huſſum* an. 1412. in collegio Carolino indulgentias Pontificias ſugillantem, de quo narrat *Hagek. fol.* 369.

BOHUSLAUS de KRNOVIA & JOANNES de KRALOWICZ. Ambo decanali munio admoti, diſputationibus, & concionibus contra *Huſſi* zizania, & toleratis inde an. 1415. *Zitaviæ* exiliis poſteritati meritò commendandi, & celebrandi.

MICHAEL de PACEST, aliàs etiam *de Prieſt*, decretorum Doctor è prædicatore *Eccleſiæ Pragenſis Sigismundi Imperatoris* Cancellarius. vide *Bernard. à Mallenkrot. de Cancellar. Imperial. & Not. Jacob. Wenker.* Turbatiſſimis *Huſſi*, *Ziſcæque* temporibus *Sigismundum* conſiliis juvabat. Subſcriptus legitur in literis *Sigismundi* ad conventum *Czaſslavienſem* an. 1421. *Ad mandatum Domini Regis Michael. Can. Prag.* Obitum ejus ex analectis *Sſindelianis* 5. *Id. Aug.* adnotavit *Lupacius. A. D.* 1434. *obiit Reverendus Presbyter Michael de Paceſt Pragenſis Eccleſiæ quondam prædicator.*

ANDREAS de BRODA, & STEPHANUS PALETZ Plebanus antea, ad a. 1410. Eccleſiæ in *Curtim*, Doctores, & Profeſſores ſtudii *Pragenſis*, & Canonici *S. Viti* ſermonibus ad populum,ac editis etiam ſcriptis in faucibus *Huſſitarum* perpetuò amareſcunt. Rectè duo teſtes veritatis, Athledæ fidei. Columnæ Eccleſiæ. Quod illi *Huſſo*, id *Joannes Ekius*, & *Joannes Cochleus Luthero*: ſcilicet enaſcente morbo DEUS dat pharmacum. Extat in Bibliotheca *Capituli* Manuſcriptum *M. Joannis Huſs* contra *M. Stephanum Paleczˌ*, quod incipit: *Quia Magiſter Stephanus Paletz, Doctor Theologiæ, olim amicus meus, & ſocius præcipuus, nunc verò captioſiſſimus adverſarius &c.* Per idem tempus *Canonici Pragenſes* odio Catholicæ fidei ab Eccleſia *S. Viti* in exilium acti,partim *Zittaviæ*, partim *Plſnæ*, ac *Budvicii* ſtationem figebant, Huſſitarum rabie præbendis ſpoliati, ac bonis exuti, dicentes cum *S. Paulo*: *Spectaculum facti opprobriis,& turbationibus,rapinam noſtrorum bonorum recipimus cum gaudio, cognoſcentes nos habere meliorem & manentem ſubſtantiam Hebr.* 10. non intermiſerunt tamen prædicando verbum vitæ ſpargere, ac quidem

JOHANCO de DUBA, decretorum Doctor, & Decanus *Capituli Pragenſis*, Adminiſtrator etiam Archiepiſcopatûs, munere prædicationis eminuit, vi ſuæ doctrinæ Huſſiadum deliria reprimens, ac editis ſermonibus in anni dominicas, & feſta Sanctorum, qui extant manuſcripti in Bibliotheca Capituli, Catholicum populum egregiè

giè roborans. Circa an. 1435. *Joannem* ſecutus

PROCOPIUS de KLADRUB, SS. Theologiæ Doctor, electus in Decanum *Pragæ* an. 1442. at diuturnam ibi ſubſiſtentiam non habuit. Dum enim veritatis fulgorem verbi DEI prædicatione in *Eccleſia S. Viti* undique ſparſum lippientes *Huſſiticæ* plebis oculi ferre non poſſent, *Procopium* cum *Capitulo Pilſnam* proſcripſerunt, ubi ille velut in *Catholicorum Troja* audentiori ſpiritu ſacræ prædicationis ſagittas eminus,cominúsque emiſit.

JOANNES PAPAUSEK, divinâ, humanáque ſapientiâ excultus, S.Theologiæ Magiſter in *Univerſitate Pragenſi*, præter Philoſophiam, ac etiam Theologiam Matheſi, ibi famâ celeberrimâ auditores erudivit. *Sigismundus Cæſar* effugo *Regino-Hradecium Rokiczano*, qui,ùt hæreticorum mos eſt,concionibus plebem in Cæſarem moverat, *Joannem Papauſſek*, Eccleſiæ *Teinenſi* inſtituente *Philiberto Conſtantienſi Epiſcopo*, *Pragenſis* per ea tempora *Archiepiſcopatûs* Adminiſtratore an. 1437. ſacrorum Præſidem effecit. In ea ſtatione *Joannes* inſigni pietate, zelo, & ſolertiâ undecim annis ſacri oratoris vices ſuſtinuit. Præter excellentem doctrinam vividâ Slavicæ linguæ eloquentiâ multùm pollens, plebem *Rokyczanæ* deliriis corruptam, in viam meliorem, & ad Eccleſiæ Catholicæ gremium ſenſim reducebat. Doctrinæ correſpondit vita exemplaris, & ab omni ſæculi inquinamento illibata. Propterea ab *Huſſitis* innumeras calumnias, inſidiásque odiô fidei perpeſſus. Spiritu prophetiæ paſſim etiam clarus creditur, qui diſtantia ſæpe longiſſimè cum vero prædixiſſet. Unum è primis, tum ſcilicet poſt diuturna bella pacem *Bojemiæ* ſuperventuram ex inſperato, quando *B. Agnetis* ad *S. Franciſci Pragæ* oſſa è terra eruentur. Quod omnino evenit. Brevi poſt *Joannes* exiliô, ſed in Chriſti, fideique cauſa glorioſè fuit calamitoſus. Poſteaquam enim *Georgius à Podiebrad* fautor *Rokyczanæ*, ipsâ nocte ſuper *feria III.* poſt *feſtum S. Egydii*, quod in Dominicam inciderat, an. 1448. *Pragam* occupâſſet, ac *Mainhardum de nova domo*, Pro-Regem *Bojemiæ* captivâſſet, die 10. *Septembris*, pulsô *Joanne Paupuſſek* Eccleſiæ *Teinenſi Vetero-Pragæ* præfecit *Regino-Hradecio* reducem *Rokyczanam*. Annis proinde aliquot *Novæ domi* apud filios *Mainhardi* exilium toleravit. Cujus meminit *Æneas*: *Rokyczanæ Eccleſia Papauſſeconi bono & docto Viro commiſſa eſt, quem nos poſtea exulem perturbatis iterum rebus in nova domo vidimus.* *Canonici Pragenſes*, nè tam præclarus, & in Eccleſia bene meritus Vir, calamitatibus exilii, ac *Huſſitarum* inſidiis interiret, eundem ad ſuum gremium, præbendámque Canonicalem circa an. 1450. adlegerunt. Repetiit igitur *Papauſſek* pari laude, ac ſolertiâ ſtationem Concionatoris *Pragæ* in ſuggeſtu *S. Viti*. Memoriam ejus inveni in aliquot locis, & præprimis in inſtrumento credentiali, quod Capitulum die 15. *Jan.* an. 1455. dedit *Wenceslao de Krumlovv*, decretorum Doctori, Decano, ad viſitandum, & conſpiciendum res & clenodia *Eccleſiæ Pragenſis*, depoſitas apud Priorem, & conventum monaſterii montis *Spoleti*, alias *Oyvvin Ordinis Fratrum Cœleſtinorum*, ubi inter cæteros ſubſcriptus *Papauſſek* tali ordine: *Joannes Decanus Eccleſiæ Wiſſehradenſis*, *Nicolaus de Usk*, *Archi-Diaconus Zatecenſis*, *Martinus de Lompnicz*, *Magiſter fabricæ*, *Nicolaus Dethyus*, *Archi-Diaconus Bilinenſis*, *Joannes Bathovv*, *Archi-Diaconus Plznenſis*, *Magiſter Joannes Papauſſek*, *Præpoſitus Litomericenſis*, *Canonici præbendati Eccleſiæ Pragenſis.* Aderat etiam cum cæteris Canonicis Coronationi *Ladislai* Regis, quæ die 29. *Octobr.* an. 1453. in *Eccleſia Metropolitana* ſolemni ritu peracta

 erat,

erat, quam dein ſpeciali tractatu Slavicè conſcripto poſterorum memoriæ commendavit. Exactis in exilium Capitularibus, ille *Litomericium* ſe recepit, ubi à *Ladislao* Rege Præpoſiturâ collegiatæ Eccleſiæ ad *S. Stephanum* honoratus erat, ac etiam ibi finem vitæ, & locum ſepulchri accepit. *Vetus temporum Codex* (ait *Cochl. Hiſt. Huſſit. lib.* 10. *fol.* 359.) *affirmat eum Litomericii ut Præpoſitum obiiſſe an.* 1455. *in feſto purificationis B. V.* Epitaphii memoriam, ut aliorum Præpoſitorum *Litomericenſium*, quadraginta aut paulò amplioribus annis poſt funus fortuiti incendii edacitas abolevit. Sed lux, temporum hiſtoria, hunc doctrinâ, ſanctitate, & præclaris in Eccleſiam DEI meritis inclytum Virum, nullis retrò ſæculis ſinet eſſe obſcurum. Hic non prætereundus

JODOCUS à ROSSIS, Præpoſitus Pragenſis, & Epiſcopus Wratislavienſis, qui talentum prædicandi verbum DEI in Canonicatu Pragenſi excultum, in Epiſcopatu quoque non defodit, ſed dum per imperitiam linguæ Teutonicæ ad concionem dicere non valeret, latinè dixit, veteri ſcriptura indice apud *Paproc. de Famil. Roſ. fol.* 35. „Jodocus ſive Joſtus ex præclara familia dominorum à Roſenberg, „filius Domini Ulrici à Roſis, Epiſcopus Wratislavienſis, obiit Niſſæ, an. 1467. ex nephritide, & „Wratislaviæ in æde divi Joannis „Baptiſtæ ſepelitur. Is cùm Germanici idiomatis minùs eſſet peritus, latinâ linguâ conciones in ſuo „templo habuit.

WENCESLAUS de KRUMLOW, & HILARIUS à LITOMERICZ, decretorum Doctores munio prædicationis & Decanatûs ſe invicem ſecuti, controverſiarum in *Huſſitas* acies ſui temporis Σἐᾶγγοι prædicatione, ac ſcriptione in *Rokiczanam Huſſitarum* Pontificem inſigniter meriti. Et uterque ab editis controverſiarum libris orbi literato noti. Extat in Bibliotheca *Capituli* codex MS. qui inter reliqua prolixum continet tractatum ab *Hilario* Decano compoſitum ſic exordientem: „Tractatus Catho„licus triumphalis pro ſacratiſſima, „orthodoxa Communione unius „ſpeciei fidelibus populis per docto„res Eccleſiæ Pragenſis contra tra„ctatum Adverſariorum Eccleſiæ „DEI editus incipit feliciter.

„Cùm jam pridem pro veritate „fidei Catholicæ coram magnatibus „Regni Bojemiæ inclytiſſimis ex „adverſo Rokyczanæ, & ſuorum „ſtetiſſemus non periti de ea, quæ „in nobis eſt, fide, omni poſcenti „reddere rationem. Stetit & ille „ſola manu ſæculi armatus &c.

Abſolutis triginta tribus Capitibus in fine legitur: „Finit tracta„tus contra perfidiam aliquorum „Boemorum compoſitus an. 1465. „ſedem B. Petri tenente Paulo II. „& Imperante Friderico Duce Au„ſtriæ. Impreſſus autem Argen„tinæ an. 1485. finitus in die SS. „Mart. Viti & Modeſti. „ vide *Seriem Decanorum.*

WENCESLAUS KRZICZANOVVSKY, Canonicus *Pragenſis* cum *Hilario* Decano *Rokyczano* Μάςιξ vi eloquii protrivit *Rokiczanæ* inſanias circa an. 1462. & ſeq. Vir magnæ lectionis & ſcriptionis. Teſtatur theca MS. Codicis Capit. „Do„ctor VVenceslaus de Krziczanovv, „Præpoſitus omnium Sanctorum „in caſtro Pragenſi, Prædicator Ec„cleſiæ Pragenſis hunc librum pro„priâ manu ſcripſit, & legavit Eccle„ſiæ Pragenſi.„ Et aliud MS. membran. „Dominicâ ante car„nis privium Doctor Krziczanovvs„ky concionatus eſt contra articulos „Pragenſes, & Rokiczana voluit ei „ſupponere venenum.

JOAN-

JOANNES AUTERI, SS. Theol. Magiſter & Præpoſitus omnium Sanctorum, VVENCESLAUS HEYDIS de *Telcz* Plebanus, & Tumbarius *S. Adalberti*. ISIDORUS ab HOSTAUN, decretorum Doctor circa an. 1470. & ſeq. eloquentiâ ſacrâ commendatiſſimi. *VVenceslaus* duodecim annis pari fructu, ac ſolertia verbum DEI in templo *S. Viti* expoſuit.

VALENTINUS VVLK, concionator, & acer hæreticæ pravitatis cenſor an. 1483. à tumultuante *Huſſitica* plebe ad necem quæſitus.

VVENCESLAUS a PLANA, (Decanus dein *VVISſehradenſis*, ubi autem non reſedit) in cathedra ſecutus, non minorem prioribus laudem promeruit, promicat è vetuſtate memoria: „Egregius Dominus de- „cretorum Doctor VVenceslaus de „Plana, Archi-Diaconus & Con- „cionator *E*ccleſiæ Pragenſis an. „Domini 1488. feriâ ſecundâ ante „S. Georgii feſtum, ſepultus ante Ca- „pellam S. VVenceslai. Requie- „ſcat in pace.„ in theca oper. *Baldi* I. C. *Bibl. Capit.*

JOANNES ANDREÆ *Tynhorſſovienſis* poſteà Capituli Decanus. De eo MS. Codex. *An.* 1492. *die* 8. *Martii* „electus eſt in canonicum, & „concionatorem Pragenſis *E*ccleſiæ „(poſt liberam reſignationem Hon. „Domini Auguſtini de Ponte aliàs „Prix) unanimi conſenſu penſatis „curæ animarum laboribus, & atten- „tis vitæ, & ſcientiæ meritis, quibus „in ſcholis Pragenſis *E*ccleſiæ orna- „tiſſimè inſudavit, Ven. Vir Domi- „nus Joannes Andreæ de Tyn, ar- „tium Magiſter, & inſtallatus per „Varii ſeu Almucii, & Bireti tradi- „tionem in præſentia Ven. Virorum „Domini VVenceslai de Plzna, „Scholaſtici, Magiſtri Joannis Au- „teri, Præpoſiti omnium Sanctorum „Domini Jordani de Tachavv, Ca- „nonicorum *E*ccleſiæ Pragenſis per „Hon. Virum Ambroſium de Plzna, „Decanum S. Prag. *E*ccleſiæ artium „Magiſtrum.„ Hæc ibi.

Agmen ſæculi decimi quinti claudant JOANNES HERTENBERGER, *Cubitenſis*, & JOANNES de MISSA, ex *R*ectore *E*ccleſiæ Parochialis *S. Galli* Canonicus *Pragenſis*, qui circa an. 1497. *Pragenſem* populum virga oris ſui à mundi vanitatibus ad cælicam ſapientiam traduxêre. Et poſterior quidem *oratoris aurei*, & nomen, & meritum tenuit. Compoſuit item librum *de bono ordine moriendi*, qui à doctis probatur, & MS. in Bibliotheca Capitulari proſtat.

SÆCULO DECIMO SEXTO.

AB Huſſæis turbis, & exilii calamitatibus aliquantum reſpirans *Eccleſia Pragenſis*, nihil antiquius habuit, quàm probatiſſimæ vitæ, & eloquentiæ verbi DEI præcones adlegere, qui dominantem *Huſſi* hæreſim, & enata inde in populo vitiorum carcinomata refringerent. Primas damus alicui Canonico cognomine *Kapp*, prænomen incuria vetuſtas abolevit, is circa initium ſæculi decimi ſexti in templo *S. Viti* ad plebem dixit, memoriam ſui tranſcripſit, in fronte libri Naturale dicti: „An. 1511. finem vitæ ſuæ clauſit „honorabilis Vir Dominus Kapp de „nova domo Canonicus, & Con- „cionator Pragenſis Eccleſiæ, & „hoc volumen pro Eccleſia Pragenſi „in ſalutem animæ ſuæ legavit.„ Eum ſecuti

NICOLAUS HAUSKA, juris utriusque Doctor, qui à veteribus eloquii ſuavitate celebratur.

THEODORICUS de TANDORFF, Magiſter ſacræ Theologiæ, *S*cholaſticus, GEORGIUS de PLANA, & SIMON DUCHKONIS

NIS tempore *Joannis Andreæ* Decani ad an. 1512. & ſeq. ſacræ Rhetoricæ præſtantiâ, poſteritati commendantur.

WENCESLAUS de WOLFENBURG, poſteà *Capituli* Decanus, dictionis autoritate, & veritate audaciam fregit *Galli Caberæ* ad Eccleſiam *Teinenſem Rokyczano* ſubcenturiati. vide *Seriem Decanorum.*

MAGISTER NICOLAUS, *Eccleſiæ Pragenſis* Archi-Diaconus *Tynhorſſovienſis*; Extat MS. memoria ad an. 1514. „ M. Nicolaus, Archi-„ Diaconus Tynhorſſovienſis in of-„ ficio Concionatoris ad Eccleſiam „ Pragenſem per 16. annos fideliter „ laboravit, licèt ſæpiùs paſſus ſit „ perſecutiones propter juſtitiam „ ſanctam à Generoſo Domino „ Georgio N. N.

JOANNES GOBACENUS, artium Magiſter, Canonicus, & Prædicator *Eccleſiæ Pragenſis.* Obiit 10. *Novembr.* an. 1531. Elogium ſepulchrale *M. Hieronymus Gobacenus à Gobace* antiquæ *Civitatis Prag.* Conſularis Frater Germ. poſuit:

Floruit hic magna quondam pietate ſacerdos
Quem modò juncta tenet, chare viator humus.
Pinguibus eſt pulchræ Maucivæ natus in arvis
Multavios docuit cælica ſacra Patres.
Vivere plura ſatis dignus tibi ſæcla fuiſſent
Mutâſſet ſummus ſi ſua fata DEUS.

Doctor NICOLAUS HULKA *Wratilovienſis*, cujus epitaphium propè S. Sigismundum cum *Sigismundi Crocotii*, itidem prædicatoris emeriti legitur, ùt ſequitur:

Doctor Nicolaus Hulka de Wratilow Concionator, & Scholaſticus hujus Eccleſiæ tertiâ Junii obiit an. 1539.

Item.

An. Domini 15. *die* 30. *Martii obiit Reverendus Pater, Doctor, Sigismundus Grocotius Boleslarienſis, Archi-Diaconus Eccleſiæ Pragenſis, ſub hoc marmore ſepultus eſt. Orate pro anima ejus.*

BLASIUS KREMER de *Plana*, Artium Baccalaureus, Cantor *Eccleſiæ Pragenſis*, & Cuſtos *Wiſſehradenſis* ultra annorum decadem in exponendo plebi evangelio ad *S. Vitum* impendit. Vir devotus ac exemplaris, ſicut plebi dixit, ità vixit. Magnus Benefactor *ordinis Seraphici* participationem operum, & meritorum ſpiritualium per fratrem *Antonium de Lypczig* Provinciæ *Bojemiæ* & *Moraviæ* Vicarium donatus. *S. Barbaram V. & Marty.* totâ vitâ ſpeciali cultu in patronam boni agonis devovit, ante cujus altare in *Eccleſia Pragenſi* oſſa ſua mortuus depoſuit textu indice:

Blaſius de Plana Canonicus Pragenſis, & Cuſtos Wiſſehradenſis an. 1531. *protectio S. Barbaræ.*

ADALBERTUS SCHOLASTICUS & JOANNES PRONEHOW, SS. Theologiæ Licentiatus, Canonici, & Prædicatores *Eccleſia Pragenſis* an. 1545. per idem tempus.

SIMON FLAGELLUS VILLATICUS *Rokyczanenſis* Archi-Diaconus

conus *Pragenſis*, Decanus *Wiſſehradenſis*, & Præpoſitus omnium Sanctorum, Poëta, & Orator extemporaneus, dictionum ſuarum energeticis demonſtrationibus percelluit auditorium, ut compunctum ſæpè ad virtutem anhelârit. De eo *Joſias Simlerus* in Biblioth. *fol.* 629. impreſſ. Tiguri An. 1574. *Simonis Flagelli Villatici Boemi opuſcula Lipſiæ excudit Nicolaus Wolrab* an. 1538. *De cœna Domini conciones tres. Hymnor. lib.* 1. *Epigr. lib.* 3. *Tumulorum lib.* 1. *Diſtichorum lib.* 1. Obiit an. 1549. lapſus per infortunium è ponte pulverulento caſtri *Pragenſis*, ſepultus ad *S. Benedictum* in *Hradezano.*

JOANNES à PUCHOW, SS. Theologiæ Doctor. HENRICUS SCRIBONIUS, J. U. D. uterque eloquiô clariſſimus. Prior ab edita *Coſmographia Ferdinando I. Rom. Imp.* an. 1554. dedicata, alter ab editis orationibus è ſuggeſtu Metropolitano ad pedilavium dictis, doctrinæ, ac facundiæ meritis noti. Rerum ſacrarum cura, & ſupellectilis Eccleſiæ poſt illud fatale *Caſtri Pragenſis* incendium reſtaurandæ zelus, quem *Henricus* cum toto *Capitulo* geſſit, eliquet è *membraneo Kyriario* chori Pragenſis: „ Annô à verbô incar„nato 1541. die 2. Menſis Junii S. „Metropolitana Eccleſia Pragenſis „permiſſione divinâ per nunquam „ſatis impiandam ignis voraginem „miſerrimè combuſta eſt non ſi„nè maximo ejusdem Eccleſiæ ſup„pellectilis diſpendio, utpote cle„nodiorum, ſacrarum veſtium, im„munitatum, fundationum, Alta„riorum, & aliarum id genus rerum „pretioſarum, potiſſimùm libro„rum, cantilenarum, quas vulgò „vocant pſalteria, gradualia, an„tiphonalia &c. Tandem an. Dom. „1552. ſub Pontificatu Sanctiſſimi „in Chriſto Patris, & Domini, Do„mini Julii Papæ III. annô Pontifi„catûs ejusdem ſecundo. Imperante „Glor. Carolo V. Rom. Imp. Invi„ctiſſimo, & regnante potentiſſimò „Rom. Imp. Hung. & Bojemiæ Re„ge Ferdinando Principe Catholico „Reverendi, ac Venerabiles Patres, „& Domini, Henricus Scribonius „alias Piſſek, J. U. Doctor Præpoſi„tus, Valentinus Han Mizenus De„canus, Joannes Puchovv, Archi„Diaconus, Laurentius Tynenſis „Scholaſticus, Joannes Przeſticen„ſis Capellæ omnium Sanctorum „Præpoſitus, Joannes Maſſcioven„ſis, Sigismundus Boleslavienſis, „Wenceslaus Tremberg, Henricus „Platenſis, Prælati, & Canonici me„moratæ Eccleſiæ Pragenſis tunc „reſidentes, præſentem librum in „DEI Optimi Maximi laudem & „honorem, ac SS. Patronorum Viti, „VVenceslai, Adalberti, quinque „fratrum, Procopii, Ludmillæ „gloriam partim ſuis propriis im„penſis, partim aliorum piorum „Catholicorum ſubſidio de novo „conſcribi, & reſarciri fecerunt. Sit „laus & gratiarum actio Altiſſimo.

MATHÆUS PETRZIK, Canonicus, & Concionator ſub THOMA BAVOROVVSKY, Decano. „An. Dom. 1570. Mathæus Petr„zik à Krumlovv, ditionis Magnifici „Domini, Domini VVilhelmi à Ro„ſenberg, ſummi Burgravii Boje„miæ Urbe, Artium liberalium & „Theologiæ Baccalaureus Vienenſis „in Canonicum & Concionatorem „S. Prag. Eccleſiæ electus. Laus „DEO.„ *Archiv. Capit.*

VVOLFGANGUS CHANOVVSKY, J. U. Doctor, *S. Joannis Nepomuceni* cultor eximius, ante cujus ſepulchrum etiam ſepeliri voluit, pluribus annis ad *S. Vitum* orator eloquentiſſimus. Ejus epitaphium prope ſepulchrum *S. Joannis Nepomuceni*:

An. Dom. M. D. LXXXVI. decimo die May obiit in Domino VVolfgangus Chanovvsky à Dlauhovves, utrius-

utriusque juris Doctor, Canonicus hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis, Decanus Carlſteinenſis, hic ſepultus. Orate pro anima ejus.

PAULUS CHYNORAN, & VALENTINUS ZEIKAN, ex Decano *Duxovienſi* Canonicus, ſinguli, ac potiſſimè poſterior Concionatores in *Eccleſia S. Viti* præſtantiſſimi circa an. 1572. & ſeq. De *Valentino Zeikan* habet titulare Boemicum *Sebaſtiani Fuknar fol.* 119. „ Reverendo, ac Venerabili Sacerdoti, Magiſtro Valentino Czeikan, Decano „ Carlſteinenſi, nec non Canonico „ ac Concionatori Eccleſiæ Pragenſis longè celeberrimo.

PAULUS CHYNORAN, loculum ſupremum propè Cathedram ſibi fieri expetiit, ut ubi vivus pro DEO certaverat, etiam mortuus quieſceret ſaxô indice: „ An. Dom. „ 1579. die 4. Februarii obiît Reverendus Pater Doctor Paulus „ Chynoranenſis, Scholaſticus, & „ Concionator hujus Eccleſiæ ſanctæ „ Pragenſis, & diviſor Capituli. Orate pro anima ejus.

MAGISTER BENEDICTUS CHYSSON, Canonicus, & Concionator Bojemicus *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis* à doctrina & eloquio laudatus, Decanus omnium Sanctorum in *Caſtro Pragenſi*, & Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ *SS. Coſmæ & Damiani Vetero-Boleſlaviæ*, tandem & Præpoſitus *VVyſſehradenſis*. Sepultus propè Capellam olim *SS. Cyrilli & Methudii* nunc verò *Pernſteinianam* à ſepultura illius familiæ ità vocitatam cum epitaphio:

An. Domini 1595. die 28. Januar. hora ſecunda poſt mediam noctem Reverendus & Nobilis Dominus Benedictus Chyſſen à Spitzberg, Metrop. Eccleſiæ Pragenſis ſenior Canonicus, omnium Sanctorum Colleg. Decanus, & VVyſſehradenſis Præpoſitus, ætat. ſuæ 58. an. in Domino piè obdormivit, hic ſepultus. Orate pro eo. Saxum hoc Patruelis ſuus Thomas mœrens F. F.

BARTHOLOMÆUS FLAXIUS, SS. Theologiæ Doctor, oriundus *Neoſtadio Moraviæ* Archidiaconus *Plznenſis*, inde an. 1594. cum exercitu Chriſtianorum contra *Turcas Jaurinum* profectus, concionatoris campeſtris munere functus eſt, ob eloquentiam ſacram omnibus gratioſus, redux translatus inter *Canonicos Pragenſes* & inſtallatus die 28. *Jan.* ſimul etiam Decanus *omnium Sanctorum*. Hic Vir zelô animarum plenus, plurimis Boemico idiomate libris typo in lucem datis rem Catholicam adjuvit, quos inter fuêre *explicatio ſacrificii miſſæ*, controverſorum fidei articulorum. *MS. Chron. Plzn.* Fuit ſimul concionator ordinarius Eccleſiæ *S. Jacobi* Vetero-Pragæ. Habuit enim eô tempore Capitulum Metropolitanum hanc cathedram, Boemico concionatore ê ſuo gremio providendam.

ADAMUS à WINORZE, SS. Theologiæ Magiſter è Parocho *Crumlovienſi* Canonicus, & Archidiaconus *Pragenſis*, doctrinâ, pietate, & egregiâ oris facundiâ præditus, officium prædicatoris per annos complures cum laude geſſit, in cultu & ſenſu ſuo humilis, acceſſu facilis, alloquio blandus, moribus ſuavis, & omnibus denique gratus. In Philoſophia diſcipulus *R. P. Edmundi Campiani, S. J.* pro confeſſione fidei catholicæ in *Anglia* martyriô coronati. Sanctum Profeſſorem ſuum ut piè coleret, ſcriptis philoſophicis ab eô exceptis, & in Bibl. Capit. aſſervatis adnotavit:

Sancte Martyr memento Adami à VVinorze diſcipuli quondam tui.

Accedens Romam viſitavit ſacra limina pietate conſpicuus rediens an.

1587.

1587. Graſſante in *Bojemia* peſtilentiâ an. 1599. ad populum typis edidit *admonitiones, & orationes*, quas citat,& laudat *Balbinus in vit. Arneſt. l. 2. cap.* 16. *fol.* 211. Promovendi ſanctorum cultûs, potiſſimè eorum, quorum ſacra lypſana in *Eccleſia Metropolitana* reconduntur, ſacras reliquias ſuis ipſe manibus aurò, & argentô exornavit, & thecis aurô phrygiatis incluſit. Sui laboris teſtem reliquit in pacificali:

Hoc reliquiarium reſtauratum, ac novis reliquiis auctum An. 1597.

à

Magiſtro Adamo de Winorze

Archi-Diacono Pragenſi

ac

Decano Carlſteinenſi

Joanne à Vinorze Canonico electo, &

ex Turcia non ità pridem reverſo

Laboris ſocio fratre meo

Clemente VIII. Rom. Pontif.

Rudolpho II. Rom. Imperat.

Zbigneo Berka Archi - Epiſcopo

Pragenſi

&

Sigismundo Batorio Principe

Tranſylvaniæ pro aureo

vellere Pragæ tum cum

laude commorante.

Obiît *Adamus* die 14. *Jan.* an. 1600.

SÆCULUM DECIMUM SEXTUM claudat MARTINUS PFEIFFER ab *Heiſſelberg*, patriâ *Braunovienſis*, Decanus *Pragenſis*, & Concionator ad aulam *Rudolphi II.* famoſiſſimus. Vide *Seriem Decanorum.* Ex majeſtalibus *Rudolphi II. Imp. Martino* ſcutum nobilitatis concedentibus ad propoſitum pauca tranſcribo è teutonico. „Conſiderantes,quòd tu ob eximiam doctrinam, & virtutem in Decanum noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis electus ſis, in quo munio, „ut nos quotidie oculis aſpicimus, „te ità præſtantem geris, ut non „modò Canonicis, & Clero Metropolitano, verùm & ſæcularibus „luculentum exemplum præbeas, „& ut cæteras qualitates tuas prætereamus, vel id in triurbe, & ubique „notum eſt, quod tu laudabili eloquentiâ tuâ, quam partim à natura, partim à tuo ſtudio acquiſiviſti „tam noſtræ aulæ, quàm alios homines, qui Eccleſiam Metropolitanam

„litanam frequentant tuis doctiſſi-
„mis, & in ſcriptura ſacra præclarè
„fundatis concionibus per plures
„annos a vanitate revocas, & in
„virtute inſtituis. Eapropter ho-
„rum intuitu &c. Dat. in Caſtro
„Pragenſi die 4. May an. 1596.
„Regnorum noſtrorum Rom. 21.
„Hung. 24. Bojem. etiam 21.

Rudolphus.
Jo. Bomitius.

Ad mandatum Sacr. Cæſ. Maj. propr.

Fuit idem *Martinus Pfeiffer* Confeſſarius *Hieronymi Schlik*, ſenioris Comitis in *Paſſaun*, & Domini in *VVeiskirchen*, qui ejus intimis conſiliis uſus eſt, utì patet è literis confidentiſſimis an. 1597. ex arce *Novodomenſi* die 28. *Febr.* datis, quibus ſe dictus Comes in Catholica, fideli, & Chriſtiana fide Capitulo, & Archi-Epiſcopo eſſe confidentiſſimum aſſeverat, plurimáſque commiſſiones magni momenti concredit *lit. original. Archiv.*

SÆCULO DECIMO SEPTIMO.

GEORGIUS BARTHOLDUS, Præpoſitus *Pragenſis*, à *Brixia* ſeu *Ponte* patria ſua cognominatus *Pontanus*, ubi in eccleſia ad cornu evangelii ejus effigies adfixa eſt cum epigrapha:

Roma, & Praga tibi referat, quos debet honores
Patria vult iſto te ſtatuiſſe loco.
Altior aſtrifero reſtat tibi gloria cœlo
Cernitur in terris, quantus es, atque polis.

Orator, & Concionator, Poeta, & Hiſtoricus. Inde apud *Maximilianum II.* & *Rudolphum II.* Imperatores & *Bojemiæ* Reges in magna gratia, & æſtimatione. Opera, quibus ingenium, & ſtudium ſuum poſteritati commendat, à cujus indefeſſo tenore, ùt *Didymus* ille quondam *S. Hieronym. lib. 2. Epiſt. 7.* χαλκέντερος poſſet vocari, ſunt ſequentia:

„Bibliotheca, ſeu theatrum „Concionum è celebrioribus novis, „& antiquis auctoribus & poſtilla-„tionibus, variis item meditationi-„bus, & lectionibus digeſtum in fol. „Colon. Agrip. apud Ant. Hierat. „1608.

Libri quinque *Concionum funebr.* quos nominat *incineratio mortalium.*

„Orationes ſynodales, ſacræ, „bellicæ, funebres. Pragæ apud „Joan. Ottmar. an. 1606.

„Bohemia pia, ſeu hiſtoria bre-„vis pietatem Bojemiæ, cum actis „Ludovici Regis comprehendens. „Francof. an. 1608.

„Hymni ſacri de B. V. & ſan-„ctis Patronis Bojemiæ, Pragæ per „Nicol. Straus. an. 1602.

„Primitiæ ſacræ Poëſeos Chri-„ſtum natum, tum à B. V. ſub ſepul-„tura lamentatum, Monachii an. „1589.

„Schanderbegus, Hanov. „an. 1609.

„Vita

„ Vita B. Hroznatæ, fundatoris „ monaſterii Teplenſis, ſcripta car- „ mine.

„ Spiritualis coronæ Boemiæ „ exultatio. Prag. an. 1599.

„ Item Brixia Patria Bartholdi, „ itidem ſcripta carmine. „ Et alia plura opuſcula manuſcripta velut: *de ovibus ſanctis*, ſervantur in Bibliotheca *Capituli*.

Bibliothecam omnium facultatum ſuppellectili refertiſſimam, magnisque ſumptibus è peregrinis terris collectam *Metropolitanæ Eccleſiæ* & *Capitulo* legavit. Mavors *Suedicus* an. 1648. eam potioribus clenodiis ſpoliavit. Culpam *Cœleſtinus* in *Gregorium Kleeblat* rejicit. At benefactorum munificentiâ multis iterum Codicibus inaucta, Teſtes inter alios membranea Biblia eleganti charactere antiquæ manûs ſcripta pro fronte: „ Me dono dedit an. „ 1651. Eccleſiæ Metropolitanæ „ Pragenſis Bibliothecæ, non pri- „ dem ab hoſtibus Suedicis expilatæ „ Nicolaus de Gerſsdorff & Malſuitz „ Dominus in majori VVoshoff, „ Scirpel, & nova villa Sac. Cæſ. Maj. „ Conſiliarius, & Aſſeſſor in ſupremo „ Regni Bojemiæ judicio.

Ad cætera beneficia, quibus *Eccleſiam Metropolitanam*, & *Capitulum* ſibi devinxit, etiam addendæ *ſepulchrales cryptæ* in medio Eccleſiæ, una pro Canonicis, alia pro Miniſtris Eccleſiæ humandis ſuis ſumptibus reſtauratæ, ac *liber Tumbarius* omnium Canonicorum obitus, & vitæ elogia adnotans. Extra Eccleſiam Metropolitanam ſeptemtrionem versùs ad ipſam *S. Sigismundi* Capellam erexit altare in honorem Corporis Chriſti, quod Archiepiſcopus *Berka* conſecravit, ſcripturâ indice: „ An. „ Domini 1602. feriâ ſecundâ Pen- „ tecoſtes Illuſtriſſimus, ac Reve- „ rendiſſimus Princeps ac Dominus, „ Dominus Sbigneus, DEI, & Apo- „ ſtolicæ ſedis gratiâ Archiepiſco- „ pus Pragenſis, Legatus natus hoc al- „ tare ſacelli à Nobili Domino Geor- „ gio Bartholdo Pontano à Braitten- „ berg, S. M. E. Pragenſis Præpoſito „ fundati in honorem Corporis „ Chriſti, & compaſſionis Beatiſſi- „ mæ Mariæ Virginis conſecravit. „ Denique parentum memoriam commandat tabella in Eccleſia *S. Georgii* adfixa:

D. O. M.

„ HOneſtæ matronæ Margarethæ „ quatuor filiorum, & ex his „ Joannis in Ratſchicz demortui, & „ Georgii Presbyterorum, totidem- „ que filiarum genitrici ex Patre Ur- „ bano Bartholdo olim Cive Pon- „ tano ibi humato, ultra 30. annos „ viduæ, poſt varias ab incunabilis „ ærumnas, morbósque in ſenectute „ graviſſima, tertiâ Pentecoſtes, ho- „ râ mediâ nonâ veſpertinâ, ſeptua- „ geſimô quartô ætatis piè in Chriſto „ defunctæ, hic ſepultæ Parenti cha- „ riſſimæ, Georgius, S. Metropo- „ lit. Eccleſiæ Decanus perpet. grat. „ & memor. ergò mæſtiſſimus. P. F.

CASPARUS ARSENIUS, SIMON BROSIUS, VVENCESLAUS ALBINUS, JOANNES SIXTI, BLASIUS ALEXIUS VVEITENBACH, SS. Theologiæ Doctores, & Canonici *Pragenſes* adversùs *Huſſito-Luthericum* fermentum *Bojemiam* ſenſim corrumpens exaltârunt in templo *S. Viti* voces ſuas. Et *Arſenium* quidem obriſæ laudis cimeliô extollit Archivum Capituli: „ Caſparus Arſenius à Radbuſa „ Plznenſis Metrop. Eccleſiae De- „ canus, nec non Officialis Archiepi- „ ſcopalis. Vir diligentiſſimus, atque „ vigilantiſſimus, jurium Capituli, & „ Eccleſiae, zelotes. Religionis „ Catholicae, & ſui temporis hae- „ reticorum terror. Concionator „ nervoſiſſimus, aſſiduus in legendo

„ & ſcribendo. Utpote qui pluri-
„ mùm manuſcriptis ſuis propriâ ma-
„ nu, & documentis relictis Archi-
„ vum Metropolitanum, inſtruxit &
„ auxit. Bona perdita ſedulâ dili-
„ gentiâ indagavit. Fundationes
„ interruptas reſtauravit. Clerum
„ in bonis moribus inſtruxit. In
„ pauperes liberalis. In Eccleſias,
„ & pias cauſas profuſus. Clenodia
„ Eccleſiæ, Bibliothecam, Archi-
„ vum tempore illo rebellionis us-
„ que quaque turbatiſſimo ſingulari
„ ſolertia ab hoſtium manibus cuſto-
„ divit. „ Altare Capellæ *Sternber-gicæ* ejus in ſacra munificentiam ſe-quentibus commendat: „ Ad lau-
„ dem & gloriam DEI Optimi Maxi-
„ mi, & in honorem Annunciationis
„ B. V. M. hoc pietatis monumen-
„ tum Caſparus Arſenius è Radbuſa
„ S. M. Eccleſiæ Decanus, Præpoſitus,
„ Wiſſehradenſis fieri, & exornari fe-
„ cit an. 1621. „ Obiit die 13. *Sept.* an. 1629.

CHRISTOPHORUS MILLE-DERUS, SS. Theologiæ Doctor, Scholaſticus *Pragenſis* in ſynodo Ar-chidiæceſana, quam *Zbinco Archiepi-ſcopus Pragenſis* ſummo fructu Cleri, & utilitate Eccleſiarum *Bojemiæ* an. 1605. celebraverat, eloquentiam ſuam coram *Bojemiæ* Præſulibus in laudem caſtitatis terſis rationibus perorando oſtendit, eam poſteritas typis dedit ſub titulo: „ Oratio de
„ caſtitate habita altero die ſynodi, à
„ Reverendo Domino Magiſtro
„ Chriſtophoro Milledero, Schola-
„ ſtico, & Concionatore Eccleſiæ
„ Metropolitanæ Pragenſis.

GEORGIUS HISPERGER, SS. Theologiæ Doctor, Archidia-conus *Pragenſis*, Vir exemplis virtu-tum ſolidè præfulgens, & culta in teutonico copia, & dicendi gravitate cum inſigni prudentia gratus. Al-tare B. M. V. è regione ſacriſtiæ ſuis impenſis erexit, ubi & depictus flectit. Obiit die 7. *Nov.* an. 1631.

JOSEPHUS MACARIUS de *Merſelicz*, BLASIUS ALEXIUS à DONBRUK, JOANNES HEN-RICUS SCHMIDL à *Seeberg*, CY-PRIANUS PETRIDES, SS. Theo-logiæ Doctores, & Canonici Pra-genſes circa an. 1620. & ſeq. doctri-nâ, prudentiâ, ac facundiâ ornati, annorum decade ſinguli pro roſtris *S. Viti* ſtetère, ac ab *Huſſi Lutheriquæ* deliriis neo-converſam multitudi-nem ſolidis exemplis, & lacte fidei nutrivère. Singulorum obitus *liber Tumbarius* inter inſignia encomia ad-notat.

JOANNES CZTIBORIUS KOT-WA, Patritius *Plsnenſis*, SS. Theologiæ Doctor, Canonicus *Pragenſis*, Præ-poſitus *Litomericenſis*, & ab *Alberto* de *Waldſtein*, *Fridlandiæ Duce* deſigna-tus Epiſcopus *Giczinenſis*. Vir ad omnia ſumma natus, cum aliis, tum eloquentiæ laudibus inſignis, & paſ-ſim à dicendi vi, ac copia, *Cicero Boe-micus* dictus. Præclaris animi doti-bus, & vitæ virtutibus, nec non Theologicæ ſcientiæ cognitione ex-cultus, à *Ferdinando II. glor. mem. Rom. Imperatore*, & *Bojemiæ* Rege amatus. Dignus qui præ cæteris an. 1621. die 12. *Auguſti* ad Imperatorem à *Capitulo* ſupplicatum mitteretur ad impetrandam reſtitutionem Eccleſiæ *S. Apollinaris* in monte ventoſo, quæ & dexterrimo ejus conatu an. 1628. die 28. *May* velut filia poſtliminiò re-diit. Hic eſt, qui An. 1618. die 23. *May* è feneſtra Cancellariæ re-giæ in foſſam arcis ab Heterodoxis ſtatibus ejectos *Wilhelmum Slavata*, *Jaroslaum Borzitam à Martinicz* in eo miſerando tribulationis ſtatu præ-ſentiâ ſuâ, licèt admodum periculo-ſâ recreavit, firmavitque. Erat nempe ea dies *octava* martyrii *S. Joan-nis Nepomuceni*, itidem ob ſecretum Regium præcipitati, & Martyris, cum uterque *Slavata*, ac *Martinicz* inter agones, & mortes DEum, *Beatam Virginem*, Sanctos *Bojemiæ* indigetes, inceſſabili animi ſingultu precaren-

tur,

tur, mitteret DEus ſacerdotem, cui peccata ſua contritè confiterentur. En miſit *ſanctus Joannes* confeſſarius *octava* ſui martyrii die etiam *Joannem* & è gremio quidem ſui *Capituli* in confeſſarium, *Joannem Kottvva*, qui utrumque *Slavatam* & *Martiniczium* corporali,ac ſpirituali obſequio æviternum ſibi devinciret, ac ab ulteriori periculo mortis, ſimul & à peccatis abſolveret. Juvat Coetaneum dejectionis ſpectatorem ciere in teſtimonium: „Comes de Martinicz à „præcipitatione, & vulnere mucro„nis impotens, ope fidelium ſervo„rum ſuorum è foſſa educitur, & „vix eluctatus mirabili fato offendit „in valle Reverendiſſimum Domi„num Joannem Kottvva, Proto„Notarium Apoſtolicum, ſanctae „Metropolitanae Eccleſiae ad di„vum Vitum Martyrem Canoni„cum, qui non multò ante in ejus„dem Comitis de Martinicz Domi„nio Smecznae erat Decanus, cui „etiam praefatus Comes in eo Do„minio exiſtens alias confitebatur. „Ille appropinquantem conſpiciens, „magno cum animi ſolatio ample„ctitur inquiens: Eja miſericors „Dominus dignatur hunc mihi ſub„mittere Confeſſarium. Salve „Reverendiſſime Domine Kottvva, „qui ſtatim in lacrymas ſolutus, ſua „omnia ſervitia offert, & perſonali„ter Martinicium ducere juvat. Ità „Comes de Martinicz è foſſa edu„ctus ad domum Dominae Apol„loniae de Lobkovvicz, natae de „Pernſtein, ſupremi Cancellarii „conthoralis, magnas è feneſtra ad „terram usque ſcalas (dubio pro„cul ex mandato ejusdem Dominae) „demiſſas videt, quas etiam ſtatim à „Reverendiſſimo Domino Kottvva „adjutus fortunatè aſcendit, ac in „ſummis licet, maximè à quodam „rebellium longa è bombarda jacu„lationibus pervenit in domum, ille „enim planè in aſcenſu, ter ad Do„minum de Martinicz dirigens, vitâ „privâſſet & Martinicium, & Kott„vva, niſi DEO protegente, glo„bulis fefelliſſet. Ad domum elu„ctatus, in familiae camera humi „devotè flectens, Reverendiſſimo „Domino Canonico Kottvva hu„militer, & contritè confiteri inci„pit.„ Et infrà. „Porro praeno„minati fideles ſervi, aliaeque per„ſonae probae miſerti Domini Sla„vata, cum per ſcalas multùm ca„pite vulneratus aſcendere non „poſſet, eum per poſteriorem arcis „portam ad eandem Dominae de „Lobkovvicz domum deportant, „ille poſt ligata vulnera aliquantùm „pharmacis confortatus, ſaepè me„morato Domino Canonico Kott„vva peccata ſua flens contritè con„fitetur. *Hæc* MS. Relatio praeci„pitationis in Archiv. Cap. Prag.„ Concordat *Thomas Peſſina* in parte altera *Martis Moravici* apud me manuſcripta *fol.* 653. „Interea accur„runt in foſſam vallis Slavatae, & Ja„roslai famuli, non ſinè praeſenti „periculo, cùm & illi crebris pete„rentur telis, & ictibus deſuper, „nemo tamen laeſus fuit. Accur„rit eò & Joannes Tiburtius Kott„vva S. Metropolitanae Eccleſiae „Canonicus, & quondam Sme„cznae, in ditione Jaroslai Decanus, „ut pro poſſe ſuo ſpirituali ſaltem „ſolatio ſubveniret extremè pericli„tantibus, & obviam Jaroslao fa„ctus, atque illacrymans proruit in „amplexus ejus, juvitque, quo faci„liùs emensâ foſsâ collem aſcende„re, & per ſcalas, quae ex feneſtra „domûs Lobkovitianae (juſſu ùt „creditum eſt Polexinae conjugis „Zdenconis à Lobkovvicz ſupremi „Regni Cancellarii prognatae ex in„clyto ſanguine à Pernſtein, quae „per id tempus in iisdem aedibus, „unà cum filio ſuo Wenceslao mo„derno Principe Saganenſi, & ſu„premo Aulae Caeſareæ Praefecto „degebat, marito Viennae officii „causâ commorante) dimiſſae „erant, domum eandem intrare „poſſet; non ceſſantibus inter haec

„jacu-

„jaculari ſeditioſorum miniſtris, „tametſi innocuè DEO ſic procu„rante. Slavatam, qui ſe move„re loco non poterat, famuli in „eandem domum detulêre, ubi „uterque Kottvvæ confeſſus eſt.„ Hactenus *Peſſina* MS. Nec id demum hic prætereundum, quòd idem *Joannes Kottvva*, dum capitulares omnes ab Eccleſia, & caſtro *Pragenſi* per heterodoxos ejecti fuiſſent, is ad ſolatium Catholicorum in templo *S. Jacobi* monaſterii Ord. *S. Franciſci minorum Conventualium* forti, fidentique ſpiritu pro concione dicere ſolitus fuerit. At quoniam zelus Domini acceptum reddidit DEO, neceſſe fuit, ut tentatio probaret illum. Igitur dum die feſto *S. Jacobi* An. 1620. ſuper illa verba evangelii: „Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, „unus ad dextram tuam, & unus ad „ſiniſtram in regno tuo. Mat. 20. „ quædam pro legitimi Regis *Ferdinandi II.* authoritate diceret, ea heterodoxi ſecundis auribus accipere non volentes, eundem in publicum curiæ *Vetero-Pragenſis* carcerem conjecerunt, quem denique usque ad memorabilem illam de profligatis rebellibus in albo monte propè *Pragam* Cæſaris victoriam brevi poſteà obtentam ſuſtinere debuit. Hic idem cordatiſſimus executor fuit ex imperio victoris Cæſaris *Ferdinandi II.* deponendæ lapideæ ſtatuæ Regis *Georgii* à propylæo Baſilicæ Teinenſis, quam die 1. Sept. an. 1462. evaginato gladio propè calicem cupreum inauratum ingentis molis exultabundi hæretici ad Huſſitiſſimi monimentum eò loci affixerant. *Joannes Kottvva* igitur die 17. Januar. an. 1623. ſub noctis conticinium (nè de die populo adhuc valde Huſſitico quid turbidi molliendi in favorem calicis adeò præamati daretur occaſio) ea hæreticæ pravitatis ornamenta cum ſociis ſuis depoſuit; quo paulo dein inaurata, ex eodem calicis cupro, *Beatiſſimæ DEI Genitricis*, cui ea Eccleſia dedicata eſt, effigies adhuc hodie viſibilis adfixa eſt. Teſtem audiamus *Crugerium ſacr. pulv. die 1. Septembr. fol. 5. præfuit omnino laudatiſsimo operi* (videlicet depoſitionis calicis & ſtatuæ Georgianæ) „ Joannes Kottvva, Ca„nicus Pragenſis, Eccleſiæ Teinen„ſis ſummus in illis initiis reforma„tionis ſacrorum Catholicorum „Adminiſtrator, concionibus ſuis „quondam ſuper æthera notus, cui „Cæſar præfatus (Ferdinandus II.) „ob has operas, & zelum ubique „ſpectatiſſimum, promovendæ Ca„tholicæ religionis contulit poſtea „Litomericenam, tum adhuc col„legiatæ tantum Præpoſituram.„ Obiit in Domino die *S. Michaelis* inter primam, & ſecundam pomeridianam an. 1637. Sepultus *Vetero-Pragæ* in templo *S. Michaelis* ad Servitas.

WENCESLAUS UDALRICUS TEUBNER, SS. Theologiæ Doctor, & Scholaſticus *Pragenſis* die 11. *May* an. 1640. vitâ functus, inſignis ſeduliſque Teutonici concionatoris encomium refert à coëtaneorum analectis.

JOANNES FRANCISCUS RASCH, SS. Theologiæ Doctor in locum piè defuncti *Teubner Romæ* exiſtens electus, BARTHOLOMÆUS ROTTLENDER, ANDREAS CLEMENS KOKR, & ELIAS COLBIUS, SS. Theologiæ Doctores, ſinguli eloquiô potentes, & ſtationi concionatorum præſidentes, eâ an. 1631. *Saxonici* incursûs tempeſtate *Lutheranorum* prædicantium diacitatem ad Catholicorum robur, & ſolatium vigoroſiſſimis argumentis refregerunt. Vide *ſer. Præpoſ. & Decan.*

DANIEL MICHAEL HESSELIUS, *Moravus Hradiſtenus*, juris utriusque Licentiatus, *Metropolitanæ Eccleſiæ* Archidiaconus, Canonicus *Brunenſis*, & Præpoſitus *Novo domen-*

ſis

ſis & *omnium Sanctorum*, Concionator ſuavitate gratus, ac robore argumentorum ſolidus, in aula munere ſupremi Cancellarii Regis Boemiæ excultus. A fide in Eccleſiam, Cæſarémque commendatus, cultor magnus *S. Barbaræ*; In oppido *Cetuin* odiô fidei vinculis carceríque mancipatus, ac in flectentem ſclopi laxati, ſinè dubio in mortem adficiendus, nisì ope *S. Barbaræ* pulvis ignem negâſſet. Retulit porrò vulnus cum periculo vitæ graviſſimum in corona ſacerdotali adactione ferri militaris apertum. In fidei præmium nomini adjunxit prædicatum Imperator, ac ab oppido *Cetuin*, *Cetuingerum* à *Cetuinberg* nominari præcepit. Obiît in feſto *Innocentum* an. 1642. ſepultus in crypta Capitulari.

GREGORIUS KLEEBLAT, Archidiaconus, SIGISMUNDUS GRäFF, WENCESLAUS WIKEROCZIL, SS. Theologiæ Doctores, Canonici, & verbi DEI prædicatores circa an. 1640. 1650. & ſeq.

CHRISTOPHORUS REINHELD, SS. Theologiæ Doctor, in Canonicum, & Concionatorem germanicum inſtallatus die 8. *Nov.* an. 1647. de excellenti prorſus eloquentiæ dono, quo ad invidiam usque excelluit, ac neque ab eo exercendo electus Capituli Decanus remiſit „Crug. 6. Cal. May an. Dom. „1665. hac ipſiſſima 26. Aprilis Bu„diſſinæ in bono ſenio extinctus eſt „Joannes Chriſtophorus Reinheld „à Reichenau ad S. Viti in Metro„politana Eccleſia Pragæ Decanus. „eadem dignitate Budiſſinæ ad S. „Petrum annis aliquot effulſit, & „per eam Epiſcopatûs Miſnenſis per „utramque Luſatiam Adminiſtrator „audiît. Eloquentiâ ad famam pla„nè excelluit, ut qui Concionato„rum ſui temporis, theutonici idio„matis, facilè alpha eſſet, & præci„puè in controverſiis inter nos, & „heterodoxos, ſive defendendis „ſive oppugnandis ſuperiorem vix „numeraret. Hic proinde eſt ille „Decanus, qui à capta minore Pra„ga, Konigsmarkio etiam præſente, „pulpitum ſuum jam ante Metropo„litanæ auſus eſt conſcendere, & in „faciem cuique veritatem Catholi„cam, captivitatis licèt tempore „evulgare. Qui in colloquiis pri„vatis ac publicis, qui in conviviis „præcipuorum belli officialium, „menſæ liberaliter admotus, illo „ſuo eloquentiæ malleo, ità tutudit, „ac contudit loquaculos aliàs Præ„dicantios, imo & ſuperindenten„tes, ut ipſis vox faucibus hæreret, „& quid é ſcriptura contra ſcriptu„ram opponerent, non haberent. „Neque his Polemicis oretenus in „planis exercitis, vel de Cathedra „declamatis magnum ſibi nomen „comparavit, ſed & ſcriptis germa„nicô typô impreſſis, miniſtellos „oppoſitos vehementer eruditè ſi„mul, & ſolidè exagitavit.„ Hæc ille. Ex operibus ejus impreſſis vidi „Apologeticum contra Joannem „Kleen Königsmarkianum prædi„cantium. Edit. Typis academicis „Pragæ an. 1649. *Et* JEſum agno„nizantem: nempe conſiderationes „paſſionis dominicæ, „ quod eſt „opus poſthumum, & verè doctiſſi„mè è perpetuo ſacri textûs eloquio concatenatum. Edit. an. 1693.

WENCESLAUS CÆLESTINUS, SS. Theologiæ Doctor & Præpoſitus *Pragenſis.* Vividâ præprimis Sclavicæ linguæ eloquentia ad Eccleſiarum *Reginæ - Hradecenſis* ac *Metropolitanæ Pragenſis* roſtra inſignis, utrobique per plures annos animarum fructu zelotes, vir diligens & ſedulus. Per viginti aliquot annos in maximis curis, periculis turbis, & tribulationibus *Eccleſiæ Metropolitanæ* ſinè reprehenſione ſervivit. Cum diſcrimine vitæ ſacras reliquias, aliáque cimelia Eccleſiæ, dies noctésque in ſinu adſervando,

cuſtodivit. In illa an. 1648. Suetica irruptione ad minorem *Pragam* multa duriſſima perpeſſus. Impetu hoſtili omnibus planè ad nuditatem ſpoliatus, usque ad ſanguinem, & deſperationem vitæ contuſus, & à Suecis lethaliter vulneratus, ad Eccleſiam *S. Benedicti* in *Hradczano* quatuor hebdomadibus ægrotus. Capitularium domus expulſis Canonicis Sueci inhabitabant. Patres *Barnabitæ* ex paupertate ſua eidem togam accommodârunt, ut in publicum prodire poſſet. Deſcribit cuncta pateticè in literis ad *Capitulum* an. 1648. die 13. *Decembr.* „ In „ quantam hac viciſſitudine tempo„ rum per hoſtilium inopinatam ir„ ruptionem paupertatem devene„ rim, omnibus in eadem horrida „ tempeſtate repertis clarè notum „ eſſe non dubito, ubi præter gra„ vem contuſionem, fermè etiam ul„ timò diſcrimine vitæ, omnibus „ ad ultimum deſpoliatus, in ſim„ plici induſio vix fuga ſalutem inve„ ni. His ità rebus omnibus meis „ amiſſis pro victu & amictu neceſſa„ riis, quod eſſet faciendum igno„ rabam, niſi præter divinam pro„ tectionem, gratia benigna, ac „ planè paternô affectu Domini De„ cani noſtri (*cratis* Andreas Kokr) „ adjutus fuiſſem, mendicare oſtia„ tim magna mei ſtatûs erubeſcentia „ debuiſſem. „ Hæc ille. Ideò ex hac vitæ penuria parochiam *S. Stephani majoris* an. 1649. à prima *Januarii* ſuſcepit, eámque tenuit usque ad an. 1651. quo reſignavit, & *P. Jacobus Chuogni* in munio ſecutus. Hæc inter offenſiſſimus otio, ac iis, qui oſcitanti converſatione tempus terunt, comedunt, bibunt, ludunt ſemper negotioſi, nunquam laborioſi, ſcripſit manu propriâ *acta Capituli* ab an. 1652. die 13. *Novembr.* usque ad an. 1672. diem 10. *Julii.* Item *Protocollum*, & *concluſa Capituli* in libro rubro in fol. ab an. 1622. die 3. *Novembr.* usque ad an. 1668. Inter cætera pia legata fundavit duos choraliſtas. Moriens ad adſtantes dixit: *Sic vixi, ut non timeam mori.* Obiit an. 1674. die 18. *Apr.* hora 12. meridiana, ſepultus ante januam ſacelli *S. Sigismundi.* Epitaphium: „ An. 1674. 18. Aprilis „ obiit Reverendiſſimus ac Perillu„ ſtris D. D. Wenceslaus Cœleſtinus „ à Blumberg, S. M. E. Pragenſis „ Præpoſitus, Exemptæ Wiſſehradenſis, Vetero Boleslavienſis, & „ & omnium Sanctorum Canonicus, „ Proto-Notarius Apoſtolicus ætatis ſuæ 74. Vir mitis, & pius, Eccle„ ſiæ hujus eximius Benefactor.

VITUS DANIEL NASTAUPIL, Pragenſis, SS. Theologiæ Doctor è Parocho *Teinenſi* electus Canonicus, & Concionator *Metropolitanæ Eccleſiæ* die 1. *May* an. 1653. Vir vitæ exemplaris, ac non vulgaris doctrinæ, præcipuè in rebus Theologicis, & Concionator linguâ Slavicâ longè præcellens, quem triurbs Pragena admirabunda ſuſpexit. Labores ſecuti ſunt honores. Prius Aſſeſſor *Venerabilis Archiepiſcopalis Conſiſtorii*, dein Præpoſitus *Vetero-Boleslavienſis*, tandem an. 1665. denominatus Suffraganeus, & in feſto *SS. Trinitatis* ab *Eminentiſſimo Domino Erneſto Cardinali ab Harrach* in aſſiſtentia *Maximiliani Rudolphi à Schleinicz*, *Proto-Epiſcopi Litomericenſis*, & *Mathæi Ferdinandi à Bilenberg*, *Proto-Epiſcopi* *Reginæ-Hradecenſis* conſecratus *Epiſcopus Conſtantienſis.* Obiit *Vetero-Pragæ*, quo ſe valetudinis curandæ gratiâ contulerat in domo *Bubniana* die 21. *Novembr.* eodem an. 1665. ſepultus in crypta *Soc. JEſu Vetero-Pragæ*, quorum ex teſtamento ad novam fundationem *Vetero-Boleslavienſem* munificus erat Benefactor.

HENRICUS BEK à MUNGENAU, Decanus *Litomericenſis*, MARTINUS MAJNER, Praepoſitus *omnium Sanctorum* meditationis, & orationis ſpiritu ſublimis, qui mediâ nocte duas, trésque horas orando

&.

&c meditando conſumpſerat, DAVID KLEER, ex Parocho *Beſnenſi* An. 1660. electus Canonicus, SEBASTIANUS ZBRASLAUSKY, MICHAEL CRUSIUS, SS. Theologiæ Doctores, Canonici & verbi DEI præcones magno animarum fructu circa an. 1660. & ſeq. De *Michaele Cruſio* Concionatore antea, dein Decano *Strakonenſi* adnotat *Tumbarius*: „ Vir diſſertiſſimus in „ ſermone Bojemico, ac ſemper „ cum DEO conjunctus, jucundus, & „ hilaris, etiam in maximis infirmi- „ tatibus ſuis, quibus erat afflictatus. „ Erexit altare *SS. Petri & Pauli* in *Eccleſia Metropolitana*, ubi legitur: *Hanc aram Michael Adalbertus Cruſius de Graufenberg, S. Viti Prælatus FF. ad* „ quam 1000. floren. tabulis Regni „ aſſecuratos pro ſolatio animæ ſuæ „ fundavit. „ Edidit librum Boemicum de confraternitate B. M. V. de victoria in oppido Strakonicz, impreſſum Pragæ 1672.

THOMAS JOANNES PESSINA, SS. Theologiæ Baccalaureus, patriâ *Poczatecenſis* primùm Decanus *Koſtelecii* ad *Aquilam* in diœceſi *Reginæ - Hradecenſi*, dein ab an. 1657. Decanus *Lithomyslenſis*. Undique ſeduli paſtoris muniô, vitæ exemplaritate, ac cumprimis tersâ Slavici idiomatis eloquentiâ commendatus, Dominicâ ultimâ poſt Pentecoſten an. 1665. in ſacello *S. Wenceslai* ad concionem pro proba dixit, deſuper (poſtquam quidem aliquoties jam ab æmulis, eruditioni ejus invidentibus, canonicatu prohibitus fuiſſet) die ſequenti electus Canonicus, poſtea Decanus. Tandem *Epiſcopus Samandrienſis*. Eccleſiam Metropolitanam hæredem inſtituit. Fundavit duos Altariſtas, cuivis 120. fl. aſſignando pro annua ſuſtentatione. Fundavit monaſterium Religioſis Ordinis *S. Pauli Eremitæ*, legando bonum ſuum *Oberziſtie* in vicinia montis ſacri, & diſtrictu *Podbèrdenſi* ſeptendecim millibus emptum. Ubi iidem Religioſi monaſterium ædificârunt. Ad meliorem eo um ſubſiſtentiam addidit decem millia florenorum, Bibliothecam item à manuſcriptis hiſtoricis celebrem, ac ſuppellectilem copioſam. Lucubrationibus Hiſtoricis ſtylo, ac fide commendatus, primus Eccleſiam Metropolitanam, ac Regnum Moraviæ eleganter exornavit, ac deterſis vetuſtatis, ac oblivionis tenebris, in luculentam memoriam aſſeruit. Gracilis corpore, magnæ animæ in parvis potiſſimùm habitant corporibus, atteſtante *Porphyrio* de Abſtin. Antiq. *graſſum corpus iter impedit ad mentem* Magnus zelotes honoris, & cultûs *S. Joannis Nepomuceni*. Opera typis edita.

„ Ucalegon Germaniæ, Italiæ, „ & Poloniæ Hungaria flamma ardens belli turcici An. 1664.

„ Poſphorus ſepticornis, ſeu S. „ Metropolitanæ D. Viti Eccleſiæ „ Pragenſis majeſtas & gloria. An. „ 1673.

„ Mars Moravicus ſeu bella „ horrida, ſeditiones, tumultus, „ prælia &c. quæ Moravia paſſa fuit „ An. 1677.

Manuſcripta: „ Pars ſecunda „ Martis Moravici. Quam inter „ reliqua mea manuſcripta etiam „ poſſideo.

„ Diſſertatio de Epiſcoporum „ & Archiepiſcoporum Pragenſium „ Electione.

„ Memorabilia Capituli Pragen- „ ſis, „ & alia quædam, quæ ùt plurimùm perlegi.

Obiît die 3. *Auguſti* An. 1680. Decanatûs 11. Sepultus in ambitu ante altare *SS. Cyrilli & Methudii*.

Epitaphium.

„ Obiît in Domino an. 1680. „ Reverendiſſimus ac Illuſtriſſi- „ mus Dominus, Dominus „ Thomas Peſſina de Czecho- „ rod, Dominus in Oberſiſtie, „ Epiſcopus Samandrienſis, „ hujus ſanctæ Eccleſiæ Deca- „ nus, Wiſſehradenſis, ac Li- „ tomericenſis Canonicus, S. „ Cæſ. Regiæque Maj. Conſi- „ liarius, Comes Palatinus, „ annum ætatis 51. Sacerdotii „ 27. agens. Vir temperans, „ devotus, hiſtoricus ſuo „ ævo celebris, hujus ſanctæ „ Eccleſiæ Benefactor præcla- „ rus, ac binorum Altariſta- „ rum fundator. Anima ejus „ vivat DEO.

JOANNES CHRISTOPHORUS, BARO de TALLMBERG, J. U. Doctor, die 31. *Auguſt.* An. 1669. in Canonicum & Concionatorem electus, obriſæ nobilitatis cimelio, virtutem, pietatem, & doctrinam ſociando, Epiſcopali *Reginæ-Hradecenæ* diœceſis tiarâ an. 1676. effulſit. In veteratum evangelii annunciandi morem (fuit enim memoriæ incomparabilis) pro Epiſcopali cathedra velut officio proprio magis intendens, peracto Pontificali ſacrificio ad concionem „ dicere ſolebat.

AUGUSTINUS PFALZ ab OSTRITZ, SS. Theologiæ Doctor, militiæ Clericali adſcriptus an. 1646. Primam nactus promotionem in pago *Luſatiæ Seittendorff* ſub monaſterio *Mariæ vallenſi*, ubi per quatuor annos inter medios hæreticos, puſillo gregi catholicorum intendit eâ ſedulitate, ut complures *Lutheranos* ad fidem orthodoxam converterit. Migrando *Fridlandiam* in *Bojemiam*, boni ibi rurſus paſtoris officium novem annis quâ Decanus, & Vicarius foraneus neo-converſis ad fidem Catholicam poſt reformationem illam in Regno exhibuit, hæreticos verbo, & libris à ſe editis inſectans, ad plura certamina cum Miniſtellis eorum victoriosè exantlata deſcendens, & propterea minas & calumnias innumeras ſufferens. An. 1666. præmiſſa die 24. *Januarii* prima concione probæ die 25. *Septembr.* in *Canonicum Metropolitanum*, paulò poſt in Aſſeſſorem *Archiepiſcopalis conſiſtorii*, dein in Canonicum *Budiſſinenſem*, Vicarium Generalem, & Officialem, Archidiaconum *Pragenſem*, demum in ſupremum Regni *Bojemiæ* quæſtorem electus. Penes hæc tamen officia nunquam ceſſavit indefeſsô labore, & diligentia, tum foris in cura animarum, tum *Pragæ* in Metropolitana, ac aliis Eccleſiis per quadraginta ſeptem annos, etiam coram *Auguſtiſſimo Imperatore Leopoldo Glor. mem.* ſæpiùs, ad concionem dicere. Libros partim Concionatorios, partim controverſiſticos adverſùs hujus temporis hæreſes in lucem publicam dedit numero ſeptemdecim. Ad fidem Chriſti perduxit, ac baptizavit Judæos octodecim. A morum præterea gravitate, conſiliorum maturitate, ſcientiæ Theologicæ autoritate, & vitæ integritate paſſim omnibus notus, & commendatus. Obiît laboribus fractus, poſtquam ter ſub ejus ætate Capitulum emortuum, & renovatum fuiſſet, ac ille omnibus officiis, ut liberiùs ſoli DEO viveret, vale feciſſet, die 5. *Decembris* an. 1702. ſepultus in crypta communi. Parœmia ejus erat: „ Beati Capitulares, qui non ſe, ſed Capitulum „ quærunt. *Item* Majores noſtri ele- „ gerunt ſubjecta doctrinæ, & vir- „ tutum meritis utilia & glorioſa „ Capitulo: Nos eligimus ſubjecta, „ quæ doctiora non ſint nobis, adeo- „ que utilia tantùm nobis. „ In hunc ſenſum *Nicetas Choniatas*, dum res *Alexii* Imp. Græci, qui fato vicinus, & ſinè liberis de eligendo ſucceſſore cum ſuis agitabat, denarrat:

„ Igitur

„Igitur (*inquit*) alii, atque alii variè „nominabantur. Sed, omnes qui „ſibi opportuni, aut utiles eſſent „nominabant. De eo autem eli„gendo, qui optimè, & ex uſu pu„blico imperaret, nulli cura, aut cogitatio erat.

WENCESLAUS ANDREAS MACARIUS à MERFELICZ, *Budviciô* oriundus, SS. Theologiæ Doctor ex parocho *Ziambergenſi* diœceſis *Reginæ-Hradecenſis* Canonicus *Pragenſis Eccleſiæ*, Scholaſticus, & octodecim annis *Conſiſtorii Archiepiſcopalis Aſſeſſor*, viginti aliquot annis concionator è ſuggeſtu *S. Viti* dixit teutonicô idiomate, eâ copiâ, ſuavitate, ac nervoſitate, ut magnam animarum meſſem collegerit. Cætera Vir exemplaris, à pietate, ſacrarum literarum notitia, aliiſque præclariſſimis ingenii, ac corporis dotibus commendatiſſimus. Libros edidit laboris & ingenii teſtes: „Doctrinale Theologico-contro„verſiſticum complectens doctri„nam rectè vivendi, agendi, cre„dendi, docendi, omnia Parochia„lia munia ritè obeundi ex SS. Pa„tribus, ſacroſanctis Conciliis ac „probatis autoribus concinnatum. „An. *1691*.

„S. Viti Martyris Gallus can„tans An. 1678.

„Vita & Mors Divi Joannis „Nepomuceni Regni Bojemiæ Thau„maturgi, ex probatis autoribus„ (potiſſimum *Balbino*) „ſuccinctè „conſcripta. An. 1684.

WENCESLAUS ZBRASLAWSKY, SS. Theologiæ Doctor ex Parocho *Petzovienſi* & *Koslenſi* die *14. Septembr.* An. 1676. electus Canonicus; Nepos *Sebaſtiani Zbraslavvsky* Decani. Die Feſto *S. Wenceslai* An. 1679. in præſentia *Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi* è ſuggeſtu Metropolitano verba fecit, & à tota aula encomium meruit Pius, doctus, affabilis, modeſtus. Obiit apoſthemate die 28. *Decembr.* an. 1688. Sepultus è regione Capellæ *S. Sigiſmundi* ad altare *B. V.*, ad quod *Joannes Fridericus Archiepiſcopus* indulgentias conceſſit.

GREGORIUS de KRIGLSTEIN, PILZNENSIS, SS. Theologiæ Doctor, ex Sacriſtano *Eccleſiæ Metropolitanæ* Decanus *Smirzicenſis*, dein Canonicus *Wiſſchradenſis*, Vicarius Generalis, & Officialis *Reginæ-Hradecenſis*, tandem die *29. Nov.* an. 1680. Canonicus Metropolitanus, à ſedulo concionum ſtudio, ac elaborato dicendi genere celebris. Obiit die *17. Jan.* an. *1692*.

PAULUS THEOPHILUS BROXA, SS. Theologiæ Doctor ex Decano *Brunduſienſi* die 4. *Aug.* an. 1674. electus Canonicus, Vir à literis, concionandi talento, zelo fidei, plurium nullium animarum converſione, exemplari vita, aliiſque bonis qualitatibus commendatus. Obiit die 2. *Jan.* an. 1693.

TOBIAS BEKER, patriâ *Grulichenſis* natus 15. *Julii* an. 1649. SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, ex Decano *Arnavienſi* electus Canonicus, die *14. Jan.* an. 1681. inſtallatus in feſto *S. Wenceslai*, viginti, & unô annô Concionator Teutonicus *Eccleſiæ Metropolitanæ*, gravitate, zelo, doctrinâ, eloquio, pietate, miſericordiâ in memoriâ adhuc hominum. Sanctorum Patronorum ſtatuis artificioſè elaboratis, & inauratis exornavit Presbyterium *Eccleſiæ Metropolitanæ*, ac marmoreo mauſolæo ſepulcrum *S. Joannis Nepomuceni*. *Beatiſſimæ Virgini* excitavit Eccleſiam, & fundavit monaſterium ejusdem ſervis extra oppidum *Grulich*. Elevatus ad Epiſcopalem Cathedram *Reginæ-Hradecenſem* an. 1702. Præclara vitæ, & prædicationis verbi DEI merita, gneſiæ laudis encomiô exornant

Cæſareæ, Regiæque literæ nominationis *Leopoldi I.* Imperat. & Boemiæ Regis ad *Clementem XI.* Sum. Pontif. in verbis: „ Sanctitati veſtræ ad „ hoc Epiſcopale munus obeundum „ Tobiam Joannem Beker, Canonicum Pragenſem, Virum non modò præclarâ doctrinâ, vitæ integritate, aliiſque eximiis dotibus, „ ac qualitatibus conſpicuum, verùm etiam ob ſuam diverſimodè „ in vinea Domini, ſingulariter autem Pragæ in prædicatione verbi „ DEI viginti unius anni ſpatio zelosè, ac indefeſsè navatam operam „ de orthodoxa Romana Eccleſia „ bene meritum; vi juris patronatûs Nobis, quà Regi Boemiæ competentis nominandum, ac præſentandum cenſuimus. Viennæ Auſtriæ die 24. Nov. an. 1701.„ Ex Copia Authent. Opera edita laboris aſſidui, & ingenii teſtes ſequentia ſunt:

Vita S. Urſulæ & ſocietatis ejus.

Contra ſacrilegè confitentes & SS. Euchariſtiæ Sacramentum indignè ſumentes.

Quinque lapides limpidiſſimi Auguſtiſſimo Imperatori Leopoldo velut triumphatori Turcarum dedicat. An. 1687.

Conciones de paſſione Chriſti, ejúsque Matris doloroſæ. Auguſtiſſimæ Imperatrici Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ dedicat. An. 1694.

Conciones in dominicas, & feſta totius anni Auguſtiſſimo Romanorum & Hungariæ Regi Joſepho. Dedicat. An. 1697.

Arca ſpiritualis pœnitentiæ Sereniſſimo Archi-Duci Carolo dedicat. A. 1700.

JOANNES IGNATIUS DLAUHOWESKY de LONGA VILLA, SS. Theologiæ Baccalaureus formatus, Præpoſitus *Pragenſis*, cùm obriſæ nobilitatis gloria tum doctrinæ, & virtutis ſtudio illuſtris, à concionum in Eccleſia *S. Viti*, ac alibi piô affectu pro fructu animarum idiomate *Bojemico* inſtitutarum ſuò ævô plurimùm commendatus. Præclarus Cultor *S. Joannis Nepomuceni*, propè cujus ſepulchrum humari supremô eloquiô petiit. Epitaphium:

„ Sub hoc marmore quieſcit Re-
„ verendiſſimus, ac Illuſtriſſi-
„ mus Dominus, Dominus
„ Joannes Ignatius de Longa-
„ villa, Epiſcopus Millevita-
„ nus Suffraganeus, & Metro-
„ politanæ hujus Præpoſitus,
„ qui dum viveret, pro DEO,
„ Eccleſia, & populo quievit
„ nunquam. Conſumatus tan-
„ dem laboribus obiit longâ
„ vitâ digniſſimus die 10. Jan.
„ an. 1701. Benevole Le-
„ ctor Apoſtolico Præſuli re-
„ quiem precare ſempiternam.

WENCESLAUS BILEK, SS. Theologiæ Doctor die 18. *Februarii* an. 1669. ac etiam MATHIAS MACHT à *Levenmacht Pragenſis*, SS. Theologiæ Baccalaureus, ex Parocho *S. Adalberti Pragæ* die 7. *Jan.* An. 1693. in Canonicos & Concionatores electi, verbo DEI *Pragenum* populum compluribus annis fructuosè paverunt.

ADAMUS IGNATIUS MLADOTA de *Solopisk*, SS. Theologiæ Baccalaureus, primùm Decanus *Chraſtenſis*, dein *Sobotcenſis*, die 24. *Martii* an. 1689. electus Canonicus, ac PAULUS AXLAR, SS. Theologiæ Doctor è Rectore *Archi-Epiſcopalis Seminarii* die 3. *Septembr.* an. 1695. electus Canonicus, munus concionatorum magnâ pietate vitæ correſpondente, præclarâ doctrinâ, eloquentiâ, zelò obierunt. Poſterioris egregium talentum teſtatur opus poſthumum à monaſterio *Plaſſenſi* typis nuper datum. Denique

TOBIAS OPITZ, GODEFRIDUS HERBST, WENCESLAUS HOTTOWECZ, LUDOVICUS STEYER, PETRUS DEKERT, JOANNES LANGHOFF, GEORGIUS LIBERTIN, SS. Theologiæ Baccalaurei, ac Licentiati, Canonici, ac Prædicatores verbi Divini in Eccleſia *S. Viti*, multiplicem animarum fructum, facundiâ, doctrinâ, gravitate, vitæ pietate in memoria hominum adhuc hodie verſantes cum laude retulerunt.

SÆCULO DECIMO OCTAVO.

QUi modernò ſæculô è collegio Canonicorum *S. Joannis Nepomuceni*, aliorúmque ſanctitate, & doctrina fulgentium anteceſſorum veſtigia ſequentes evangelium Domini in templo *S. Viti* annuntiant, celebrabuntur à poſteritate.

Locum ſubterraneum. Torturæ carceris locum, quem *S. Joannes Nepomucenus* tormentis, ac ſanguine ſuo illuſtravit, quærentibus, multiplex occurrit opinio recentiorum, apud veteres enim altum eſt de hoc ſilentium. Sunt porrò, qui in *turri alba*, alii, qui in vicina domo *Burggraviatûs*, aut in turri *Daliborka* nominata, demum, qui & in palatio Regio caſtri *Pragenſis* incarceratum *S. Joannem* conſtituunt. Sed quæcunque hæc ſint, ſinè ſufficientis probæ ſuſtentaculo protracta, inter rudis vulgi imperitiam duntaxat conſiſtunt. Vulgus pleráque ex affectu, non veritate æſtimat. Ea tantùm approbat, quæ aſſuevit. Quæ ſerviunt gloriæ, omnia in veritatem extollit, plùs obtemperans opinioni, quam veritati. Quæ vera & recta ſunt, ſemper pauciſſimis placent. Quia pauciſſimi rei veritatem genuinè indagant. Sicut autem in rerum antiquarum notitia non valet plebis imperitia: ita etiam autoritatem non habet curia, ſed rerum antiquarum, & ſtudii hiſtorici peritorum prudentia. Pleríque enim ſunt, qui in hiſtoria quidem periti videri volunt, ſed omnia veterum ad modernam faciem detorquent. Veteres ſitus, loca, regiones, habitacula cum modernis confundentes, non quomodo olim fuerint, ſed quomodo juxta eorum phantaſiam eſſe debuerint, obtrudentes. Hi porrò ſunt de numero eorum, qui nullum veterem, ſed unum fortè, aut alterum recentiorem autorem legerunt, & dictaturam ſtatim in eum conjectare præſumunt. Rectè *Plutarchus* in Pericle: „ difficilis inveſtigatu res eſt hiſtoria „ vera, cùm poſterioribus præteri„tum tempus cognitionem rerum „præripiat, qui verò æquales ſunt, „ejus, cujus vitam, aut acta deſcri„bunt, ii partim invidiâ, odióque, „ partim gratificandi ſtudio, & adu„ latione corrupti veritati officiunt.„ Proinde non levem conatum adhibui, ut rei veritatem genuinam acquirerem, aut ſaltèm propiùs ad eam accederem, ſciens id mei eſſe officii velut vitæ ſcriptoris, non parvi etiam eſſe momenti, quoniam Eccleſia de Sanctorum reliquiis ſecuritatem, & certitudinem habere optat. Quid autem faciliùs oggerere, quam: *Hic eſt carcer S. Joannis Nepomuceni*, *Hæc eſt ſcriptura S. Joannis Nepomuceni.* At probâ deſideratâ, evaneſcunt jactata. Non enim valet hîc: *Sic volo, ſic jubeo.* Sed locum habet *L. & incumbit, 2. ff. de Probat.* Quàm grave autem ſit falſas populo reliquias Sanctorum, aut loca martyriorum ad venerandum obtrudere, quorum ſufficiens proba non exiſtit, ſed ex privato reſpectu ad oſtentationem, & gloriam loco conciliandam impiè fingitur, patet ex *C. cùm ex eo. extra de reliq. & Ven. Sanct.* Ubi reliquiarum noviter inventarum approbationem ſibi pontifex reſervat, Prælatis verò mandat: *nè permittant eos, qui ad eorum Eccleſias causâ venerationis accedunt, variis figmentis, aut falſis documentis decipi.*

Ubi

Ubi notat *Panormitanus*, quod id deciſum ſit contra eos, *qui decipiunt populum fingendo reliquias, ubi non ſunt.* Hîc autem non eſſe, & non legitimè eſſe, id eſt non probatum eſſe, paria ſunt *Arg. L. Quoties. ff. Qui ſatisdare. cogant.* Propterea nullus populus, aut Magiſtratus pro gloria ſuæ Civitatis, caſtri, habitationis novas reliquias, aut martyriorum loca, ſibi procudere poteſt. *D.D. ad cit. cap. cùm ex eo.* omnes. Imò, ſi poſt ſufficientem inquiſitionem à viris rerum antiquarum peritis falſitas pateat, aut dubium duntaxat, num ſint reliquiæ veræ, permaneat, rectè monent abſtinendum ab earum veneratione etiam privatim, ſed maximè publicè. *Armilla verbo canonizatio n. 2. Suarez. part. 3. Tom. I. Diſp. 55. Sect. 2. § At verò. Sanchez. lib. 2. Moral. cap. 43. n. 13.* Igitur nihil eſt, quòd nos vulgi, in varias ſectas, turbáſque ſciſſi, opiniones morentur. Nulla enim fide digna probâ fulcitæ ſunt. Opiniones ſunt, non rationes, pro cujusque genio, paſſione, ſtudio in contrarium diſſectæ. Ideò potiùs contemni, quàm refutari merentur.

In turri alba. Quòd fortè nunc paſſim de ſtatu altiori ibi cuſtodiantur. Sed illa primùm an. 1497. ædificata fuit.

In domo *Burggraviatûs.* Quòd fortè *Carolus IV.* aliquot annis ibi habitaverit, ùt fatetur in diario vitæ ſuæ. Sed quid hoc ad *Wenceslaum* filium, & incarcerandum ibi *S. Joannem*?

In turri *Daliborka.* Ejus fit mentio in jure Provinciali *M.* 11. & in veteribus tabulis Regni *lib.* 1. *Wenceslai Gyndrach c.* 5. ubi accuſatur *Dalibor.* de *Kozoged*, quod occupârit partem bonorum *Adami* de *Drahonicz*, nempe villam *Ploſikovvicz* in provincia *Lithomericenſi*, & coegerit *Adamum* ad ſubſcribendum. Pronunciatur *Dalibor* reus capitis an. 1498. die *Martis* poſt *S. Georgium*, & includitur in dicta turri, quæ ab eo nomen *Daliborka* ſortita fuit, quia penuria eum ibi coegit, muſices cæterà penitus ignarum, fidibus canere, & hac arte eleemoſynam colligere. Nunc carcer eſt uſurariorum, ſed quid rurſus ad *S. Joannem*? nam hæc turris à *Wladislao* primùm ad an. 1496. ædificata fuit.

Tandem in palatio regio caſtri *Pragenſis*, ubi monſtratur hiatus parvus, ſeu fiſcus quadratus in muro, cum feneſtrella ad foſſam arcis. Reſpondeo, non eſt carcer, ſed receptaculum theſauri regii, & clenodiorum *Wladislai* Regis, ſtudio ità aptatum, & reconditum. Et paſſim in antiquis *Bohemicæ* arcibus per buſta nunc jacentibus, ejusce reconditoria reperiuntur, ad quæ tempore ſubiti tumultûs, incendii, pretioſa domûs deponerentur. Videtur tale in arce veteri *Daubrovvecz* ad *Teplicium*, ad quod ex hypocauſto dominicali patet portula, & eſt illi caſtri *Pragenſis* in latitudine, & longitudine ſimillimum, ùt puto, tres ulnas ſpatio non excedens. Non eſt ergò locus carceris, & torturæ, planè non. Nam impoſſibile, ut ibi carnifices pœnarum officinam: velut equuleum, & rotas potuiſſent exponere, ubi vix unus, aut alter homo, commodè ſubſiſtere poteſt. Sed quid multis? totus ille palatii regii tractus è regione ſepulchri *S. Joannis Nepomuceni* à *Wladislao* primùm poſt annum 1484. ædificatus fuit. Nam poſteaquam furor *Huſſiticæ* plebis conſules ex curia veteris, ac novæ urbis an. 1483. projectos, tribulis ferreis ad mortem trituráſſet, Eccleſias, & loca ſacra expiláſſet, monaſterium dein *S. Ambroſii* è regione aulæ regiæ diſcalceatorum viginti duarum perſonarum ferro & flamma in cumulum projeciſſet, ac vim etiam ipſi palatio regio veteris urbis, in quo tunc reſidebat Rex *Wladislaus* an. 1484. inferre paráſſet, & adjectis

jectis exſecandæ portæ minis, quidam civis ſeditioſus *Marianek* jaculum ex arcu in Regem ante feneſtram ſortem ſuam lacrymis plorantem mittere feſtinâſſet, ſtatim adhuc eâ die poſt crepuſculum *Wladislaus* Rex cum ſuis *Moldavam* trajiciens, in caſtrum *S. Wenceslai* ſe ſalvavit, aulámque illam regiam in veteri urbe Principum, & Regum *Bohemiæ* hactenus ſedem, fruſtratis ſæpe numerô *Pragenſium* de reditu precibus, vacuam reliquit, atque aliud palatium in caſtro *Pragenſi*, cum magna illa porticu, ſeu fornice (vulgò der groſſe Königliche Saal) è fundamentis excitavit. Comprehendit hoc totum illum à capella regia omnium Sanctorum tractum, è quo ſuperiùs ad finem pergula ad Eccleſiæ Metropolitanæ chorum, viſione cælica ejusdem *Wladislai* Regis memorabilem, ducit. Hypocauſtum itidem viride, ad ſimilitudinem illius, quod in aula regali veteri urbis majoris extabat, nominatum pro comitiorum regni conſeſſu in cornu extruxit. Ædificationis iſtius memoria ſaxo inciſa eſt in muro cubiculi Regiarum tabularum, ubi hæc *Wladislai* ſtructura ſuccinctè poſteris commendatur. *Codex* demum *MS.* Facultatis Philoſophicæ in Univerſitate *Carolina* ſequentia adnotavit. „Eodem Anno 1502. die „20. Septembris perfectum à Wla„dislao Rege in arce Pragenſi ſplen„didiſſimum, & præſtantiſſimum „palatium, cujus ſtructura omnia „regum palatia poteſt æquare.„ Ex quibus claré patet, quod, cùm hoc palatium regium centum & ultra annis poſt martyrium *S. Joannis Nepomuceni* à *Wladislao* Rege è fundamentis primùm fuerit excitatum, in eo carcer *S. Joannis Nepomuceni* exiſtere nullatenus poſſit. Cùm non entis, nullæ ſint qualitates, & illud loculamentum, quod quidam pro carcere *Joanneo* obtrudere volunt, in alium longè uſum à Rege *Wladislao*, quàm incarcerationis extructum ſit.

Jam priúsquam mentem meam ulteriùs hac de re aperiam, prænoto ſequentia. ʃ. Certum *primò* eſſe: omnes Epiſcopos & Archiepiſcopos *Pragenſes* usque ad reſtauratam ſub *Ferdinando I.* Imp. Archiepiſcopalem ſedem, in domo ſua è regione domus *Saxonicæ* ad dextram pontis minorem *Pragam* intrantibus reſediſſe, quosdam etiam Canonicos *Pragenſes*, ut Epiſcopo ad manum forent, in territorio *Augezdenſi*, in quo jurisdictio Capituli *Pragenſis* adhuc obtinet, tunc habitacula fixiſſe *Archiv. Capit.*

Certum *ſecundo*: Omnes Principes, & Reges ex ſtirpe *Przemyslæa* potiſſimùm in arce *Wiſſehradenſi* reſediſſe, ùt patet ex omnibus patriæ ſcriptoribus, Reges verò ex ſtirpe *Lucemburgica* & *Jagellonica*, unà cum *Podiebradio* ex ſtirpe *Kunſtadæa* potiori parte in aula regia veteris urbis *Pragenſis* ſedem habuiſſe. *Joannes* enim Rex primus è *Lucemburgicis* curiam ſuam regalem in *Wiſſehrad* an. 1322. *Dyrlao* Decano, & Capitulo *Wiſſehradenſi* donavit. Reges ſolemni aulæ pompâ per veterem & minorem *Pragam* diebus ſolemnibus ex aula ſua regia ad Eccleſiam *S. Viti* procedebant. Poſt coronationes etiam mos erat diademate regio ornatos ex caſtro *Pragenſi* ad eandem aulam regiam redire, & miſſilia in populum ſpargere. Tribunalia etiam & judicia omnia ibi fiebant, & tabulæ Regni iſtic aſſervabantur. *Sigismundus*, *Ladislaus*, *Podiebradius* & *Wladislaus* usque ad an. 1484. potiori parte hic reſederunt. Ut hæc fuſiùs ſupra *cap. 7. in Notis verb. Palatium vetus*, deduxi.

Certum *tertiò*: *Wenceslaum* Imperatorem illo anno 1383. & menſe quidem etiam *Majo*, quo *S. Joannem* martyriô affecit, in eadem aula regia veteris urbis reſediſſe, ùt ex datis literarum regiarum ſuprà *cap. 7. num. 9.* invincibili argumento oſten-

di. Velut: In literis ad *Neo-Pragenſes* pro jure fori. *Ex aula noſtra Regali urbis majoris die 8. menſis Februarii an.* 1383. In literis ad *Beneſſium* à *Lyebäſſycz* aulæ Regalis judicem. *Dat. ex aula Regia Urbis Majoris die 4. May an.* 1383. Demum in literis ad *Wilhelmum* ab *Hazenburg. Ex aula Veteri Urbis Majoris die 7. May an.* 1383. Ex deductis nunc mea ſententia eſt:

Probabile apparere, *S. Joannem Nepomucenum* ad aulam regiam Veteris Urbis *Pragenſis* à *Wenceslao* citatum, ibique incarceratum, & tortum fuiſſe. Adfirmat conjecturam oſtenſa vetus turris è regione monaſterii *S. Ambroſii*, lapideis ſubtùs fornicibus vincta, quæſtionum pœnalium locus. Aditum illuſtrârunt inſignia Regia, *Aquila*, ac *Leo*, inſculptâ coronatâ literâ W. Hæc ſingula adparuêre, ùt dicta ſunt, ac locus ad *Carceres* nominatus, priùsquam ab uſu Regio ad privatum ex Regales ædes devolutæ, ac potiſſimè novam ſeminarii faciem ætate ſuperiori induiſſent. Ad eruendam magìs veritatem ſollicitus fui, quis in tenebris manum porrigeret. Igitur ad ſenes, qui ibi habitâſſent, & quibus facies antiqui ædificii cognita fuiſſet, deflectendum ratus, prius *Jacobum Pietſch*, *Parochum Schatzlarienſem* diœceſis *Reginæ-Hradecenſis*, dein *Chriſtophorum Dont*, Parochum *Tirmicenſem* diœceſis *Litomericenſis*, ambos ab *Eminentiſſimo Cardinali* ab *Harrach* in illam domum ad clericatum olim ſuſceptos, antiquæ ſituationis optimè conſcios, curâ animarum, ſecundis ſacerdotii primitiis, pietate vitæ, ac exemplari morte præſtanter comendatos, interpellavi. Et uterque ſeorſim ſub ſecura, & certa fide obteſtatus eſt, ſe, ùt ſuprà narravi, locum omnino vidiſſe, & à moderna veteri turri civitatis novem circiter paſſibus ſejunctum, ad ſeptentrionem ſe porrexiſſe, addentes, non tantùm inter domeſticos, verùm & paſſim inter eruditiores opinionem non dubiam extitiſſe, ibi *Sanctum Joannem*, & vinctum & tortum fuiſſe. Ut locum adeo hìc obtinere videatur id *Livii Decad* 1. *lib.* 7. *Famæ rerum ſtandum eſt, ubi certam derogat vetuſtas fidem.* Diruto dein veteri ædificio, ac in aliam formam transfuſo, potiſſimùm ubi ex oculis hominum illa turris, & ſubterranei hypocauſti meatus abſceſſerant, tenuiores ſenſim auras præmemoratam famam exhalare coactam eſſe. Hæc illi. Verùm compenſavit honor poſthumus prioris ruinæ gloriam. Ecquidem mirabili fatô, illum ipſum locum divinis uſibus deſtinatum videmus. Nam excitatâ ibi ſub Patrocinio *Divi Adalberti M.* & Patroni Regni Eccleſiâ, ùt ex fide digna *D. Guilielmi Etzvveiler*, Rectoris *Seminarii Archiepiſcopalis* emeriti, ac Canonici *Wiſſchradenſis* Reſidentialis, narratione didici, ruinæ illæ turris, carceriſque Presbyterio novæ Eccleſiæ locum ceſsêre. Et totum non ſinè conſilio Domini Archiepiſcopi *Friderici* à *Waldſtein*, cujus mandato illæ ſacræ ædes excitatæ fuêre. Fuit ille ſummus cultor *S. Joannis*, & præcenſitorum optimè gnarus. Inde, ut locum ad honorem promoveret, in Presbyterium vertiſſe, ac ara Principe exornari juſiſſe. Imò, ut viva loci memoria poſteritati magìs commendaretur, mandâſſe *Joannem Joſephum* à *Breuner*, Archiepiſcopum *Pragenſem*, qui hanc Eccleſiam die 16. *Jun.* an. 1697. ſolemni ritu conſecraverat (teſtatus idem Dominus *Etzvveiler*) hiſtoriam incarcerationis artificioſô penicillô *Chriſtophori Liſka*, ſummi pictoris, aræ laterali die 24. *Julii* an. 1701. à *D. Vito Seipl*, Epiſcopo *Hierapolitano*, Suffraganeo *Pragenſi*, Abbate *Strahovienſi*, in honorem *S. Joannis Nepomuceni* conſecratæ inſeri. Et ſpectatur in ea imagine *Wenceslaus* Imperator throno ſublimis gravi, ac furioſo geſtu ſatellitio inclamare, ac id *S. Joannem*

qua-

quaſi regiô mandatô validiſſimè circumſiſtere, à conſpectu regio in aliud cubiculum, & tandem ad carcerem abducere. Eſt & ad eandem Eccleſiam mandato D. Archiepiſcopi *Joannis Joſephi* addita campana, conſecrata ſub nomine *S. Joannis Nepomuceni* an. 1697. Hæc, nè oblivio aliquando penitùs obtenebreſceret, adnotanda cenſui.

In equuleo crudeliſſimè extendunt. Sunt, qui locò equulei, cataſtam, alii rotam adducunt, ſed perinde eſt, partem pro toto figuratè ſumunt. Equuleus enim integrè, & cataſtâ, & rotâ conſtat. „ Equuleus eſt tormenti genus ad „ exprimendam à reis veritatem, in „ forma equelli effigiatum cum „ trochleis ſeu rotis ad extendenda „ membra funibus, locatum ſuper „ cataſta, ſeu pedamento, quod „ per modum pegmatis equulei machinam ſuſtinet. „ Ità ex antiquis autoribus *Antonius Gallonius tract. de inſtrument. martyriorum. cap.* 3. Quòd equuleus rotis, aut trochleis fuerit inſtructus, quibus corpora quaqua verſûm extendebantur, eruitur ex *Apulejo lib.* 10. „ Nec rota, „ vel equuleus more Græcorum tor„ mentis ejus parata jam deerant. „ Ariſtophan. Heu me miſerum! „ quænam membrorum extenſio me „ habet? tanquam ſim tortus in rota. „ Suida verb. rota. Rota erat in„ ſtrumentum tortorum, exten„ dens corpora. Euſebio: quidam „ enim primùm manibus â tergo li„ gatis, ligno appenſi, & machinis „ quibusdam membra eorum uni„ verſa diſtenta, diſtractáque. „ Equuleum in cataſta locatum fuiſſe inſinuat *Prudentius hymn. de S. Vinc. Audite cuncti: clamo longè, ac prædico, emitto vocem de cataſta celſior.* Et *Pomponius. Et ubi inſilui in trochleatum equuleum, ibi tolutim tortor. Cic. pro Milone. Quintil. declam. ult. Senec. lib. 3. de ira. Cypr. lib. de lapſis. S. Hieron. epiſt. 49. ad Innocent. S. Auguſt. Epiſt. 59. ad Marcellin.* Et hoc quidem circà equuleum veterum Romanorum, ac Græcorum. Ulteriori tempore compendii gratiâ figura equulei immutata eſt, & cataſta penitus omiſſa. Nec rei ultra ſupinè affixi, & corpore penduli torqueri ſoliti, ſed erecti, & ſtantes. Eſt nempe lignum quaſì columna erectum, ſupernè ac infernè trochleis, ac una rota majori ad contrahendos funes obarmata. Ad hoc rei infrà pedibus, ac ſuprà manibus ligantur, dein extenduntur, & attrahuntur ſtantes, & erecti pro meliori commoditate quæſtionum, & reſponſionum, ac etiam, ſi obſtinatio expoſcit, circà latera facibus uſtulantur. Tali figura comparatum videmus equleum *Beati Joannis Sacrandri* ob confeſſionis ſigillum poſt *S. Joannem Nepomucenum* An. 1620. die 17. *Martii Olomutii* martyrio affecti. Wenceslai Imperatoris quoque tempore eam equulei formam paſſim obtinuiſſe, ac etiam *S. Joannem Nepomucenum* taliter in ea tortum fuiſſe; antiquitatum patriæ bene conſcii omnino pro veriſimili teneant.

CAPUT NONUM.

B. Joannes Nepomucenus Vetero-Boleslaviam ad B. V. peregrinatur. Iteratô ad Regem citatur, & angariatur. At quia nullatenus Secretum confeſſionis prodere voluit, in Moldavam flumen præcipitatur, & ſubmergitur. Cœleſtia ſuper Corpus apparent lumina, & fluvius areſcit. E flumine levatur, & ad Crucigerorum Eccleſiam deponitur. Inde ad Eccleſiam Metropolitanam ſolemniter transfertur. Ad ſepulchrum fiunt miracula contra eos, qui temerè id dishonorarent. Ideò cratibus cingitur, & lampade illuſtratur.

ECquid *Joanni* ſupereſſet ampliùs, quàm atroces martyrii, ac mortis imagines. Non quieturum *Wenceslaum*, nisi confeſsô, aut mortuô. Tormenta nuper experta certum portendere agonem. Implacabilem Tyranni animum extrema minitari omnia. Cùm inter humana nullum præſidium, è cœlis poſtulandum. Præ cæteris *DEI Matrem* velut fidam morientium Advocatam enixè implorandam. Igitur refecto paulùm à tormentis corpore *Vetero Boleslaviam* ad Thaumaturgam *Beatæ Mariæ* iconem iter aggreditur. Hujus quidem veteres compendiô uſi non meminère, recentiores tamen paſſim eò peregrinatum memorant. (a) Eſt *Boleslavia* locus á *Divi Wenceslai* Patroni *Bohemiæ*, & Martyris *indelebili ſanguine*, ac inde excitata á *Brzetislao Bohemiæ* Duce an. 1039. Eccleſia Collegiali, & Capitulo (b) ac ùt plurimùm ab aheneo *Divæ Virginis* ſigno circà an. 1160. in Eccleſiæ agris mirabiliter exarato, prodigiis, àc miraculis ubique celebris, & commendatus. Poſitis ergò antè aram *Divæ* votis, quam in Protectricem vitæ, & Conſolatricem agonis exoraverat, invocatâ quoque, velut infrà octavam Pentecoſtes, *Spiritûs Sancti* aſſiſtentiâ, totus voluntati Divinæ reſignatus, animô roboratus, ad cuncta pericula pro DEI gloria paratus *Pragam* revertitur. *Wenceslaus* Imperator hypocauſtum *Aulæ Regalis Urbis majoris*, ac potiſſimè cubiculum viride (c) portæ *Boleslavienſi*, ac monaſterio *S. Ambroſii* obverſum otioſus inambulans, curioſos oculos transeuntium ſpectaculis paſcit. Intereà inclinatâ ad veſperam die, *ſanctum virum Jaannem* à *Pomuk Boleslaviâ* propè ibi redeuntem conſpicatus, ſubitô petiti toties ſpreti recurſu exagitatus, priores ſævitiæ flammas (ut vindictæ tenax erat) animô accendit. Exardet vi totâ, & non jam hominem, ſed beſtiam feralem ſpirat. Majeſtatem Regiam â Sacerdote eludi. Nec potiri poſſe deſiderio caſtigandæ conjugis. Maritis, & maximè Auguſtis uxorum omnia perſpecta eſſe debere. Aut fatendum, aut moriendum. Acciri inclamat Sacerdotem. Siſtit ſe conſpectui Regio *Joannes*, & decretoriam Cæſaris auſcultat ſententiam. *Audi*, inquit, *Sacerdos, aquam potabis, niſi confeſtim conjugis meæ adulteria, & ea omnia, quæ tibi unquam confitens in aures dixit, ordine promas. Nec preces, nec minas, ſed mortem ipſam è veſtigio impoſterum adponam. Beatus Joannes* zelô DEI excitatus, indigniſſimum reputabat toties ſacrilegiô peti. Igitur toto pectore *Wenceslai* violentiæ obſiſtit, ac in faciem inter mille etiam mortes Tyranni malitiam averſatur. Poneret, per ſe licere, carcerem, & cruces, & eculeos, & uncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat,

(a) Macar. in vit. S. Joan. fol. 32. Stredovvsky in ſacr. Morav. lib. 4. cap. 10. Beckovvsky in cron. cap. 52.

(b) Pulkava an. 1039. fol. 31. Coſmas ad eund.

(c) De eo vide Hagek. fol. 444.

gat, ſtipitem; & diſtracta in diverſum actis curribus membra, & tunicam illam alimentis ignium illitam, intextámque, & quidquid demum ferales tortorum machinæ horroris, dolorísque addere poſſent, non faceret. Frenduit irâ Rex, nec deſtitit inclamare ſatellitium, quod ſubitô tumultu accitum, *Joannem* è conſpectu regio in prius ergaſtulum deturbat.

N. 2. *Dies erat decima ſexta Maji s. Ubaldo* ſacra, Sabbatum quatuor temporum, ac vigilia *ſanctiſſimæ Trinitatis.* Ergò ad crepuſculum accerſitus patrinus carnifex, Sacerdotem innocentem nocturnâ merſione in mortem adficeret. Statô noctis tempore manibus vinctus ad pontem, qui *Moldavæ* flumini impoſitus *Pragenſes* Urbes duas *veterem*, & *minorem* conjungit, deducitur, ac inter ardentiſſima in *DEum*, *Beatiſſimam Virginem* ſuſpiria.

Summo pontis ab ardui
in præceps fluvio datur (d)

eo in loco, ubi olim lignea, hodie verò ahenea *crucifixi* effigies rei geſtæ teſtimonium collocata viſitur (e). Vix dejectum aperto vortice aqua, ac pretioſam animam cœlum ſuſcepêre, ſtatim cœleſtes flammæ, quæ naſcentem, hæ & morientem ad lucem juvare properant (f). Mortem occultam deſiderabat Imperator: ſed cœlo aliud viſum. Illâ enim, & ſequenti nocte (teſtatur *Hagek* (g). *Paprocżky*, *Kapihorsky* & paſſim omnes) miri fulgoris lumina eò plane locô, quo ſacrum corpus aquis obrutum jacebat, adparuêre. Sed & ſecundo flumine paulatim deſcendentia, id velut funeris obſequiô comitata ſunt (h). Primæ noctis illuminatione non ſuffecturâ, ſuperaddita altera (i). Quinimò, nè velut phœnomena ſæpè in aquis, & uliginoſis locis enaſcentia illæ cælicæ flammæ per aulicifmum traducerentur, adjecta & arefactio fluvii, ità, ut tertiâ die corpus nudaretur Martyris, ac *Moldavæ* vadô tranſiri pateretur. Teſtis propè coætaneus *Paulus Zidek* Academiarum *Viennenſis*, *Krakovienſis*, *Paduenſis*, ac *Pragenſis*, ùt tunc moris erat, ſacræ paginæ Doctor, in ſuo ad *Georgium Bohemiæ* Regem conſiliorum libro, *vita Wenceslai* (k). *Quarto*, inquit, „dum haberet malam ſuſpicionem de ſua domina, „& illa fuiſſet confeſſa Magiſtro „Johankoni Decano omnium Sanctorum, venit ad illum Rex, ut „ipſi diceret, cum quo cohabitet? „& dum Decanus nollet ipſe dicere, „juſſit illum ſubmergi, poſteà exſiccatus eſt fluvius, & dum homines „propter molas panem non haberent, inceperunt contrà regem „obloqui, & id fuit initium mali.„ Hæc *Zidek.* Idem *Dubravius* confirmat (l). „Quàm verò ſanctus, & „innocens Sacerdos ille fuerit, ipſe fluvius oſtendit, ità repentè arefactus, ut corpus nudaret ſubmerſi, „in ſtatúque illo triduum permanens; donec ſubmerſus ad S. Vitum ſepeliretur.„ Item *Joannes Tanner* (m) „Flumen Moldava curſum ſtitit, adeò ut ſiccis veſtigiis „totus ejus alveus poſſet perambulari; Quæſitum proinde, quid illic ſub aquis lateret, repertúmque „venerabile illud corpus, & in templo S. Viti ſepultum.„ Eadem habet *M. Boregk* (n). Ac ità edixêre teſtes in bino proceſſu Canonizationis (o). Ut mirer autorem recentiorem, qui locò arefacti fluvii exundationem abſque documento antiquo ſubtrudere, ac *Dubravium* hiſtoricum probatum, quaſi duos *Joannes* in unum confudiſſet, arguere audeat. Manet igitur ſinè omni ambiguitate, flammis non modò, verùm & exſiccatione fluminis venerandas Martyris exuvias velut primô miraculô cælitùs proditas, & honori publico populi commendatas.

N. 3. Portentis hujuſcemodi excita *Pragena Tripolis*, nocturnis pri-

(d) Prudent.
(e) Cruger. triumph. Maj. f. 8. Tanner in vit. Chanovſky.
(f) Theſaur. ſacer. Math. Ferd. Archiepiſc. Prag. fol. 136. Pontan. Boem. piæ. lib. 4. fol. 50.
(g) Hagek. fol. 353. Paprocżky Catal. Epiſc.

Prag. fol. 337. Kapihorsby hiſt. Sedlec. fol. 33. Summar. Proceſſ. Prag. Or. Rom. n. 11. Et alter proceſſ. n. 8.
(h) Macar. in compend. vit. fol. 34.
(i) Aut. & proceſſ. cit. loc.
(k) Zid. lib. Conſil. ad Georg. vit. Wenceſl.
(l) Dubrav. lib. 23.
(m) Jo. Tanner in vit. P. Alb. Chanovvsky pag. 14.
(n) M. Boregk cron. Boem. fol. 336. Beckovvsky cron. Boem. cap. 52. MS. Manl. fol. 143. Joan. Adelsreit. Annal. Bogic. gent. lib. 6. fol. 113.

primùm ignium ſpectaculis, dein areſcentia fluvii, & oſtenſione diurna ſacri corporis attonita tota, ſimul ac venerabunda ad locum accurrit, nec ignara Authoris, quem Aulici, ac priora facinora facilè prodiderant. Regina quoque *Joanna* inſolitis anguſtiata ſignis, quæ oculis ſpectaviſſe probabile videtur (p) acerbo ingemuit dolore, ut cognovit confeſſarii ſui Sacerdotis ſancti, & innocentis, idque ſui potiſſimùm causâ perpetratum martyrium. Mixtum tamen ſenſit dolori gaudium: confeſſarium habere Martyrem, ac interceſſione ad DEUM frui ejus, cujus antea directione. Intereà *Wenceslaus* conſcientiâ criminis, ac prodigiorum ad corpus ſubmerſi viſorum, faciem plebis expaveſcens (murmur enim omnes plateas impleverat) *in caſtrum Ioczník* propè *Zebratum* quinto lapide *Pragâ* diſſitum excedit. (q). Ibi toto triduo, verò an fictô dolore incertum à conſortio hominum abſtinens (r). Tandem facinoris feriè cum viſu luminum, & per areſcentia fluvii ad Archiepiſcopum *Joannem* à *Genſtein*, & Canonicos *Eccleſiæ Metropolitanæ* devolutâ, communi omnium votô eâ honorificentiâ levari corpus, quæ deceret Martyrem, ſtatuunt. Igitur, cùm

Felix amœni littoris
receſſus ille, qui ſacra
fovens arenis viſcera
vicem ſepulchri præbuit (s)

ſtatim è regione *Eccleſiæ S. Crucis* fratrum Religioſorum *de pœnitentia* ſitus erat (t): ſacrum pignus ad eandem Eccleſiam, die 18. *May* (u) tantiſper deponunt, quousque neceſſaria ſepulturæ Viro immortalitatis coronam actu Martyrii adepto competentis adornarentur. Temporariæ hujuſcemodi depoſitionis non meminêre quidem veteres (ùt rectè obſervant collectores *Bollandiani* (x)

(o) Sum. Proceſſ. Prag. Origin. Rom. n. 11. & alter proceſſ. n. 8.
(p) Tanner loc. cit. Macar. in compend. vit. fol. 36.
(q) Hagek & Paproczky loc. cit. Teſtes in proceſſ. canoniz. an. 1719. ſum. Or. Rom. n. 13.
(r) Beckovvsky Cron. Boem. cap. 52.
(s) Prudent.
(t) Aut loc. cit.
(u) Macar. in Gal. cant. fol. 92.
(x) Tom. 3.

contenti compendio, & ſubſtantiam retuliſſe. Verùm vicinitas loci, & transferendi corporis martyriô illuſtris ſolemnitas omninò ſuadere viſa eſt eam ſtationem, quam etiam recentiores paſſim notant (y). Levatum ex arena litoris corpus, habitu Canonicali, vultu vividô, ac ore renidente, atque in Eccleſia dicta locatum, priùs viciniam, dein totam triurbem, famâ martyrii undique perſonante, ad ſui aſpectum, & venerationem attraxit. Ingemuit altùm multitudo, ubi ſacro occipiti grave inhærere vulnus recenti cruoris notâ reſperſum (quod aut à torturæ, aut præcipitationis violentia, pilaſtro pontis impactum reportaverat (z)) aſpexit. Ferit æthera clamor ſacri Martyris encomiô *Joannem* honorantium, & fortitudinem, conſtantiámque ejus, intellectâ ab Aulicis causâ, devotâ mente concelebrantium; interveniret ad DEum piis rogabant adſpiriis, nec finem ponebant votis (aa). Sub hæc in *Wenceslai* tyrannidem, multa ſæpè verbis ſeverè obſervabant, quæ à Regi devotis malè intellecta, ferebantur ad auditum. Sacrilegiis enormibus DEUM provocari, ac regnum ſollicitari in ruinam. Cædes Sacerdotum nusquam fuiſſe impunes. Poneret ſaltem in DEI miniſtris ſævitiæ modum. Rex, qui prodigiis plebem adversùs ſupplicium excitam, crebrô concurſu, ulterioríque ad corpus miraculô in ſeditionem moveri timebat, *inferre pœnam mortuo*, atque oſſa extinguere animo inducit (bb).

Ne ſit ſepulchrum funeris
quod plebs gregalis excolat,
Titulúmque figat Martyris (cc).

N. 4. Canonici Metropolitani non ultrà moram trahendam rati, inſtitutâ poſt octavam *Corporis Chriſti* ſolemni ſupplicatione ad *Eccleſiam S. Crucis*, cum clero, populóque Prageno,

Act. May die 16. in not. cap. 2. lit. L. fol. 673.
(y) Macar. fol. 35. Baczina in vit. fol. 43. Beckovvsky cap. 52.
(z) Act. viſitat. ſepulchri ſum. Original. Rom. n. 14. §. 16. 23. 30.
(aa) Sim. Flagel. in hymn. Carol. Adolph. Redeln Hiſtor. Prag. cap. 24. fol. 330.
(bb) Macar. in vit. fol. 36.
(cc) Prudent. de S. Vincent.

geno, perſonante æris campani concentu, ac expanſis Eccleſiæ ſignis, ſacras exuvias magnâ veneratione levantes *templo Metropolitano* inferunt (dd). Canonicos porrò *B. Joanni* conviventes, virtutum, & ſanctitatis ſpectatores, ac funeris comites è vetuſtis Archivi membranis poſterorum memoriæ commendo ſequentes:

(dd) Hagek. Paproczky loc. cit. Pontan. in Boem. pia lib. 4. fol. 50. Sim. Flagel. in hymn. Joan. Adelsreit. in Annal. Bogic. gent.

1. PETRUS, Decretorum Doctor *Præpoſitus.*

2. PRZIBISLAUS ſeu *Adauctus* Magiſter in Artibus, & ſacra pagina, *Decanus.*

3. ADAM de NECZEBICZ, Decretorum Doctor, *Archidiaconus.*

4. M. ADALBERTUS RANCONIS in ſacra pagina Doctor *Pariſienſis*, *Scholaſticus.*

5. HENRICUS THESAURI, Magiſter in ſacra pagina.

6. ALBERTUS, Decanus *S. Egydii.*

7. JOANNES à LITOMYSSL, Licentiatus in Decretis, Decanus *S. Apollinaris Pragæ.*

8. PRZIBISLAUS, Decretorum Doctor, Archidiaconus *Horſſovienſis.*

9. M. RIWINUS, Archidiaconus *Plznenſis.*

10. BORSSO, Decretorum Doctor: Archidiaconus *Bechinenſis.*

11. MACHKO ſeu MATHIAS à *Praga*, Decretorum Doctor, Archidiaconus *Lytomericenſis.*

12. BENESSIUS ſeu BENEDICTUS à VVEITMüL, Baccalaureus in Decretis, ſcriptor Chronici *Boemiæ.*

13. JOANNES TOST, *Polonus*, Magiſter in Artibus.

14. ANDREAS KOTTLIK, Baccalaureus in Decretis.

15. Vacabat Martyrio *B. Joannis*, quem locum ordine electionis ab an. 1375. poſſederat.

16. HINKO ab OPATOVVICZ, Magiſter in Artibus *Cracovienſis*, *S. Egydii Melnicenſis Pragenſis* diœceſis Canonicus, Reginæ *Eliſabethæ* Conthoralis olim *Caroli IV.* Capellanus, Cancellarius, familiaris, & commenſalis electus 3. *Novembr.* an. 1378.

17. M. FRIDMANNUS à PRAGA, Profeſſor ſacræ paginæ emeritus in *Univerſitate Pragenſi* Archidiaconus *Bilinenſis*, electus die 20. *Decembr.* an. 1378.

18. VVASKO, ſeu VVENCESLAUS de RADECZ, Licentiatus in Decretis, Canonicus *Ratisbonenſis*, examinatorum *Moguntinenſis*, *Colonienſis*, & *Trevirenſis* provinciarum pauperum Clericorum in communi pauperum forma impetrare volentium Coadjutor, Archidiaconus *Boleslavienſis*, electus die 28. *Martii* an. 1379.

19. JOANNES GERCZEN antea plebanus in *Maſczovv*, Baccalaureus, ſeu Licentiatus in Decretis, Archidiaconus *Gradicenſis*, electus die 10. *May* an. 1379.

20. JACOBUS VIGANTI de *Unczovia*, Magiſter in ſacra pagina, ex concionatore Cathedralis Eccleſiæ *Olomucenſis*, ejusdem Præpoſitus.

21. CONRADUS olim HENRICUS de BUDVVEIS, Decretorum Doctor, *Petri Epiſcopi Portuenſis* familiaris, & commenſalis, electus ad

præ-

Præbendam olim *Joannis Cuſtodis VViſ-ſehradenſis* an. 1380.

22. M. JENKo aliàs VVENCESLAUS à PRAGA, Magiſter Artium,& Baccalaureus in Theolog. Profeſſor emeritus *Carolinæ Univerſitatis*,electus die *6. Novembr.* an.1380.

23. M. NICOLAUS, Licentiatus in ſacra pagina, Canonicus &, Altariſta *S. Annæ* in *Eccleſia Pragenſi*, Plebanus *S. Adalberti* ſub *VViſſehrado*, & Collector fructuum, & proventuum beneficiorum Cameræ Apoſtolicæ per Reverendum in Chriſto Patrem Dominum *Pavonem*, Epiſcopum *Poligniacenſem* principalem Collectorem à *ſede Apoſtolica* deputatum electus poſt obitum *Jenczonis* Officialis *curiæ Archiepiſcopalis*, die 12. *Sept.* an. 1380.

24. PETRUS VVSRERAB, Licentiatus in Decretis, electus die 13. *Octobr.* an. 1381. poſteà *Bonifacii IX.* Secretarius,Scriptor & Abbreviator literarum Apoſtolicarum.

Si qui prætereà in manuſcriptis ultrà hos viginti quatuor *Canonicorum Pragenſium* notâ inſigniuntur: Notandum eſt, eos non *reſidentiales* & *præbendatos* (quorum hîc ſolumodò ſyllabus tnxitur) ſed duntaxat *honorarios* aut *medios præbendatos* fuiſſe, qui nullam vocem in Capitulo, licèt ſtallum in choro habebant. Hi igitur decòro ordine, licèt fortè non omnes, funeris ſolemnia cum reliquo Eccleſiæ Metropolitanæ, & Triurbis Clero, nec non populo innumero proſecuti, primum *Beato Martyri* honorem impenſa devotione præbuêre.

N. 5. Locus ſepulturæ in ambitu Chori *Beatiſſimæ Virginis Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis*, & latere epiſtolæ, planè è regione capellæ *Beatæ Mariæ Virginis Viſitantis*, *S. Luciæ*, *Ottiliæ*, nec non *S. Clementis*, ædificiô, ac ſepulturâ *Joannis à VVlaſſim* Archi-Epiſcopi celebris, deſignatus, ambos ad aulam *VVenceslai* virtutum pugiles, animô in vita junctos, poſt obitum quoque corpore vicinos reddidit. Hîc igitur corpus *Beati Joannis Nepomuceni* habitu Canonicali ornatum,ac purpurâ intectum, arcæ funerali, quæ è quercu, pinúque in apertione ſepulchri reperta eſt compaginata; (ee) reverenter impoſitum ſuſpiriis Cleri, votis populi, lacrymis pauperum, quorum pater extiterat, menſe *Majo* an. 1383. terræ defoſſum eſt. Impoſitum ſepulchro marmor (ff) porphyreticum ſubfuſcum cum inſcriptione: JOANNES de POMUK.

(ee) Act. Viſit ſepulchr.

(ff) Hagek fol. 153. Paproczky Catal. Epiſc. Prag. fol. 337. Kapihorsky hiſt. Sedlec. fol. 34.

Quondam finitimi, longè, latéque per urbes
Prodigiis acti cœleſtibus, oſſa piabunt,
Et ſtatuent tumulum, & tumulo ſolemnia mittent,
Æternúmque locus Pomuceni nomen habebit.

Decebat quidem Martyrem non humi, ſed elevatiori loco ſepulturæ tradere, at ſævitia *VVenceslai* ſacro corpori minitans obſtitiſſe videtur. Non aliter, ac olim honoratiori ſepulturæ *S. VVenceslai* impietas *Drahomiræ*, de qua *Chriſtiannus* (gg). „Ejuſdem (S. VVenceslai) exanime corpus matris imperiô, quam „nuper peccatis ipſius exigentibus „pepulerat, rursúmque in pace pro „Chriſti amore revocaverat, qui„buſdam cum fidelibus rapientes, in „tumba tandem projicientes, hu„mô cooperuerunt, non ùt decebat „martyrem, ſed ùt aſſolet quispiam „honoris, aut beatitudinis morta„lium, ſed ille Beatus Miles ex pœ„na, & contumelia numeroſio„rem ſurgit ad gloriam, & quantò „viliùs a filiis diaboli, & membris „ejus Martyr pretioſus tractatur, „tantò clarior Domino ſuo, & con„civibus cœlorum præſentatur.„ Eadem de cauſa timor nempe *VVenceslai*

(gg) Chriſtann. in vit. S. Wenceslai. MS. cod. membran. Capit. Prag.

ceslai præter honorem ſepulchri epitaphium quoque *S. Martyris* in laconiſmum contraxiſſe videtur: ut demum nihil plus notaretur, nisi: JOANNES de POMUK: omiſsô Sacerdotiô, Martyriô, ac obitûs etiam annô. Etſi pro more ejus ævi plures hujuscemodi quidem inſcriptiones viventibus quasi duntaxat non poſteris factas in ſepulchris variorum repererim, velut in *Eccleſia Metropolitana*: *Hic jacet Jacobus.* Et in *Eccleſia Teinenſi* veteris urbis Pragenſis: *Hic jacet Nicolaus.* Et propè: *Hic jacet Caſtulus.* Non potuiſſet tamen religionis ergò factum fuiſſe, ut tam ſpecialiſſimo Martyri, ob ſervatum pœnitentiæ ſigillum, inaudito in Eccleſia hactenus caſu, nihil ampliùs inſcriberetur præter ſolum nomen; nisi vehemens omninò Tyranni ſævitia, cedendum tempori ſuadens, aliud extorſiſſe videretur. At ſicut *S. Wenceslao* contumelia profuit ad gloriam, ità & *S. Joanni*. Dicente *S. Ambroſio*: (hh) *Non clauditur locis, quod diffunditur meritis.* Nam compenſavit Regis Tyrannidem populi veneratio, & crevit quotidie honor ex ſepulchro. Cultum, quem ſacro corpori piis attactibus, & oſculis ante inhumationem populus præſtiterat, eundem & ſacro loculo inceſſabili invocatione *Sancti* exhibere non deſtitit. Etenim primò ſtatim glorioſi obitûs annô, ùt dilucidè notant *Hagekus*, *Simon Flagellus*, & *Pontanus* (ii) jam tunc *S. Joannis* tumulus frequentibus genuflexionibus, & precationibus honoratus inclaruit. Nam paſſim, qui ad honorandos SS. Regni Patronos, velut *SS. Vitum*, *Wenceslaum*, *Adalbertum*, *Sigismundum*, Metropolitanam Eccleſiam acceſſerant, etiam ante hoc ſepulchrum genua, & vota poſuêre (kk). Nec populi cultus ex inani pruritu, aut curioſa novitate, ſed è coeli ſignis, anteà ad corpus, nunc ad ſepulchrum patratis, & manifeſtô adeò indiciô virum hunc velut *ſanctum Martyrem*, & amicum DEI collendum oſtendentibus proceſſit. Experientiâ etenim quotidianâ vidit *Pragena tripolis*, quotiescunque quis temerarium pedem ſacro loculo infigeret, eam diem is absque infamia non clauderet. (ll) Itèm famâ periclitantes, confuſionem metuentes, peccatis graves, felicem ſemper recurſum ad *S. Joannem* ſumpſiſſe. Cùm ſignis ergò crevit clientum numerus.

(hh) S. Ambroſ. ſerm. 93. in Natal. S. Nazar.

(ii) Hagek fol. 353. Simon Flagell. & Pontan. in hymn. Proceſſ. Prag. ſum. Original. Rom. n. 15.

(kk) Theſaur. Sac. Mat. Ferd. Archiepiſc. fol. 139. Macar. in vit. fol. 38. Baczina in vit. fol. 50.

(ll) MS. Manl. coment. Rer. Luſat. fol. 143.

N. 6. Canonici Pragenſes DEI oſtentis, ac voce populi perciti ſepulchrum ferreô clathrô marmori infixo cinxêre (mm). Appareret nempe per eum ornatum, nulli nè Archiepiſcopali quidem ſepulchro communem, ſpecialis loci ſanctitas. Annum determinare non audeo, nec poſt martyrium ſtatim factum eſſe, argumentô eorum, quæ ſuprà timore Regis omiſſa dixi, veriſimiliter conjicio. In fine tamen ſæculi decimi quarti, aut ſequentis initio clathris ſepulchrum ornatum, ac munitum exinde conjecturo, quia eorum rudis labor, & implexurarum ſimplicitas cùm ejus ævi (An. 1398. & ſeq.) clathris ſuprà in pinnaculis Eccleſiæ, & Architecturæ Gothicæ pergulis per omnia ſimilis eſt, ùt non raró ſtudioſè diſpexi. Concordant dicta fabrorum ferariorum (nn) antiquitatem operis ad tria ſæcula protendentium. Per idem tempus clientum votis appenſa lampas deplorandô *Huſſitarum* diſturbiô cum reliquiis SS. Patronorum anathematis abrepta, reaccenſa ad finem ſæculi decimi quinti (oo). Addita cinctura altera cratium denſiorum, & altiorum ſub regimine *Ferdinandi I. glor. mem.* & *Wenceslao* à *Wolffenburg* Decano (pp). Dum enim clathrum vetus, altitudinem ulnæ non excedens, ferramentô etiam rariori ſeptum venerationi non abundè proſpiceret; ſepimentum altius eductum, & florum ſertis ornatum; nè ſcilicet pede liberiore per imprudentiam tam glorioſi Viri ſepul-

(mm) MS. Chron. Zittav. fol. 86. ad an. 1383.

Hagek & MS. Zittav. loc. cit.

(nn) Summ. Proceſſ. Orig. Rom. n. 14. §. 8.

(oo) MS. Notæ Thom Peſſina Archiv. Capit.

(pp) Atteſtat. publ. Capit. an. 1675. n. 3. Concordant. te-

ſepulchrum calcaretur. Sed quoniam neque ſic adhuc ſatis proſpectum eſſe videbatur, quin quorundam, aut imprudentia, aut temeritas ſacrum loculum profanè contingeret, renovatis prioribus denſiores rurſus ſertorum implexuræ admixtæ ſunt tempore *Rudolphi II.* Imperatoris (qq). Dum is nempe an. 1589. ſepulturam Regum alabaotrite exornaret, ac organum illud reſonantiâ, & vocum diſcriminibus incomparabile Eccleſiæ Metropolitanæ adornaret (rr). Superiori quadraturæ appoſita latina ac Slavica inſcriptio in hæc verba: „Honorabilis Dominus Magiſter Joannes Nepomucenus hujus Eccleſiæ Canonicus, Reginæ Confeſſarius, qui ſacroſancti confeſſionis Sigilli cuſtos usque ad mortem fuit, à VVenceslao IV. Bohemiæ Rege, Caroli IV. filio, tormentis tentatus, ex ponte in Moldavam præcipitatus, miraculis clarus hîc jacet ſepultus an. 1383. Quæ inſcriptio aliquoties renovata fuit, ſemel è mandato *Joannis Lohelii Archiepiſcopi*, magni cultoris *S. Joannis*, dum Eccleſia Metropolitana ejectis è regno hæreticis poſt pugnam albomontanam reconciliaretur an. 1621 (ss). Alterâ vice mandante *Joanne Friderico Archiepiſcopo*, ac curante *Thoma Peſſina* Decano an. 1679. Denique poſterior ornatus, quem induſtria *Tobiæ Joannis Beker*, Metropolitani Canonici, dein *Epiſcopi Reginæ - Hradecenſis*, ope clientum è Bario, Luculleóque marmore ſex inauratis ſtatuis ſuſtentatum an. 1692. excitaverat, priores firmitate, arte, & ſplendore ſuperat. Inciſus marmori aureus caracter refert ſequentia, exterior: „Divus „Joannes Nepomucenus hujus S. „Eccleſiæ Canonicus, Reginæ „Joannæ Confeſſarius, & Eleemo„ſynarius ob ſigillum confeſſionis „inviolatè ſervatum à Wenceslao „IV. in Moldavam præcipitatus „an. 1383. miraculis clarus hîc re„quieſcit. *Interior:* Hoc caſtrum „gloriæ in honorem divi Joannis „Nepomuceni Glorioſi Martyris, „& ſpecialis Patroni famâ periclitantium erectum eſt Anno „MDCLXXXXII.„ Eſt præterea ad latus ſepulchri in pariete alia vetus Teutonica inſcriptio, quæ in latinum translata ita ſonat: „Hîc „jacet ſepultus Beatus Sacerdos Magiſter Joannes de Nepomuk, hujus Eccleſiæ Canonicus, & Confeſſarius Reginæ, qui juſſu Regis „Wenceslai quarti; quia ſecretum „confeſſionis nullis tormentis revelare voluit, tandem de ponte „Pragenſi in fluvium Moldavam „præcipitatus fuit, annô Milleſimô „trecenteſimo octuageſimo tertio, „cujus corpus à D. O prodigioſis „lampadibus, & luminibus in aqua, „atque etiam in hoc loco multis miraculis inclaruit.„ Sed quoniam prævertere nolo, fusè hæc omnia infrà, ubi de cultu & veneratione ſancti Martyris ac honore ſepulchri agam, recenſebo. Canonici Pragenſes poſt glorioſum exceſſum ſancti confratris ſui ſuper vacantis præbendæ proviſione conſultantes unanimi conſenſu in Canonicum elegêre *Jacobum Habilsvverde* de *Wratislavia.* (tt) *Carolinæ Univerſitatis Pragenæ*, & facultatis Theologicæ Profeſſorem emeritum, Virum probitate ac doctrina conſpicuum, qui paulò poſt vitâ functus eſt. Eodem an. 1383. die 26. *Nov.* Canonicus *Pragenſis* electus *Wenceslaus*, decretorum Doctor, Notarius *Wenceslai* Imperatoris, Canonicus *Wiſſehradenſis.*

ſtes in Act. Viſit. die 26. Jun. 1719. Proceſſ. fol. 241. & 245. Ubi ad ducentos annos vetuſtatem earum cratium extendunt.

(qq) Cruger. 6. Non. May fol. 8. Tanner. in vit. Chanovvsky pag. 14. in verb. cum eo tempore adhuc clathra.

(rr) MS. Analect. Joan. Rakonisky ad an. 1589.

(ss) Fam. Poſthum. in fin.

(tt) Protocol. Capit. ad an. 1383. Archiv. Capit.

NO-

NOTÆ IN CAPUT IX.

A*Quam potabis.* Volebat per id indigitare *Wenceslaus* merſionem in flumen. Certè id ſupplicii genus jam veteri gentis conſuetudine de majeſtate, ſacrilegiô, aut aliô enormi crimine reis infligi ſolebat. Ità enim vetuſtum ſæculi decimi quarti manuſcriptum, jura provincialia Regni comprehendens in præfatione fol. 1. Slavicè ſonat: Prawo zemſkee geſt dawno nalezener geſtie ad pohanſtwyn a naiwſce ad Przemyſla Oracze / a ad tiech qonnuw Ktrzicz gſa ten chwile byli. A toho geſt giſty duowod / nebo mnoho obyczeguw qohanſtych w niem geſt drz zano / gocko oczjiſta s zelezem Hornkzym / a neb uwezenie na wodu. A ten obyczey ſtal bez przetuzi az do Cyſarze Karla / a do Knieze Alnoſzta prwiho Arcy / biſkupa proſkeho / ten geſt Cyſſarz s pluem raddu Alucibyſkupa y oſſech zeman obyczey zruſſil &c. id eſt. Jus provinciale Boemicum pridem conditum eſt adhuc ſub paganiſmo, & potiſſimùm à Primiſlao agricola, & ab illis dominis, qui ſequenti tempore fuêre. Et hæc eſt certa proba, quia multæ conſuetudines paganæ in eo continebantur. Velut purgatio per candens ferrum, & *præcipitatio in aquam.* Et hæ conſuetudines obſervatæ fuêre abſque intermiſſione uſque ad Carolum Imperatorem, & Arneſtum primum Pragenſem Archiepiſcopum. Dein hic Imperator pleno conſilio Archiepiſcopi, & Regni procerum ejuſcemodi conſuetudines caſſavit. Hæc ibi. Ità apud *Chriſtannum* primum *Boemiæ* ſcriptorem in *vita S. Wenceslai* de impia *Drahomira* ad an. Domini 939. legimus, quod illa odio fidei Chriſtianæ poſt martyrium *S. Wenceslai* Chriſtianorum proles in *Moldavam* flumen præcipitari juſſerit. „ Sed iidem Sancti Martyris perſecutores (*ſunt verba* Chriſtanni) ei, quem uſque ad mortem perſecuti ſunt, nec mortuo parcere cupientes, curſu rapidô Pragenſem civitatem adeunt, & omnes amicos ejus, quos bonos bono adhæſiſſe credimus, diversa, & crudeli morte perimunt, & infantes eorum vivos in profundo fluvii VVltaviæ demerſerunt. „ *Coſmas* quoque narrat *lib. 2. cron. Bojem.* ad an. MXL. „ Relatum eſt (*inquit*) Duci Brecislao, de Picos comite, qui præfuit Bolyn in urbe corruptus Saxonum pecuniâ non ſtetiſſet ex adverſo munitionis in cuſtodia, ſed ubi ſunt memora hoſtibus pervia, ibi poſuiſſet præſidia. Hunc tamen Dux præfecerat toti cohorti, quæ fuit de Moravia, & tribus legionibus, quæ fuerunt miſſæ in auxilium de Ungaria. Quem ſtatim Dux iratus erutis oculis, manibus & pedibus abſciſſis, juſſit præcipitare in abyſſum fluminis. „ Hæc ille. An. Domini 1067. Dux *VVratislaus* Judæum nomine *Reiman* cum aliis quinque ſuis contribulibus, qui infantem Chriſtianum martyrio afficere deſtinaverant, culeo inſutum è *ponte Pragenſi* in *Moldavam* agi jubet. *Hagek. fol.* 131. Non minùs an. Domini 1077. idem Dux *VVratislaus* alium Judæum nomine *Seligman* furti ſacrilegi reum, qui clenodia *Eccleſiæ Metropolitanæ* violenta Eccleſiæ perfractione abſtulerat, è *ponte Pragenſi* deturbat. *Hagek fol.* 135. Demum an. Domini 1361. die 3. *Apr.* ſub noctem *Martinus Zinkius* ad *D. Viti* in Metropolitana Sacellanus culeo incluſus, de *ponte Pragenſi* in *Moldavam* fluvium mandato Conſulum *Urbis majoris*, præcipitatus fuit. Cauſa erat

innocentis mortis, quia hæreditatem ſuam Sacerdos *Pragæ veteris* filius coram ſenatu expetebat. *Carolus IV.* qui tunc aberat *Norimbergæ*, ubi enorme inaudivit facinus, pro zelo tuendæ juſtitiæ, defendendarúmque libertatum Eccleſiæ, graviſſimas, ac extremas cogitavit vindicias. Sed cives tempore accurrerunt *Romam*, offerentes quantamlibet imponeret ſatisfactionem. Affligebat eô tempore *Bohemiam* fames inſolita, qua plurimi è pauperibus conficiebantur, juſſi ergò ſunt frumenti tantùm comparare, quanto calamitatem miſerorum poſſent levare. Duas inſuper lampades, fundatô pro iis æternô oleô ad *D. Viti* ſuſpenderunt. *Carolus* nihilominus Imperator, non ante pedem impoſuit in urbem redux, quàm Judex, & Conſules commiſſi ſceleris rei, ſolum vertiſſent, exiliô perpetuô mulctati. *Hagek fol.* 335. *VVeleslav. Calend. Hiſtor. 3. Non. April. fol.* 187. In articulis quoque accuſationis contra *Hieronymum de Praga* Hæreſiarcham, & *Huſſi* aſſeclam apud *Cochl. hiſtor. Huſſit. lib. 3. fol.* 123. *Artic. 7.* de ſubmerſione in flumen legimus: „Fratrem Nicolaum Ordinis Carmelitarum Concionatorem monaſterii S. Mariæ in arena ob eandem cauſam „ (quòd videlicèt erroribus *VVikleffi* è ſuggeſtu adverſaretur) „manu violentâ fecit extrahi ſimul cum duobus aliis è monaſterio, & captivos abduci ad judicem Novæ civitatis Pragenſis, qui duos illos, haud ſecùs ac fures in publico detinuit carcere. Nicolaum verò domi in privato carcere tenens, diverſis tormentis excruciavit. *Artic.* 8. „Cùm non poſſet Nicolaum illum ad revocandum ea, quæ contrà errores VVikleffi dixerat, compellere, fecit eum educi ad flumen, ut ſubmergeretur, Projectus itáque ille è navi in Multaviam, ſubmerſus utique periiſſet, niſi clientis cujusdam auxilio ereptus fuiſſet.„ Addidicere nempe hæretici ejuscemodi violentias à truculento Rege *VVenceslao*, quem viderant & *Beatum Joannem Nepomucenum* de ponte, & alios viros innocentes è balneo *VViſſehradenſi*, ad eum finem occultis rupturis per apicem ſaxi conſtructo, in prætérfluentem deturbari. Par maleficium ſubmerſionis pro fide Catholica à *Ziſka Jaromirienſes* ſuſtinuerunt. Dum enim is die 14. *May* an. 1421. *Jaromirium* obſideret, ac ab ortu ſolis usque ad meridiem furioso impetu in comitatu *Pragenſium* mœnia concuteret, *Jaromirienſes* non cunctandum rati, pari fortitudine reſponderunt, & *Pragenſium* circiter ſeptingentos, *Taboritarum* autem nongentos, & ſedecim occiderunt. Mox obſeſſos ad colloquium *Ziſka* invitat, loquente Præfecto *Pragenſium*, futuram ſtatim obſidii ſolutionem, ſi *capita Pragenſium* agnoſcere voluerint. Nihil nobis, reſpondent *Jaromirienſes*, cum veſtris capitibus errore plenis, nos unum *Eccleſiæ caput*, ſicut unum Regem noſtrum agnoſcimus. Cæterùm ſi liceat viris, mulieribúsque cum ipſis pueris incolumibus exire, & tantùm cuilibet reccularum ſuarum ſecum aufferre, quantùm dorsô geſtare queat, de civitate, ſe *Pragenſibus*, non autem *Taboritis* conceſſuros. Obſtringunt fidem, ità ſe facturos. Sed dum *Jaromirienſes* cum familiis civitate exeunt, *Pragenſes*, & *Taboritæ* contra datam fidem inermes invadunt viros, mulieréſque veſtibus ſpoliatos, odiô fidei è rupe (locus hodiéque monſtratur) in *Albim* præcipitant. *Hagek ad an.* 1421. *fol.* 389. *Dubr. Hiſtor. Boem. lib.* 26. Eodem anno in pago *Zvvole* quatuor Ordinis *S. Dominici* itidem à *Taboritis* in Albim ſubmerſi ſunt. *Rokizanes* tandem eandem tyrannidem *Georgio* Regi, ùt refert *Hagek* an. 1470. perſuadere conatus fuit: Nam ad finem vitæ properanti & pœnitudine anteactorum ſuſpiranti ingeſſit. „ Rex eſto Vir,

„&

„& nè des, te à Calice Domini abdu„ci, expelle è regno rebelles, & „diabolos illos Monachos ſeducto„res manda aquis ſubmergi. *Cui* „*Rex*: Magiſter ſatis Magiſtrâſti: „tandem relinque me quoque Ma„giſtrare. Si tua conſilia non audi„viſſem, fuiſſem Rex multò glorio„ſior, & tanta ſanguinis effuſio non „contigiſſet, neque pauperes fame „periiſſent. Quapropter recipe te „in tua, & amplius ante conſpe„ctum meum non appare, ſecus „mortem guſtabis, cunctis exem„plo futurus.„ *Hagek fol.* 444. Dignum Rege reſponſum, ſed tardum.

Dies erat decima ſexta Maji. De anno martyrii Beati *Joannis Nepomuceni* Autores omnes, nemine prorſus excepto, tam exteri, quàm indigenæ unanimiter conveniunt, & adnotant æræ vulgaris annum *Chriſti* 1383. Teſtatur vetus membrana manu *Joannis à Krumlovv*, Decani *Metropolitani* exarata de qua plura inferiùs, laconiſmum referens ſequentem:

JOHANCO de POMUK 1383. SUBMERSUS de PONTE.

Annô igitur certô circà diem ſubmerſionis, triplex reperitur ſententia, quarum ſingularum momenta diligenter expendam, ut ad veritatem hac in re omnibus gratam deveniamus. Quapropter ſpeciale ad hanc quæſtionem ſtudium, & laborem adhibui, nè ulli errori, quoad poſſibile, via panderetur, ſciens in certis, ſtatiſque Martyrum diebus Eccleſiæ plurimùm eſſe poſitum.

PRIMA igitur eſt ſententia *Crugeri*, & *Nadaſi*, qui *ſecundam* & *quartam Maji* martyrio *Beati Joannis* aſſignant: „An. Dom. 1383. (*ait* „Cruger. ſacr. memor. Boem. ad 6. „Non. Maji fol. 8) à S. Sigismun„di die, quæ eſt 2. May, nocte ſub„ſequente è ponte Pragenſi, eo lo„co, ubi nunc crux ſtat lignea, in„ſutus culeo M. Joannes Nepomu„co oriundus, & ad omnes San„ctos in collegiata Decanus deje„ctus eſt in Moldavam. Crimini „datum à Wenceslao, quòd no„luiſſet revelare, ac ſacrilegè pro„dere, quæ ſibi Regina ſub Sacra„mento crediderat.„ *Joannes Nadaſi* in libello intitulato *Annus Joanneus* edito *Pragæ* typis *Univerſitatis* an. 1664. *fol.* 188. diem 4. *May* martyrio *B. Joannis* conſtituit, verba ſunt: „*IV. May.* Hoc die à Rege impio „ad prodendum Sacramenti pœni„dentiæ arcanum vocatus eſt Joan„nes ille Nepomucenſis, celebre in „Boemia nomen. Is in Carolina „Univerſitate Pragæ Philoſophicâ „laureâ inſignis, poſtea ad S. Viti „Canonicus, piiſſimæ Reginæ Eli„zabethæ (*lege* Joannæ) ab Elee„moſynis, demum & à ſacris con„ſcientiæ arcanis fuit, quæ quia „prodere id urgenti Regi noluit, „etiam igne cruciatus, perſtitit con„ſtans, ac fortis ſigilli ſacramentalis „Cuſtos, qua propter è ponte in „flumen Moldavam præceps agi „juſſus, dejectus & ſubmerſus.„ Uterque ſiniſtrè intellectô *Hageko*, quem ſequi conſtituerant, erravit. *Hagekus* enim *Chron. Boem.* ad an. 1383. *fol.* 353. ait: „die feſtum S. „Sigismundi ſubſequente accerſi„vit (*Rex* VVenceslaus) Presby„terum Joannem Nepomucenum, „Magiſtrum Academiæ Pragenſis, & „Eccleſiæ Pragenſis Canonicum, „Reginæ Confeſſarium, virum „DEUM timentem, & diligenter „ex eo ſciſcitabatur, ut ſecretè ſibi „aperiret, de quibus peccatis ipſi „Regina ſe coram DEO accuſet, qui „reſpondit; Domine mi Rex! ego „certè non memini, & ſi meminiſ„ſem, non liceret tamen revelare, „neque Regem decet de his inter„rogare. Rex ſuccenſus irâ præce„pit illum in gravem ſubterraneum „carcerem immitti, & dum his

„non proficeret, miſit pro carnifi„ce ſuo compatre, juſſitque crude„liter eum torqueri; ſed neque his „quidquam ſecreti exprimere va„lens, mandavit illum nocturno „tempore ad pontem Pragenſem „educi, ligatúmque in aquam præ„cipitari & ſubmergi. „ Ex quo liquet, quòd conſtitutâ torturæ die ſequenti poſt feſtum *S. Sigismundi* id eſt 3. *May* (feſtum enim *S. Sigismundi* 2. *May* quot annis celebratur) quoad martyrium *Hagekus* indefinitè locutus fuerit, diem non exprimendo, contentus compendiô poſt torturam, mortem retuliſſe; ii verò arbitrati executionem ſupplicii ſtatim, & in continenti poſt torturam contigiſſe, quod *Hagekus* nullatenus dixit, ſed ab eo præſcidit. Ideò *Nadazi diem* 4. allegat, conſiderans tertia fuiſſe torturam, ad quam ſubitò Beatum ſubmerſum credidit. Sed ſicut hic Autor erravit in nomine Imperatricis *Joannæ*, & eam *Eliſabetham* intitulavit, ſic etiam in ipſo die martyrii *B. Joannis* erráſſe cenſendus eſt. Qua ratione autem *Crugerius* planè 3. *May*, contra expreſſam *Hagecii*, ac omnium mentem martyrio deſtinet, attingere non poſſum. Hæc ergò ſententia utpote deſtituta ſufficienti fundamentô meritò ab *Henſchenio* & *Papebrochio*, ac omnibus paſſim, ùt minus probabilis rejicitur.

ALTERA ſententia eſt *Henſchenii* & *Papebrochii* in actis Sanctorum Maji *tom 3. præfat. fol.* 667. *n.* 2. autumantium *Beatum Joannem* ſubmerſum eſſe in *pervigilio Aſcenſionis Domini*, eô anno 1383. die 29. *Aprilis* celebrato. Permoti è literis *P. Balbini*, qui id ibi è vetuſtis manuſcriptis aſſerere videbatur. Verba eorum ſunt: *Num.* 2. „ Annum mortis eundem omnes ſtatuunt 1383. æræ „vulgaris, de die quid certi ſtatua„mus, non occurrit. WENCES„LAUS HAGEKUS in Chronico „Boemiæ poſtridie S. Sigismundi, „id eſt, die III. May ad Cæſarem „vocatum ait, hunc ſanctum Pres„byterum, atque ad revelandum „Reginæ confeſſionem fruſtra ſol„licitatum, in flumen juſſum præ„cipitari. Et Hagecium ſecutus eſt „Crugerius noſter in ſacris memo„riis Boemiæ. Joannes Nadazi in „libello, quem ſub annum 1664. „Pragæ vulgavit, vocavitque an„num Joannis, citatis Boemiæ mo„numentis IV. diei Joannem adſcri„bens, hoc die vocatum ad proden„dum Sacramenti arcanum aſſerit. „Albertus Chanovvsky in veſtigio „Boemiæ, & Georgius Ferus in fa„ma poſthuma, nec non Pontanus „S. Metrop. Eccleſiæ Præpoſitus, & „Thomas Joannes Peſſina in Pho„ſphoro, ac denique Balbinus in „Epitome Rer. Boem. ſeptimo poſt „miſſam ad nos vitam anno edita, „altum de die ſiluerunt, omnes Du„bravii Olomucenſis Epiſcopi exem„plum ſecuti. Cauſa ſilendi potiſ„ſima fuit, quòd cùm vetuſtiſſima „quædam illius ævi monumenta „manuſcripta (quæ ſe vidiſſe Balbi„no ſcripſit Dlauhovvesky) do„ceant B. Joannem de ponte præ„cipitatum, mersúmque fuiſſe, IN „PERVIGILIO ASCENSIONIS „DOMINI, quod anno Domini „1383. convenit cum 29. Aprilis. „Cúmque ex alia parte Eccleſiæ „Pragenſis codices manuſcripti, „ſicut etiam Balbino aſſeruit Peſſi„na, Joannis Nepomuceni memo„riam eſſe moneant die S. Ubaldi „XVI. May, difficile fuerit, quo„modo hæc conciliari queant &c. Tandem concludunt.

Num 4. „ Illa autem ego ſic or„dinaverim, ut primum inſultum „paſſus ſit Joannes paulò ante, vel „poſt Feſtum Paſchatis, eo anno „celebrati 22. Martii, occaſione „confeſſionis juxta legem fidelium „Chriſtianorum tunc factæ; Dein„de cum aliâ occaſione captus eſſet, „conjectúsque in carcerem, mox

„verò

„ verò adhibitus menſæ, atque iterum, iterúmque ſollicitatus, tandem etiam torturæ ſubjectus fuerit, ſed promiſſis, minis, tormentis ſuperior abire permiſſus &c. Interim Joannes videns effrœne deſiderium Regis non ibi ſtaturum, & mortem ſibi ea de cauſa expectandam Dominica tertia ideſt 12. Aprilis dicturus ad populum, thema ſibi ex evangelio ſumpſit: Modicum videbitis me. valedixerit Auditoribus & Concanonicis ſuis, ex eo porrò die res ſuas domi compoſuerit, deinde exierit Vetero-Boleslaviam agonem ſuum per otium DEO recomendaturus. Deníque die 29. Aprilis Pragam redierit, ipſo Aſcenſionis pervigilio, hunc ergò conſpicatus Rex, neque dubitans, quin adeſſet ad Reginæ confeſſionem tali die audiendam, juſſerit eum adduci, perſuaſurus quacunque ratione, ut illam ſe revelaturum polliceretur, firmum autem in propoſito tenendi ſecretum mergi mandaverit ipſa illa die. „ Hactenus *Henſchenius*, & *Papebrochius* in *Act. Sanct. Maji.* Hæc ſententia (quam hactenus nemo „ Autorum patriæ ſecutus fuit) celebritatem *S. Joannis*, quæ die 16. *May* quot annis fit, in memoriam le„ vati corporis ex aqua, aut trans„ lati ad Eccleſiam *S. Viti* transformare cogitur. De quibus ſingulis infrà.

TERTIA demum, & præ cæteris veriſimilior ac communior ſententia, ab omnibus ſcriptoribus *Boemiæ*, qui diem martyrii ſignatè ex„ preſſerunt, hucusque aſſerta, & ab univerſo Clero, Proceribus, & po„ pulo Regni *Bohemiæ* approbata, martyrium *Beati Joannis* diei *decimæ ſextæ Maji* addicit.

Probatur 1. Ex univerſali *Eccleſiæ Metropolitanæ*, ac omnium Eccleſiarum Regni per trecentos, & quinquaginta annos, usque in hunc an. 1733. vetuſtiſſimè adeò deducta conſuetudine, qua non aliâ die, quàm *decimâ ſextâ Maji* quot annis memoria martyrii *Beati Joannis Nepomuceni* magnâ devotione, & concurſu populi celebrata fuit, & celebratur. Ideo in Calendario publico Archidiœceſeos, quo divinum officium, ac Sanctorum ſolemnia pro uſu totius Cleri aſſignantur, ad diem XVI. *May* cautè quot annis addebatur: „ Hodie eſt anniverſaria dies, qua „ Divus Joannes Nepomucenus af„ fectus eſt martyriô. „ Nepomuci quoque in patria *B. Joannis*, utì aliquoties ibi præſens reperi, annua martyrii memoria non *Dominicâ* proximâ poſt *aſcenſionem Domini*, ùt malè privatis literis ad *Henſchenium* & *Papebrochium* perſcriptum eſt, ſed die 16. *May* magnâ frequentiâ populi colitur, & juvat pro majori robore ipſius Decani *Nepomuceni*, *Mathæi. Joſephi Nevvſcheta* verba ex genuina informatione ſuper certis punctis, quam die 26. *Octobr.* an. 1694. *Capitulo Metropolitano* conſignavit, apponere: „ Nonò. Populus proceſſio„ naliter ſolet adduci à vicinis Paro„ chis die 16. May. Domeſtica quo„ que proceſſio quolibet annô præ„ fatâ die 16. May ex Eccleſia Paro„ chiali cum magno accurſu populi, „ & devotione, velut die martyrii „ Beati Joannis ad Eccleſiam ejus„ dem Beati ducitur: & quidem an. „ 1691. Reverendiſſimus Dominus „ Suffraganeus de Longa villa pro„ ceſſioni præfuit. „

Probatur 2. Autoritate. Primò ipſius *P. Balbini*, qui *Henſchenio*, & *Papebrochio* ſequioris ſenſûs occaſio fuit. Is enim nunquam induci potuit, ut alia die quàm XVI. martyrium factum crederet. Teſtantur ipſi *Henſchenius* & *Papebrochius præfat. n. 4. Hactenus*, ajunt, *Balbinus*, *qui tamen Hagecii auctoritate movetur, nè die 29. Aprilis ſubmerſum eſſe ſanctum indubitanter aſſeveret.* Inde præcitati Col-

Collectores *Bollandiani* exemplar *Balbinianum* in editione ſua quoad diem martyrii mutàrunt, & locò diei 16. *May*, quam poſuerat *Balbinus*, ſubſtituerunt diem 29. *Aprilis. Balbinus* autem expreſsè ſuam mentem declaravit in *Boemia ſancta*, ubi eandem vitam *S. Joannis Nepomuceni* à ſe conſcriptam, & an. 1680. à Collectoribus *Bolandianis Antverpiæ* editam §. 59. *fol.* 94. per extenſum inſeruit, & duobus annis poſt nempe 1682. typis dedit. Ait autem *cap.* 5. *fol.* 102. „Beatus Joannes „nocte ad pontem, qui Muldavæ flu„mini impoſitus, Pragenſes urbes „duas veterem, & minorem con„jungit, deducitur, Deóque mor„tem ſuam ardentiſſimis precibus, „& ſuſpiriis commendans, in ſub„jectum flumen ex ponte dejicitur „mergitúrque 16. May an. 1383.

Probatur 3. Autoritate ipſius Domini *Joannis Ignatii Dlauhovveſky*, Pragenſis Præpoſiti, & Suffraganei. Qui etſi dicatur ab eruditiſſimis *Bollandianis Collectoribus* vetuſtiſſima monumenta Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis vidiſſe, quæ ſubmerſionem *D. Joannis Nepomuceni* pervigilio Aſcenſionis An. 1383. adſcribant, is tamen hac viſione (ſi vera, uti narratur, fuit) minimè attentâ, alteri ſententiæ, quæ martyrio *S. Joannis* diem *decimam ſextam May* ſtatuit, ſemper adhæſit, & eam publicè ſcriptis profeſſus eſt. Quod clarè oſtendo ex Mauſolæo, quod ille annevis ſymbolis, & inſcriptionibus ad ſeriem vitæ *S. Joannis* adaptatis annô 1680. coram Auguſtiſſimo *Romanorum* Imperatore, & *Boemiæ* Rege *Leopoldo I.* glor. mem. ipſo feſto *S. Joannis Nepamuceni* id eſt *decimâ ſextâ May* ſepulchro ejusdem Sancti in Eccleſia Metropolitana propriis expenſis ſuper imponi fecit. Ibi enim (ùt ex fragminibus Mauſolæi in repoſitorio Eccleſiæ Metropolitanæ mihi an. 1709. ab *Elia Schrater* emerito Capelliſta oſtenſis apparet) inter varias inſcriptiones per ſcuta diviſas, velut: *D. Joannes Nepomucenus, Floſculus Majalis S. Catholicæ Eccleſiæ &c.* Item: *In horto Nepomuceno ad viridem montem Adalbertina benedictione fœcundato prognatus &c.* Tandem in una etiam cum pictura ſubmerſionis adnotatur *fluentis Moldavæ rigatus, & decimô ſeptimô Calendas Junias MCCCLXXXIII. è ponte Pragenò præceps datus &c.* Exinde colligitur, quòd, ſiquid veræ certitúdinis circa *pervigilium Aſcenſionis* apud *Dlauhovveskium* hæſiſſet, profectò veritatis, & religionis ergò, prout ille candidi erat animi, & potiſſimùm ibi publicè, & in conſpectu Imperatoris expreſſiſſet; ſed manſit ille in recepta ab omnibus Patriæ hiſtoricis ſententia, nihil de *pervigilio*, ſed de *decima ſexta May*, Mauſolæo ſuo adponens.

Probatur 4. Autoritate *Thomæ Joannis Peſſina*, Decani *Pragenſis*, & Epiſcopi *Samandrienſis*, Viri in hiſtoria patriæ verſatiſſimi, qui idem ex vetuſtis *Eccleſiæ Metropolitanæ* codicibus palam aſſeruit, ùt ipſi *Henſchenius* & *Papebrochius* fatentur *præfat. n.* 2. in verbis: „Cúmque ex aliâ parte Ec„cleſiæ Pragenſis codices manu„ſcripti (ſicut eidem Balbino aſſe„ruit Decanus Pragenſis, nunc Epi„ſcopus Samandrienſis) Joannis „Nepomuceni memoriam eſſe mo„neant die S. Ubaldi XVI. May &c.

Probatur 5. Autoritate *Wenceslai Andreæ Macarii* à *Merſelicz*, SS. Theologiæ Doctoris, *S. Metrop. Eccleſiæ* Prælati Scholaſtici, & *Archi-Epiſcopalis Conſiſtorii* Aſſeſſoris, qui etsì in vita *S. Joannis* à ſe typis edita an. 1684. adſcripſiſſet martyrium diei 29. *Aprilis*, motus fortè è recenter tunc edito *Tomo May Henſchenii & Papebrochii*, attamen poſteà re meliùs conſideratâ in libro, cui titulum fecit *S. Viti Gallus cantans an.* 1687. *Pragæ edito.* fol. 92. dilucidè aſſerit: *Cùm Tyrannus tormentis nihil*

pro-

proficeret (nam fortis Athleta Chriſti Joannes mille tormenta, & mortes ſubire citius paratus erat, quàm ex arcano confeſſionis ſigillo vel minimum prodere) juſſit Imperator Virum fidelem die 16. May noctu an. 1383. de ponte Pragenſi in Moldavam præcipitari, & ſubmergi. Item in *doctrinali Theologico-controverſiſtico cap. de ſigillo confeſſionis ſervando, edito Micro-Praga.* an. 1691. idem Autor *fol.* 86. habet: *Quod adeò* (ſigillum confeſſionis) *ſervavit B. noſter Joannes Nepomucenus, ut maluerit crudeliſſima tormenta, & demum terribiliſſimam mortem an.* 1383. *menſe Majo die decimâ ſextâ pati, vel minutiſſimum peccatum ex confeſſione revelare. Hæc ibi*

Probatur ſexto: Ex manuſcripto catalogo Canonicorum Pragenſium *Cæleſtini à Blumberg* S. M. E. Præpoſiti dedicato *Eminentiſſimo Cardinali ab Harrach* an. 1665. ubi habetur: „Anno „1383. Joannes Nepomucenus Ec„cleſiæ Pragenſis Canonicus, Joannæ „Reginæ confeſſarius, ob ſecretum „confeſſionis, quod revelare noluе„rit, mandato furioſi Regis Wen„ceslai die 16. May in Moldava ſub„merſus eſt, cujus memoria in Me„tropolitana Eccleſia Pragenſi extat. „Vir venerabilis, timens Deum, mi„raculis clarus.

Probatur ſeptimo: Ex chronico manuſcripto *ſemper Catholicæ civitatis Plznenſis.* ibi *cap. 6. fol. mihi 16.* „Nul„lam Wenceslaus cuiquam admini„ſtrabat juſtitiam, ut coactus pro„pterea fuerit armis quisque ſe ad„verſus violentiam privatim tueri, „per quod nobilitas pariter, & po„pulus tumultibus aſſuevit, & mu„tuæ oppreſſioni; nec homo iſte ul„lis poterat ad frugem reduci modis, „quin ſe ipſo evaderet pejor in dies. „Nam cum Joanna Regina Uxor mo„res ejus reprehenderet, non ſolùm „eam graviſſimè divexavit, verùm „etiam Sanctum ejus confeſſarium „Pragenſem Canonicum, ad Omnes „Sanctos Præpoſitum (Lege Deca„num) academiæ Pragenſis Magi„ſtrum, Beatum Joannem Nepomu„cenum, quod nollet ea, quæ Re„gina ſacramentaliter confeſſa fue„rat, manifeſtare, præcipitavit die „16. May noctu de ponte Pragenſi „in Moldavam, quem deinde DEus „magnis miraculis in hodiernum uſ„que diem illuſtrem mundo fecit.

Probatur octavò: Ex vita *S. Joannis*, quam *Joannes Chriſtophorus Bacžcria* Canonicus *Vetero-Boleslavienſis*, & Parochus ad *S. Stephanum Neo-Pragæ* conſcripſit an. 1686. ibi *cap.* 5. *fol.* 40. *Deinde duxerunt illum eâ nocte ad pontem, qui ſuper flumen Moldavæ poſitus eſt, qui veterem civitatem à parva dividit, ex quo in aquam deturbatus, & die 16. May an. 1383. ſubmerſus eſt.*

Probatur nono: Ex *Bibliotheca Strahovienſi* M. S. Quodlib. ubi ſic legitur.

Redivivus Phænix B. Joannes Nepomucenus.

Natus in oppidò Bœmiæ Nepomuk, cujus natalem illuſtrârunt cœleſtes flammæ. Magiſter & Doctor Artium in univerſitate Pragenſi, Metropolitanæ Canonicus, ad Omnes Sanctos Decanus, Joannæ Imperatricis Confeſſarius &c.

Obiit anno 1383. *die decimâ ſextâ May ob ſervatum confeſſionis ſigillum in in Moldavam merſus.*

Probatur decimo: Ex Chronico *Bœmiæ Joannis Beczkowsky S. Milit. Ord. cum rubra ſtella Crucigeri* Viri pro patria laborioſi, ibi *cap.* 52. *à fol.* 605. *& ſeq. Carnifices mox B. Joannem arripuerunt, & in carcerem magis tulerant, quàm duxerunt, nocturno tempore ad deviandum plebem ad pontem Pragenſem duxerunt, & eum noctu die 16. May, ex ponte in flumen Moldavam præcipitârunt.*

Probatur undecimo: Autoritate totius *Capituli Metropolitani*, ex ejus atteſtato publico per manus *Joannis Chriſtophori* Baronis à *Tallmberg Pragenſis Canonici* an. 1675. dum is ab *Archi-Epiſcopo Pragenſi* ad viſitanda nomine ejus *ſacra Apoſtolorum limina* ablegaretur, *Romam* allatô, quod ſic inchoat: „Nos Joannes Ignatius Dlauchovvesky de longa villa Præpoſitus, Thomas Joannes Peſſina

„Decanus, cæterique Sanctæ Metro-„politanæ Eccleſiæ Pragenſis ad S. „Vitum Canonici. Indubiam fidem „facimus, & atteſtamur in virtute „harum, ubique locorum, & præ-„ſertim ubi res, negotiúmque po-„ſtulaverit: Beatum Virum Joan-„nem, natione Boemum, patriâ Ne-„pomucenſem, Canonicum quon-„dam præmemoratæ Metropolita-„næ Eccleſiæ Pragenſis, & an. 1383. „die 16. May propter ſervatum ſa-„cræ confeſſionis ſigillum, quod „Wenceslaus Rex etiam per tormen-„ta extorquere à Viro DEi, confeſ-„ſario Reginæ conabatur, ſed fru-„ſtrà, demum de ponte Pragenſi in „flumen Moldavam juſſu regis ejus-„dem Wenceslai præcipitatum, ma-„gnis prodigiis in ipſo flumine illu-„ſtratum, deinde in Eccleſia Me-„tropolitana, ibidem olim ſepultum „ab omni hominum memoria, imò à „die obitûs ſui voce populi nomen „Sancti obtinuiſſe, piè cultum ùt „Beatum, Martyrem nuncupatum „fuiſſe & defacto nuncupari. Quod „ipſum & ſtatuæ in eadem indicant „Eccleſia, & altaria honori ejus di-„cata manifeſtè demonſtrant.

Idem in elogio quodam *Auguſtiſſimæ domui Auſtriacæ* dedicato, & *Caſtrum boni nominis*. Intitulato, ubi finit:

Ità
Auguſtiſſimæ domui Auſtriacæ
Die martyrii Joannis decimâ ſextâ May
vovet
Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis ad D. Vitum.
HI, qVI oDerVnt te, InDVantVr ConfVsIone, & LVDIbrIo.

Probatur duodecimò: Autoritate Reverendiſſimi, & Celſiſſimi Principis, & Domini, Domini *Ferdinandi Archi-Epiſcopi Pragenſis*, & Ordinarii loci, qui in proceſſu ſuo Autoritate Ordinariâ confecto *fol.* 360. & 361. *ſummar. num.* 26. nihil de *pervigilio Aſcenſionis*, ſed de die 16. *May*, teſtes interrogat:

„Ad articulum decimum quin-„tum, interrogatorium quinquageſi-„mum quintum. An. teſtis con-„curſum populi *in anniverſaria die* „*martyrii* ad ipſum tumulum viderit, „non minùs anathemata, lampades „argenteas, cereos maximos appen-„ſa, & affixa viderit. Interrogato-„rium quinquageſimum ſextum. Un-„de teſtis ſcit, quòd contra hunc „confluxum populi *die anniverſaria* „*martyrii*, ſicut & contra appenſio-„nes anathematum, & lampadum „nullus Ordinariorum quidquam di-„xerit &c. Atqui hic affluxus populi non contigit, aut contingit unquam *in pervigilio Aſcenſionis*, ſed *die* 16. *May*, ergò etiam Reverendiſſimus, & Celſiſſimus Ordinarius loci clarè ſentit, *diem anniverſariam martyrii non aliam eſſe, quàm ſæpè dictam diem 16. May.*

Probatur decimo tertiò: Ex dictis teſtium in proceſſu apoſtolico *Summar. num.* 14. *de martyrio B. Joannis ſeu de illius ſubmerſione in flumen Moldavam.* §. 16. „Teſtis VIII. ad 11. Artic. „Proceſſ. fol. 1289. Quia nihil „manifeſtare voluit, juſſu regis an. „1383. *die decimaſexta May* in flumen „Moldavam nocturno tempore pro-„jectus fuit &c. *Summar.* §. 29. „Teſtis XII. Ad 11. Artic. Proceſs. „fol. 1379. Cumque id Beatus con-„ſtantiſſimè recuſaret, fuit regis „mandato in flumen Moldavam de-„jectus, ibique in aquis extinctus, „idque legitur, & ab omnibus tra-„ditur fuiſſe factum, an. 1383. *de-„cimâ ſextâ menſis May. Summar.* §. „33. *Teſtis XIX. ad* 11. *Artic. Proceſs.* „*fol.* 1526. Et ſic nocturnô tempo-„re *decimâ ſextâ Menſis May.* Annô „1383. dejectus ex ponte in flumi-„ne ſanctiſſimè obiit. *Summar.* §. „42. *Teſtis XLV. ad* 11. *Art. Proceſs.* „*fol.* 1818. Hæc eſt inconcuſa „traditio, *quod id ipſum contigerit an.* „1383. *decimâ ſextâ May. Summar. ejusdem proceſſûs Apoſtolici N.* 29. *de cultu B. Joannis tanquam Patroni regni Boemiæ.* §. 1. *Teſtis I. ad* 28. *interrogat. Proceſs. fol.* 1143. A Juventu-„te mea recordor, quòd dies anni-

verſa-

„verſarius ſubmerſionis hujus Patri „ſemper fuerit celebratus *die decimâ „ſextâ May.* §. *9. Teſtis II. ad idem „interrogat. Proceſs. fol.* 1172. *In die „anniverſaria* ipſius martyrii cernitur „affluxus populi innumerus. Atqui non cernitur in *pervigilio Aſcenſionis Domini*, ſed *die 16. May.* Ergò dies 16 May eſt anniverſaria martyrii § 24. *Teſtis VIII. ad idem interrogat. Proceſs. fol.* 1281. Feſtum S, Joannis „celebratur *die decima ſexta menſis May.* §. *30. Teſtis XII. ad idem interrogat. „Proceſs. fol. 1370.* Celebratur dies „ejusdem anniverſarius martyrii *de„cima ſexta May* cum maxima ſolenni„tate, & confluxu multorum mil„lium clientum. § *32. Teſtis XXIII. „ad idem interrogat. Proceſs. fol. 1597.* „Annua ſolemnitas ejus celebratur „*die decima ſexta May.* §. *38. Teſtis XXVI. ad idem interrogat. Proceſs. fol.* „1657. Ejusdem autem *dies anni„verſarius* celebratur cum ſingulari & „ſumma ſolemnitate.

Non obſtat primò, quòd eruditiſſimi collectores *Bollandiani* vetuſtiſſima quædam illius ævi monumenta (quæ ſe vidiſſe *Balbino* ſcripſerit *Dlauhovvesky*) pro pervigilio aſcenſionis allegent, nam ea neque illi, neque *Balbinus* vidit, & *D. Dlauhovvesky* ſe ſemper publicè, ùt ſupra ex ejus *S. Joanni Nepomuceno* erecto mauſolœo demonſtratum eſt, pro altera ſententia, velut probatiori, & veriori, & ex vetuſtiſſima traditione deſcendente declaravit. Generalis præterea manuſcriptorum codicum allegatio ſine ſpecifica expreſſione ſcriptoris, anni, verborum, ut perſpiciatur ſcriptoris autoritas, ſcripturæ antiquitas, caracteris figura, nullùm probæ gradum *Arg. L. in Teſtimoniis ff. de Teſt.* mereri videtur. Ità etiam tenent paſſim Doctores *ad cap. Si Scripturam I.*)(*de fide inſtrumentorum*, in verbis ibi: *Si Scripturam authenticam non videmus*, & *ad cap accepimus 4.*)(*ibidem* in verbis: *Cum privilegia non inſpecta non valeant argui falſitatis.* Certè equidem non incuriô labore ex commiſſione Reverendiſſimi capituli Metropolitani an. 1711. & ſequentibus Archivum Eccleſiæ, & bibliothecam duplicem perluſtravi, usque ad gravem à fugientibus veterum membranarum apicibus contractam Opthalmiam, nullùm tamen unquam vel minimum documentum de pervigilio aſcenſionis, in quo *S. Joannes* ſubmerſus eſſe debuerit, mentionem faciens, ibidem reperi, nec alii poſt me. Imò hanc ſententiam ante eruditiſſimos collectores *Bollandianos* nullus unquam ſcriptorum patriæ tenuit, nec apud alium Hiſtoricum eandem legi. Per id tamen ſapientiſſimi viri, ac eorum etiam nunc in æviternæ memoriæ opere ſucceſſores neutiquam ægrè tulerunt, ac ferunt, ſi quandoque ab eorum ſenſu poſitis in adverſum multò verioribus documentis recedatur, ſed optimâ pace pro dilaudatâ prudentia ſemper habuêre. Teſtatur id *Bernardus Pez. Ord. S. Benedicti in Bibliotheca Benedictino - Mauriana lib. I. cap. 35. fol.* 122. ibi, poſteaquam retuliſſet, qualiter *Joannes Mabillonius* adverſùs ſententiam *Danielis Papebrochii* Viri editis Sanctorum actis celeberrimi in *Propylæo* ad *Aprilis Tomum ſecundum* pronunciantis chartas fidem habere eò minorem, quo majorem præferunt antiquitatem, in toto *Franciæ* regno nullam chartam ſinceram, ac genuinam reperiri ante regnum primi Dagoberti, contrarium innumeris Archivorum chartis inſigni de re diplomatica lucubratione an. 1681. oſtendiſſet, pro fine adjungit. Plau„ſêre omnes antiquarii &c. Plauſit „imprimis Vir doctiſſimus Daniel Pa„pebrochius, omnèmque reſpectum „ſincerô, quo flagrabat, veri ſtudiô, „poſtponens, non tantùm non mo„leſtè tulit, ſe à Mabillonio confu„tatum fuiſſe, nec præproperè con„ceptam opinionem vanis rationi„bus, & cavillationibus tueri ſtudu„it, ut juvenculus quisquam Tyro „feciſſet, ſed ſcriptis ad Auctorem

„literis, gratias egit, eique Strophæum ipſe ponere non detrectavit. Hactenus Bernardus Pez.

Non obſtat ſecundò, quòd *Hagekus*, qui certè ùt *Boëmicæ Hiſtoriæ Princeps* in hac cauſa primariò & attendendus, & ſequendus eſt, diem *martyrii* omiſerit, nàm id adverſæ parti non proficit. Imò noſtra ſententia ex aſſe è mente *Hageciana* eſt, qui torturam *beati Joannis* poſtridie feſti *S. Sigismundi*, id eſt *tertia May* adnotat, ut dein libertati denuò reſtitutus tandem rurſus captivatus, ultimò die 16. *May* ſubmerſus ſit. In ſententia autem altera ſenſus totus *Hagecii* evertitur. Nam ſi 29. *Aprilis* (in quam diem an. 1383. *pervigilium Aſcenſionis* inciderat) *beatus Joannes* ſubmerſus eſt, quomodò ergò 3. *May* (juxtà *Hagecii* narrationem) primò torqueri potuit? Videtur igitur opinio ſe ipſam deſtruere.

Non obſtat tertiò, quòd *Dubravius*, & *Pontanus* duo laudati *Boëmiæ* ſcriptores *diem martyrii* omiſerint. Nam & planè annum prætericrunt. Quid de die agendū? Contenti erant facti ſeriem narràſſe. Et Dubravio quidem paſſim exponitur, quòd nuſquam annorum rationem habeat. Pontani *Boëmia pia* ſcatet erroribus typi, in abſentia nempe autoris *Francofurti* excuſa, quàm facilè dies omiſſa fuerit. Alii Autores ſolùm incidentaliter *B. Joannis* martyrium tractârunt, ideò non mirum, ſi quædam minùs plenè retulerunt.

Non obſtat 4. Quòd quidam teſtium in proceſſu Apoſtolico de pervigilio Aſcenſionis mentionem faciant, velut *ſummar*; *Num.* 14. *de martyrio B. Joannis, ſive illius demerſione in flumen. Teſtis I.* §. 4. „Et „id quod anno 1383. *in pervigilio* „*Aſcenſionis Domini* contigerit, ſic „legi. *Teſtis II.* §. 9. Sic ſcribunt „hiſtorici, quòd id acciderit *in per*„*vigilio Aſcenſionis* annô 1383. ſic „ſemper legi. *Teſtis IV.* §. 13. Eſt „traditio, quòd *in pervigilio Aſcen*„*ſionis Domini* annô 1383. contigerit, quod pervigilium tunc in decima ſexta Maij incidit, qua die „in hodiernum anniverſarium ejusdem martyrii celeberrimè coli„tur. Reſpondeo *Imò* plures teſtes ſtant pro altera ſententia, qui martyrium contigiſſe ajunt *die 16. May*, ut hi adeò aliquot reſpectu tot illorum ex adverſo non veniant in conſiderationem. 2*dò*. Hi ipſi aliquot teſtes mentem rurſus ſuam receptæ Regni traditioni poſtea conformârunt, dum *Summar. Num.* 29. *de cultu Beati Joannis tanquam Patroni Regni Boëmiæ edixerunt.* velut „*Teſtis* „*I.* §. 2. à juventute mea recordor, „quod dies anniverſarius ſubmer„ſionis hujus Beati ſemper fuerit „celebratus *die decima ſexta May.* „Et *Teſtis II.* §. 9. *In die anniverſa*„*ria* ipſius martyrii cernitur afflu„xus populi innumerus. Atqui hic concurſus populi innumerus non cernitur in *pervigilio Aſcenſionis Domini*, ſed cernitur *die 16. May.* Ergò *dies 16. May eſt anniverſaria martyrii*: Quod autem *Teſtis IV.* diem 16. *May* cum *pervigilio Aſcenſionis* componere tentaverit, ejus impoſſibilitatem oſtendam paulò. 3*tiò*. Hi teſtes non edicunt nec poſſunt edicere de viſu, quòd viderint *in pervigilio Aſcenſionis* demerſionem *S. Joannis*. ſed edicunt duntaxat de lectione, quòd apud collectores *Bollandianos* legerint: ergò per eorum teſtimonium non accreſcit major veritas, & certitudo ſententiæ collectorum, quàm antea habuerit.

Non obſtat 5. Quòd in Bulla Canonizationis Sanctiſſimi Domini Domini noſtri *Benedicti XIII.* Data *Romæ* apud *S. Petrum* annô 1729. *quartô decimô Kalendas Apriles*, Pontificatûs annô quintô pervigilii Aſcenſionis mentio fieri videatur in verbis: „Inde Pragam veſpere „pervigilii dominicæ Aſcenſionis „reducem è feneſtra Rex conſpi„catus ad ſe accerſſit, mortem in„terminatus, niſi arcanas Conjugis „confeſſiones ſtatim exponat, ſed „fortiſſimus DEI miles intrepidè

„relu-

„ reluctatus, impium facinus, quod „ ab ſe requirebatur, non voce, „ ſed capitis, vultûsque gravitate a- „ verſatus eſt. Mox juſſu regio â „ ſatellitibus comprehenſus, aliò „ clam deportatus, noctúque ma- „ nibus, & pedibus vinctus, ad pon- „ tem Moldavæ Pragam præterflu- „ entis, deductus, in ſubjectum flu- „ men præcipitatur. Reſpondeo *1mò*. Accipiendum eſſe, non quòd *pervigiliò aſcenſionis S. Joannes Nepomucenus* ſubmerſus; ſed quòd ad Regium *Wenceslai* conſpectum vocatus, & incarceratus: tandem verò 16. *May* in flumen projectus fuerit. Reſpondeo *2dò*. Etſi Bulla de ſubmerſione in pervigilio Aſcenſionis Domini peracta, expreſsè mentionem faceret, eſſet pura narrativa facti, veriorem informationem, & probationem in contrarium minimè reſpuens. *Arg. Clem. ſi ſummus* 4. *de ſent. excom. cap. Si Papa.* 10. *de privileg. in 6tò.* Ubi ſi ſummus Pontifex aliquam Eccleſiam exemptam nominat, perid exempta non eſt, ſed exemptio probari debet, quia cenſentur ejuſcemodi narratiſve reſcribenti à ſupplicantibus fuiſſe ſuggeſte. Nec etiam opus habent, ut ſupplicantes eas probent, cum ad cauſam Principalem non pertineant, ſed velut parerga intercurrant. Ità Doctores Paſſim *ad cit. cap.* Dum difficultatem hanc quidam, que cum *pervigilio Aſcenſionis* Domini, & *die* 16. *May* occaſione martyrii *D. Joannis Nepomuceni* exorta eſt, attendiſſent, & ex una parte autoritatem Cl. Collectorum *Bellandianorum*, ex altera verò veterrimam traditionem, conſenſum autorum patriæ, anniverſariam martyrii celebrationem militare deprehendiſſent, conſilium invenerunt utramque ſententiam in unam conciliandi. Itaque inattentis calculis paſchalibus dixerunt; „ ſubmer- „ ſionem S. Joannis Nepomuceni „ in pervigilio Aſcenſionis Domini, „ eô annô 1383. in diem 16. May „ incidente contigiſſe. Hujus opi- „ nionis Autor fuit, in Proceſſu „ Apoſtolico Summar. N. 14. de „ martyriò S. Joannis, ſive illius „ demerſione in flumen Moldavam, „ ſ. 23. *TESTIS IV.* In verbis: Bea- „ tum ex ponte in flumen Molda- „ vam dejici curavit &c. id in pervi- „ gilio Aſcenſionis Domini an. 1383. „ contigit, quod pervigilium tunc „ in decima ſexta May incidit, qua „ die in hodiernum anniverſarium „ ajuſdem martyrii celeberrimè eo- „ litur. Idem *TESTIS IV.* in proceſſu „ Apoſtolico Summar. Num. 29. ſ. „ 18. Dies autem anniverſarius ejus „ martyrii fuit ſemper celebratus „ & cultus, & celebratur hucúſ- „ que decima ſexta May, quæ tunc „ fuit pervigilium Aſcenſionis Do- „ mini. Hanc opinionem fuit etiam „ ſecutus Eximius Vir Franciſcus „ Maria Galluzzi Societatis Jeſu in „ vita S. Joannis, Italicè an. 1729. „ Romæ edita cap. 9. fol. 33. Succe- „ de la di lui beata morte l'año 1383. „ in giorno di Mercordi, nella Vi- „ gilia dell' Aſcenſione, che in „ quell' anno dovette ſuccedere à „ 16. di Maggio, già che in quel „ giorno corre la memoria del ſuo „ martyrio, e ſe ne celebra la fe- „ ſta. Id eſt. Incidit illius beata „ mors in an. 1383. diem Mercu- „ rii, & vigiliam Aſcenſionis Do- „ mini, quæ illô annô coincidit „ cum die 16. May, quia ea- „ dem die recurrit memoria mar- „ tyrii ejus, & celebratur ſolemni- „ ter feſtum. Inde etiam quidam Encomiaſtæ in panegyribus, ac alii in inſcriptionibus ſuis nuperâ *Pragenſi* Canonizationis feſtivitate, quæ à die 9. *Octobris* an. 1729. per octiduum, totius *Boëmiæ* accurſu inter ſacra jubila peracta fuit, eandem pervigilii Aſcenſionis cum die decima ſexta May pro anno 1383. combinationum priorum veſtigia ſequentes aſſumpſerunt. Verùm in contrarium militat quàm fortiſſimè, ac irrefragibiliter, quòd hæc

combinatio ſit impoſibilis; quia eſt contra rerum naturam. Nam contra rerum naturam eſt, ut præterlapſam diem cum præſenti conjungam. Sicut ergò impoſſibile eſt, ut diem 29. *Aprilis* anni 1383. cum die 16. *May*, componam, ſic etiam impoſſibile eſt, ut pervigilium Aſcenſionis Domini anno 1383. cum die 16. *May* confundam. Nam pervigilium Aſcenſionis Domini illo ipſo anno 1383. in diem 29. *Aprilis*, non verò in diem 16. *May* incidit. ergò patet impoſſibilitas combinationis inter dictum pervigilium & diem 16. May. Clarè etenim omnibus calculorum paſchalium conſciis conſtat, quòd toto illo decimo quarto ſæculo pervigilinm Aſcenſionis Domini non *inciderit in diem* 16. *May*, niſi anno. 1319. 1330. 1341. 1351. quia Paſcha in nullis aliis annis in 8. *Aprilis* incidit, ſic nec feſtum Aſcenſionis in 17. *May* cadere valuit, ut pervigilium 16. ejuſdem accidiſſet. Quia vero illo anno 1383. Paſcha celebratum fuit die 22. *Martii*, conſequens fuit, ut Aſcenſio Domini die 30. *Aprilis* & pervigilium adeò ejus 29. ageretur. Illo enim anno 1383. *Indictio Romana* erat *ſexta*, *Littera Dominicalis D. Dominicæ poſt pentecoſten* 28. *Dies Cinerum.* 4. *Februarii. Paſcha* die 22. *Martii. Aſcenſio Domini* die 30. *Aprilis*, prout hæc omnia & ſingula infrà in ſpecialiter ad tempus martyrii Joannei confecta Ephemeride ad oculum oſtendam. Vide etiam de hoc *Henſchen* & *Papebroch. Act. SS. May Die* 16. *in notis.* His igitur ex fundamento, & veritate conſideratis, & cum prudentia ponderatis judico ſeriem paſſionis *S. Joannis Nepomuceni* taliter eſſe ordinandam. Ut primum à *Wenceslao* inſultum videatur *S. Joannes* fuiſſe *paſſus* circà feſtum paſchale, quòd eo annô 1383. celebratum fuit. 22. *Martii*, in quo etiam Cl. collectores *Bollandiani* conveniunt. Deinde alia occaſione, fortè ob redargutum *Wenceslaum* causâ aſſandi coci, conjectus in carcerem, mox iterum adhibitus menſæ, ac iterum ſollicitatus. Cunctari enim cum *Joanne* perſuaſit *Wenceslaum* importunum deſiderium reſciendi conthoralis peccata. Interim prævidens *S. Joannes* certiſſimè ſecuturam mortem Dominicâ 3tiâ poſt paſcha, quæ in 12mam Aprilis inciderat, ad feſtum Evangelii, *Modicum videbitis me.* valedixit pro concione auditoribus. In hoc iidem conſentiunt Cl. *Bollandiani* collectores. Rurſum poſt feſtum *S. Sigismundi* (quod in 2am. *May* incidere ſolet) id eſt 3. *May inventioni S. Crucis* ſacræ (ùt hanc diem Principalis *Boëmiæ Scriptor Wenceslaus Hagecius Chron. Boëm. ad an.* 1383. *fol.* 353. ſpecialiſſimè exprimit, in quo illum cenſeo ab omnibus attendendum, & ſequendum) crucem invenit *S. Joannes*; pro Sacramentis námque *JEſu Chriſti* contumeliam paſſus, ad *Wenceslanm* Imperatorem citatus, angariatus, incarceratus, igne tortus, & tandem omnibus ſuperior libertate donatus, domum redux vulnera curat, & res ſuas ordinat, domeſtica diſponit, ut eò liberior ſe ad agonem præpararet, in quem finem ad Patronam morientium *Divam Virginem Mariam Vetero - Boleslaviam* peregrinationem, & devotionem inſtituit. Tandem die 16. *May*, quæ erat *dies Sabbathi quatuor temporum*, & *vigilia*, ſeu pridie *Dominicæ SS. Trinitatis* ſub veſpertinum tempus *Vetero - Boleslavia* redux, à *Wenceslao* in cubiculis Aulæ regiæ otioſo citatur, angariatur & fruſtra tentatis omnibus, eâ nocte è ponte Pragenſi in præterfluentem *Moldavam* præcipitatur. Ut adeò *S. Joannes* omnino in pervigilio ſaltèm vulgariter dicto, non quidem *Aſcenſionis*, ſed *SS. Trinitatis* martyrii coronam conſecutus ſit, quod quidam olim audiverint, ſed oſcitanter notaverint,

ac

ac ſic pervigilium Trinitatis cum pervigilio Aſcenſionis confuderint, & permutaverint.

Igitur pro meliori omnium ſumatam prædictorum intelligentia, & ut res ad oculum exponatur, ſubnecto Ephemeridem menſium juxta calculos paſchales anni 1383. efformatam.

Εφημερὶς *Menſium MARTII, APRILIS, & MAY, quibus B. Joannes Nepomucenus paſſus eſt, juxta calculos paſchales anni 1381. ordinata.*

Indictio Romana Sexta, Littera Dominicalis D. Dominicæ poſt Pentecoſten 28. Dies Cinerum 4. Februarii.

Dies	MARTIUS.	Dies	APRILIS.	Dies	MAJUS.
1	*Dom. 4. Quadrag.*	1		1	SS. Phil. & Jac.
2		2		2	S. Sigiſmund. Patr. Reg.
3		3		3	*Dom. infr. Oct. Aſcen. Invent. S. Cru. Citatio S. Joannis, & tortura ignea.*
4		4		4	
5		5	*Dom. 2. poſt Paſch.*	5	
6		6	*Alter, ac iteratus inſultus.*	6	
7		7		7	*Reſtitutus libertati vulnera curat.*
8	*Dom. Paſſ.*	8		8	
9	SS. Cyrill. & Methud.	9	S. Mar. Ægypt.	9	
10		10		10	*Dom. Pentecoſt.*
11		11		11	Fer. 2. Pentecoſt.
12	S. Greg. Pap.	12	*Dom. 3. poſt Paſch. Modicum videbitis me. Concio valedictoria S. Joannis.*	12	Fer. 3. Pentecoſt.
13		13		13	Quat. temp.
14		14		14	
15	*Dom. Palm.*	15		15	Quat. temp. *Peregrinatio Vetero-Boleſlaviam.*
16		16		16	Quat. temp. S. Ubald. *Nocte ſubmerſio.*
17		17		17	*Dom. SS. Trinit. Præterita & hac nocte ſuper corpus lumina.*
18		18		18	*Corporis ex aqua levatio, & ad Eccleſiam Crucigerorum depoſitio.*
19	S. Joſeph.	19	*Dom. 4. Poſt Paſch.*	19	
20		20		20	
21	S. Benedict.	21		21	Feſtum Corporis Chriſti.
22	*Dom. Reſurrect.*	22		22	
23	Fer. 2. Paſch.	23	S. Adalb. Ep. M.	23	
24	Fer. 3. Paſch.	24		24	*Dom. Infr. oct. Corp. Chriſt.*
25	Annunt. B. V. in foro.	25	S. Marc. Evang.	25	
26	S. Caſtuli M.	26	*Dom. Rogat.*	26	
27	*Primus Wenceſlai in B. Joannem inſultus occaſione confeſſionis paſchalis.*	27	Fer. 2. Rogat.	27	
28		28	Fer. 3. Rogat.	28	Oct. Corp. Chriſt.
29	*Dom. in Albis.*	29	Fer. 4. Rogat. *vigil. Aſcen.*	29	*Tranſlatio corporis ab Eccleſia Crucigerorum ad Eccleſiam Metropolitanam.*
30		30	Aſcenſ. Dom.	30	
31				31	*Dom. 3. Poſt Pentecoſt.*

Eo

EO in locô, ubi olim lignea, hodie verò ahenea Crucifixi effigies. Quemadmodum in anno 1383, ità etiam martyrii loco generico *ponte* nempe *Pragenſi* autores omnes conveniunt. At de loco ſpecifico, ſeu *immediato ſubmerſionis*, ubi, & in qua parte pontis ea contigerit, opiniones variari videntur.

PRIMA eſt recentiorum, & maximè vulgi ſentientium *Beatum Joannem* ſubmerſum in eo loco pontis, ubi nunc ahenea ejus ſtatua ſumptibus *Illuſtriſſimi Domini, Domini Mathiæ Godefridi* Liberi Baronis de *Wunſchvvicz*, Domini in *Ronſperg*, *Waſſerau* & *Pleiſtein S. Cæſ. Regiæque Majeſtatis* Conſiliarii, Aulico-feudorum, & Cameratici judicii Aſſeſſoris, nec non diſtrictûs *Plznenſis* in regno *Boemiæ* Capitanei Regii die 31. *Auguſti* an. 1683. erecta fuit. Quam etiam unus, & alter author, qui poſt eum annum vitam *Beati Joannis* compilaverat, aſſerere, etſi timidè videtur.

ALTERA eſt veterum (cui manum dandam arbitor juxtà Canonem *Tertulliani adverſ. Marc. lib.* 4. *cap.* 4. *Id verius. quod prius.*) è vetuſta traditione affirmantium *Beatum Joannem* ibi è ponte ſubmerſum, ubi olim lignea, nunc verò ahenea *Crucifixi* effigies collocata exiſtit.

Probatur 1mo. Ex rationabili conjectura; quâ cuilibet perſpectum eſſe debeat, eam effigiem non caſu, aut fortitutò ad illum locum pontis eſſe poſitam, ſed cùm vel in hoc, vel in alio *quinto*, aut *ſexto* pilaſtro, imò elegantiſſimè, & decentiſſimè in medio pontis (fuit enim *Crucifixi* prima omnium in ponte ſtatua) erigi potuiſſet, nullibi, nisì in *tertio pilaſtro* à turri *vetero-Pragena* computato collocata ſit, ad denotandum hac ſpecialitate collocationis ſpecialem loci martyriô *S. Joannis* honorificati memoriam. Accedit optima congruentia. Ex *aula Regali urbis majoris* nocturno tempore *Beatum Martyrem* ad pontem eductum, quo primo potuêre carnifices loco (vitabant enim turbam, & conſpectum obviantium) in *Moldavam* deturbâſſe, nec ultrà tertium pilaſtrum, & fornicem progreſſos, ſed ibi quò citiùs eò timore occurſantium expeditiùs rati ſacrilegum complevisſe. Inde rectè adnotavit *P. Balbinus* in vita *Arneſti lib.* 3. *cap.* 8. *in not. fol.* 290. communem quasì ibi ad *Crucem* ſuppliciorum locum fuiſſe. *In ponte Pragenſi*, ait, *ſuppliciorum locus fuit, ubi crux è regione, opere, & arte viſenda prætenditur.*

Probatur 2dò. Autoritate *R. Patris Alberti Chanovvsky* è *Soc. JEſu*, qui dum puer temerariè tumulum *S. Joannis* dishonorâſſet, in eodem loco pontis ad *Crucifixum* confuſionis pœnam ſubiit, ac internam vocem audiit: *In hoc loco ille Sanctus de ponte in aquam fuit præcipitatus.* Juvat verò ex ejus vita à *P. Joanne Tanner S. J.* anno 1660. *Coloniæ* typis data, ac *Eminentiſſimo Cardinali ab Harrach* dedicata totam facti ſeriem ſubnectere: ait ergò *pag.* 14. „Miſ„ſus cum fratre ſuo Bohuslao (vi„delicèt Albertus Chanovvsky) „natu ante ſe proximo Pragam ad„huc admodum puer, ad littera„rum ſtudia in academia Pragenſi „decurrenda, caſum paſſus eſt mi„rabilem, quem manu propria de ſe „ipſe conſignatum in chartis ſuis „reliquit. Dum Albertus daret „operam mediæ, aut certe ſupre„mæ claſſi Grammaticæ, eſſetque „annorum fortè quatuordecim, „Pater ejus Joannes Pragam vene„rat, cum quo Sanctorum ac præ„cipuè Patronorum Boëmiæ cor„pora venerationis ergô dum viſi„tat, accidit, ut etiam ad B. Jo„annis Nepomuceni monumen„tum venirent, ubi referente pa„rente didicit, quantæ locus eſſet „venerationis, quantæ DEO mar„tyris illius honor curæ, quàm „certa eorum pœna, qui terram illam

„ illam potervè conculcare aude-
„ rent, adeò ut virgo, quæ Sa-
„ crum illud ſepulchrum pede pro-
„ tervo calcare impudenter, auſa,
„ dum inde redux maximam inter
„ populi frequentiam pontem Pra-
„ genſem tranſiret, exorto repen-
„ te ventô vehementi, quaſi quo-
„ dam turbine involuta, veſtibus
„ ejus palam fuerit elevata incredi-
„ bili ejus dedecore & ignominiâ.

„ Ad hæc cogitare mecum cœpi
„ (juvat enim P. Albertum hæc de
„ ſe in manuſcriptis referentem au-
„ dire) facilè id contingere po-
„ tuiſſe fæminæ, ſed viro ſeu pue-
„ ro, qua ratione quid ſimile con-
„ tingere poſſet? quare experien-
„ di gratiâ, cùm eo tempore adhuc
„ clathra circa ſepulchrum Sancti
„ eſſent rara, & demiſſa, pedem eò
„ cum contemptu datâ operâ im-
„ poſui, ut ſepulchrum calcarem.
„ Accidit autem, cùm ad antiquam
„ urbem per parvam partem redi-
„ remus ambulando, ſequebar pa-
„ rentem, & ecce incidi in latentem
„ quamdam foveam uſque ad ge-
„ nua, quæ Pragæ ſolent eſſe in
„ plateis hyeme ex congeſta glacie,
„ & nivibus, & ferè illic calceum
„ reliqui; irridente me toto populo,
„ pudore inſigni fui ſuffuſus. Et
„ veniens ad pontem propè imagi-
„ nem Crucifixi, illic recidi: & in lu-
„ to circumquaque in pallio mea ob-
„ volutus fui, & quaſi tunc interiùs
„ hanc vocem audivi: IN HOC LO-
„ CO ILLE SANCTUS DE PON-
„ TE IN AQUAM FUIT PRÆCI-
„ PITATUS, ET SUBMERSUS.
„ ſummô pudore affectus fui miran-
„ tibus, & ridentibus hominibus
„ quid, cur, & quomodo mihi
„ hoc accidiſſet. Hæc *P. Albertus.*
Fuit autem *P. Albertus Chanovvsky* è Perilluſtri familia de *Longavilla* an. 1587. in pago *Svviradice* diſtrictûs *Brachenſis* parentibus ejus ſubdito natus. Vir â manſuetudine, pietate, ac potiſſimùm apoſtolicis miſſionum laboribus in Regno *Boemiæ* ſummâ laude, ac virtutum famâ celebris, ac *S. Joannis Nepomuceni* totâ vitâ maximus cultor, ideò ejusdem Sancti interceſſione promeritus fuiſſe videtur, ut die martyrii, nempe die 16. *May* an. 1643. *Klatoviæ* ad cælum evocaretur.

Probatur aut. *P. Georgii Crugerii S. J.* qui in memoriis ſacris Regni *Boemiæ ad 6. Non May*, *Lytomyſſalii* an. 1669. typis edit. *fol.* 8. habet ſequentia: „ A. D. 1383. à S. Si-
„ giſmundi die (quæ eſt 2da May)
„ nocte ſubſequente è ponte Pra-
„ genſi, eo loco, ubi nunc ſtat crux
„ lignea, inſutus culeo M. Joannes
„ Nepomucô oriundus, ad Divi Vi-
„ ti in Metropolitana Canonicus, &
„ ad omnes Sanctos in Collegiata
„ Decanus, dejectus eſt in Molda-
„ vam. Et *fol. 9.* Mulieris impu-
„ dentiam, id generis lapidem ſe-
„ pulchralem temerè conculcantis
„ major etiam deſpectus cælô vin-
„ dice multavit. Ubi ex arce de-
„ ſcendit, atque per pontem Pragam
„ veterem redibat, turbatâ Divi-
„ nitûs phantaſiâ, quaſi naufra-
„ gium pateretur, opem undique ſub-
„ venientium implorabat, quóque
„ faciliùs evaderet periculum, ve-
„ ſtem propriam ſuprà caput eleva-
„ bat, unde propudiosè, quæ na-
„ tura, & pudor celanda juſſerant,
„ cum aſpicientium exprobratione e-
„ vulgabat. Neque ante intemperiæ
„ ceſſaverunt, QUAM CRUCEM,
„ LOCUM OLIM SUPPLICII
„ NEPOMUCENI PRÆTERGRE-
„ DERETUR. Hanc ſententiam etiam collectores *Bollandiani* adprobant, dum vitæ *Balbinianæ*, velut notabilem circumſtantiam ibi omiſſam, ſubmerſionem iſtam in loco, ubi crux ſtat, factam ex *Crugerio* in notis ſubfigunt *act. May tom. 3. die* 16. *cap. 2. in not. lit. G. fol.* 673. Addendum demum & hîc pro majori confirmatione dictorum, prodigium illud, quod in ponte *Pragenſi* ad *Crucis* effigiem cum Barone *Michaele Adolpho ab Althan* contigit.

Fuit dictus Baro natus an. 1574. *Rudolphi II.* Imperatoris Camerarius, Conſiliarius, & Generalis belli Mareſchallus ſectâ *Lutheranus.* Hic dum aliquando inter cœteros aulæ miniſtros in *Eccleſia Metropolitana* Imperatori ab obſequio adeſſet, dicitur loculum *S. Joannis*, an factô, an verbô in cognitum eſt, contempſiſſe, & ecce abſolutis eâ die aulæ ſervitiis ad veterem urbem equô ſublimis vectus, ſtatuam *Crucis martyrii Joannei locum* perequitans, pileum fortiſſimè capiti imprimit, novô & ſacram Crucem, & locum contemptu deſpecturus; mirum dictu! dum crucem tranſiiſſet, quaſi fulmine ictus, vidit ante pedes equi pontem *Pragenſem* dividi, hiatu immaniter apparente uſque ad fundum aquæ, obrigeſcentibus omnibus viribus intantùm, ut vix ex equo deſcendere potuerit; ſub hæc temeritatem cum magna pœnitudine deteſtans ad genua ante *Crucem* provolutus meliora omnia promittit, ac in plures affectus, & ſuſpiria reſolutus reliquum pontis facilè ſuperat, & in collegium Clementinum *Soc. JEſu* propè pontem ſe recipiens fundamenta pro Catholica fide ſuſpicienda ibi jacit. Ità Libellus Teutonicè editus, *Viennæ Auſtriæ* typis Univerſitatis an. 1713. *cap.* 3. *fol.* 5. titulatus: Z*eloſus aulicus & Apoſtolicus Belli Dux, Dominus Michael Adolphus Comes ab Althan, Baroe Goldburg, & Murſtetten.* Par beneficium in periculoſo caſu alteri de hac familia *Romæ* à *S. Joanne Nepomuceno* impetratum, infrà inter miracula recenſebo.

Non obſtat huic opinioni ſtatua ænea *S. Joannis Nepomuceni* in ponte collocata, quaſì ibi *Sanctus Martyr*, ùt paſſim ſibi vulgus perſuadet, ſubmerſus fuiſſet. Nam illa ſtatua, cùm non amplius ob exiſtentem imaginem *S. Crucis* in loco ſubmerſionis collocari poſſet, deceret autem maximè *S. Martyris* memoriam illuſtri quodam ſignô per pontem, quem ſuâ morte inſignivit, à vulgo celebrari, nec ad Crucem adoratione honorandum id aptè fieri poſſet, rectè ab *Illuſtriſſimo Domino Patruno Barone de* Wunſch-*wizz*, eo loco, velut in medio pontis erecta fuit. Dico in *medio pontis*, nam ſtatua ſuper octavo pilaſtro ſtat, quorum pons 16. numerat, in medio itàque eminet. Per hoc tamen ſtatuæ author neutiquam indigitare voluit, ibi locum perpeſſi martyrii eſſe, & id quidem ex ſubſcriptione æri inciſa perſpicuè intelligendum dedit, dum cautè ſubnotavit ſe *Sancto Martyri* non de *hoc loco*, ſed *de hoc ponte* dejecto ſtatuam ponere, Scriptura autem ſonat:

DIVO JOANNI NEPOMUCENO

A. D. M CCC LXXXIII

EX HOC PONTE DEJECTO

ERE-

EREXIT

MATHIAS L. B. DE WUNSCHWICZ

A. D. M DC LXXXIII.

NEc ante collocatam ſtatuam ulli unquam incidit; ibi locum martyrii fuiſſe, ſed occaſione ſtatuæ collocatæ primùm vulgus; quod plerumque opinione, non veritate rapitur, id ſuſpicari, dein credere cœpit. Inde non mirum, quòd nullus autorum veterum, & ante id tempus ſcribentium quid ejuſcemodi attulerit, cùm fuerit eis alius præter *crucis* locum incognitus. Cæterùm perſuaſio vulgi, Sanctum fuiſſe ſubmerſum, ubi ahenea ſtatua in medio pontis erecta eſt, cultui Sancti nihil officit, cùm parum, & materiale ad culum ſit in hoc; aut alio loco Sanctum coli, cùm in generali ſupplicii loco *ponte* omnes conveniant. Sive igitur in hoc, aut alio loco pontis ſubmerſus Martyr colatur, ubique benè colitur, totus enim pons martyrio ejus honorificatus eſt. Locus individualis ſubmerſionis magis eruditionis gratiâ à doctis exquiritur. Quod attinet ipſam Crucifixi effigiem, eam & quidem primam ad locum *Martyrii Joannei* collocatam, forma artis omnibus commendatam altero aut tertio die poſt obitum *Wenceslai* Regis an. 1419. *Huſſi* deliriis dementata plebs, dum buſtuarias manus plerisque templis, cœnobiisque *Pragæ* injiceret, diſſecuit, ac è ponte præcipitem egit. A quo tempore hæreſi potiſſimùm in *Bohemia* furente, ſacrum *Crucis* ſignum in ponte diu abfuit. At ab initio ſæculi decimi ſexti rurſus omnino eò collocatum lego.

Poſteàquam enim an. 1495. ingenti fluviorum, ac præcipuè *Moldavæ* fluminis exundatione, firmiſſimus aliàs pons *Pragenſis*, eo ipſo in loco, ubi antea *Crucis* ſimulacrum adorabatur, in medio rumperetur, ut laborioſo conatu *Joannis Zagiczek* Viri conſularis annô primùm 1502. perfectè, & firmiter reſtauratus ſit, hoc omine perculſa *Tripolis*, licèt *Huſſitiſmo* adhuc corrupta, *Crucifixum* veteri loco poſtliminiô reſtituit, plurimùm promovente *Ernesto* à *Schleinicz* electo dein Præpoſito *Pragenſi*, & *Archi-Epiſcopatûs Adminiſtratore*. *Caleſt. in Analect. Hiſt.* Annô 1612. die 28. Decembris, quæ erat veneris, & *SS. Innocentibus* ſacra, ingenti ventorum, ac turbinum vi Sacro Signo caput dejectum fuit. *MS. Chron.* Launenſe. Eadem *Crucis* imago ducentis annis à priori ruina alteram ſat propinquè formidabat per *Fridericum Palatinum Pſeudo-Regem Boëmiæ* & *Eliſabetham* conjugem, Calvini evangeliô mente motos. Hi poſteaquam die 4. *Novembris* an. 1619. Regnum *Boëmiæ* nullo jure occupâſſent, ſtatim ſacris iconibus bellum indixerunt, ac primùm in *Metropolitana Eccleſia* Sanctorum ſtatuas, aras, reliquias ſacrilegè frangentes, dilacerantes in ignem per cumulos conjecerunt, ac combuſſerunt. Dein omnes *Crucifixi* (quos ſub *nudi balneatoris* nefando ſcommate Rex, & Re-

gina ſacrilegâ averſione damnave-rant) Calviniſtica infeſtatione, repetitis inſultibus è regno proſcripti, & eliminati ſunt. Præprimis verò ille in ponte ſublimis *Calviniſticum* Regem plurimùm in choleram accenderat, & niſi à *Pragenſibus*, licèt & iis *Huſſitis*, & *Lutheranis* defenſus fuiſſet, certè ruinam non evitâſſet. Juvat autem oculatum teſtem, qui coram omnia ſpectavit ex *Tom. 2. Actorum publicorum Caſpari Landorpii Hiſtoriographi lib. 4. tractat. 24. fol.* 833. audire. „Extractus epiſtolæ, „quæ cuidam amico die 2. Jan. an. „1620. ſcripta eſt Pragâ ſuper va-„ſtatione Eccleſiæ Metropolitanæ: „Secuta denique eſt vaſtatio alta-„rium, Crucifixorum, & aliarum ima-„ginum in Eccleſia Metropolitana „Pragenſi. Et neſcio, qualiter hanc „abominandam, nefandámque ſacro-„rum ruinam deſcribere debeam. „Die 22. Decemb. in feſto S. Thomæ „Apoſtoli à meridie tragœdia ince-„pta eſt. Dominus Bohuslaus Berka, „Dominus à Ravvpovva, Dominus „Budovvecz, Dominus Michalo-„vvicz, Dominus Berbisdorff, Domi-„nus Daniel Screta, & plures alii ejus „farinæ, non modò præſentes erant, „ſed & ipſi omnia altaria, Crucifixos, „& imagines confregerunt, ac ſecuri-„bus, aſciiſque proprias manus rebus „ſacris injecerunt. Crucifixum, qui „ſuper Presbyterio in transverſâ tra-„be inter ſtatuas S. Mariæ, & S. Joan-„nis ſtetit, volebant operarii, nè „confringeretur, ſenſim demittere, „illi verò mandârunt ſummâ violen-„tiâ deturbari, cujus ruinâ tantus „fragor exortus eſt, quaſi tota Ec-„cleſiæ machina diſſolveretur. Poſt „hæc Berbisdorff crucem pede cal-„cans adjecit: Hîc jaces Miſelle. „Et infrà. Regina mandavit ſepul-„chrum S. Wenceslai confringi, & „oſſa abjici, nè quid, quod papiſti-„cam indololatriam ſaperet, rema-„neret. Crucifixos appellat nudos „balneatorum ſocios. Cum his die-„bus ſenatui Vetero-Pragenſi intima-„tum fuiſſet, UT CRUCIFIXUM, „QUI IN PONTE STAT, aman-„det, & ſeponat: reſpondit, ſuæ po-„teſtatis non eſſe; cives, plebèm-„que Crucifixum poſuiſſe, ac ideò „ſine eorum conſenſu nihil tentare „poſſe. Si nihilominùs Rex pro-„priô mandatô auferre velit, & e-„xinde ſeditio populi oriretur, ſe „nullas partes habituros. Poſtquam „hoc communitas reſcivit, excubiis „mandavit, ut primum quemque, „qui dejectionem crucis attentare „vellet, è ponte præcipitem agat. „Et infrà. Rex & Regina vatinianum „odium in ſacras imagines habent. „Ideò Neo-Pragenſibus ſignificari „fecit, quatenus aſſiſterent, ac eti-„am efficerent, UT CRUCIFIXUS „E PONTE ſemoveatur, qui repo-„ſuerunt, ſe Vetero-Pragenſibus præ-„ſcribere non poſſe. Hæc ibi

Denique cùm in eadem injuſtâ *Palatini* cauſâ *Svecicus Mavors* diuturnô bellô Germaniam concuteret, ac hoſtilia etiam ſigna per nocturnam fraudem *Pragenis* mœnibus intuliſſet, tertiùm *crucifixus* in ponte iconoclaſtrarum furori objectus, ac cum ſtatuis *B. Matris, & S. Joannis Evangeliſtæ* machinis bellicis dejectus fuit. Statua *S. Joannis* ab aquis ablata, Crucifixi verò &, *B. Matris* ſtatua in vicinam *S. Salvatoris* Eccleſiam translata, fidelium deuotione honoratur: Quæ ſingula ſuccinctè indicat membrana appoſita:

HÆC EFFIGIES CRUCIFIXI

PUblicæ fidelium venerationi in „ponte Pragenſi expoſita per „plures annos ſtetit, donec eam Mars „Suecicus an. 1648. inde deturba-„tam fœdè, ut cernis, dilaceraret: „Dum enim Micro-Pragâ hoſtiliter occu-

„occupatâ, vetus urbs machinis bel„licis quateretur, capitaneus Sueco„rum heterodoxus, in odium reli„gionis Catholicæ tormenta vicino „colli impoſita, tam diu contra Cru„cifixi effigiem direxit ipſe, quoad „S. Joannis ſtatuam in ſubjectum „Moldavam, Crucifixum verò cum „adſtite Matre doloroſa ad pontem „proſterneret, neque longè poſt cri„minis pœnas dedit ſacrilegus, quan„do & ipſe hoſtili globô eſt trajectus. „Venerandum Crucifixi ſimulacrum „fidelium pietas ſuſtulit, & ad Colle„gium S. Clementis deportavit, ubi „in memoriam rei olim geſtæ, & ſe„cuturorum fidelium venerationem „palam proponitur. Hactenus mem„brana.

Eſt hic *Crucifixus* in *Eccleſia S. Salvatoris* plurimorum refugium in quacunque cruce, tribulatione, & adverſitate, in doloribus pedum, & aliis tum corporis, tum animi infirmitatibus, prout lampas & anathemata appenſa teſtantur.

Ferdinandus III. glorioſæ memoriæ Rom. Imp. & Boëmiæ Rex Crucifixum æreum ligneo ſubſtitui mandavit. Adjunctæ ſunt lateri duæ plumbeæ *B. Matris* & *S. Joannis Evangeliſtæ* ſtatuæ in forma virili, iterúmque duæ lampades perpetuæ, quarum fundatorem ſubſequens marmori inciſa epigrapha poſteritati commendat.

Carolo Adamo Baroni de Rzirzan
qui perpetuum hoc lumen, & ſacrum
perpetuum Metropolitano ſacello
Divi Wenceslai fundavit, legato
bono Launiovicz ſedi Archi-Epiſco-
pali: Joannes Fridericus Archi-Epiſco-
pus Pragenſis, Legatus natus &c.
hoc monumentum poſuit, Annô
M DC LXXXI.

Annô 1696. aureæ literæ hebraicæ: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth.* ex pœna judæi blaſphemi circapoſitæ ſunt. Et an. 1707. cum crux lignea, in qua corpus æreum pependerat, vetuſtate laberetur, integrè ærea ex pœna itidem Hæbræi blaſphemi ſubſtituta.

IN *Caſtrum Tocznik.* Caſtrum *Tocznik* quinto lapide à *Praga Metropoli* diremptum, ac in diſtrictu, ſeu provincia *Podbrſcenſi* in alto, prærupto, ac propè inacceſſo monte ſitum, condidit familia Lucemburgica. Poſteaquam enim *Joannes I. Boëmiæ* Rex, & Comes *Lucemburgicus* Caſtrum, Oppidúmque *Zebrak* à *Zbincone* ab *Hazenburg* commutatione Caſtri, & oppidi *Budinæ* (quæ nuper an. 1312. Templariorum ordine deleto in Regis ditionem venerat) ad proprietatem regiam an. 1336. accepiſſet (*Paproczky. de ſtat. domin. famil. Haznburg fol.* 74.) mirum in modum delectati Reges *Lucemburgici* ob amæniſſimum loci ſitum, cœli ſalubritatem, ferarum copiam, pluresque alias viciniæ dotes, alteram arcem propè *Zebracum* in prærupto monte condiderunt. Cui *Wenceslaus* Cæſar, & Rex *Boëmiæ* nomen indidit *Tocznik*, propterea quòd aliter mons ſuperari non poſſet, niſi multa circumrotatione, ac aſcendentes quasi trochleatim bis, terque in orbem agi oporteret, priusquam in apicem eluctarentur, & toties præſidiariis objecti, facilè ſub ictum venirent. *TOCITI* enim *ſlavis rotationem* ſigni-

ſignificat. Quidam volunt Regi *Joanni* animum fuiſſe veteri arci *Zebracenſi* novam aliam ſuperſtruere, ſed bella, quibus ſe inquietiſſimus Rex ſponte involverat, rem aliò abſtuliſſe. Nepotem ergò *Wenceslaum* avi intentionem impleviſſe, & arcem munitam æque, ac pulchram ibi condidiſſe. In hac arce (& in altera ad Pragam *Kunradice* dicta) voluptatibus, & otio indulſit *Wenceslaus* Rex ignavus, atque neglectis regni negotiis genialiter dies, noctésque perpotavit, & ſcortatus eſt: Ut ruentis regni tumultum non audiret, niſi legatione procerum (quam *Wilhelmus Ssvvihovvskius* oratione accommodatiſſimâ ad Regem ducebat) excitatus. Porrò Caſtrum *Zebrak*, quod latinè *mendicum* ſonat, à familia *Aprugnæa* aliàs de *Hasenburg* excitatum eſt. Cum enim *Hasenburgii* (*Tumani* & *Kumani* occiſorum *S. Ludmillæ* poſteri) diu *Ziebraci*, id eſt *Mendici*, exules, inopes errarent, fortuna paulatim redeunte calamitatis prioris memores, arcem, quam condebant, *mendicum* vocavêre. In eo commoranti genti *Czerninianæ*, quæ ſimiliter poſt an. 1260. à *Przemyslao Ottogaro* infeſtiſſimo iſti familiæ Rege opibus exuta, cùm nihil penè niſi breve ſolum (olim tres omnino *Boemiæ* diſtrictus cum *Theobaldis* ſeu *Ssvvihoviis* hæreditate tenens) ditione poſſideret, pagum adhuc unicum *Chudenig*, quaſi *pauperitinum* diceres, nominavit. Ad initium ſæculi decimi quarti poſt Chriſtum *Zebracum* tenuit Ulricus. In libris beneficiorum monaſterii Inſulani *Ord. St. Auguſtini*, quod ab *Ulrico lepore de Waldek* an. 1263. fundatum erat, legitur: „Annò 1304. obiit Dominus Ulricus „Miles dictus de Mendico, Nepos „primi fundatoris, qui legavit no„naginta marcas cum dextario, & o„mnibus armis ſuis huic domui, pro „cujus animâ tenemur ſingulis „annis nutrire quinquaginta paupe„res & viginti quatuor Miſſas ipſo „die vel infra tres complere. Annò demum 1336. Rex *Joannes* datâ *Budinâ* in ditionem regiam accepit *Ziebracum*: Teſtes permutationis nominantur apud *Paproczkium*: *Joannes Epiſcopus Pragenſis*, *Petrus à Roſenberg ſupremus Camerarius*. *Henricus à Lippa Mareſchallus*, *Hinco Berka de duba Burgravius Pragenſis*, *Wilhelmus à Landſtein*, *Wilhelmus à Strakonicz*, *Geſko à Wartenberg*, *Udalricus Pflug Judex*, & *alii Domini*. Confirmata fuit permutatio à *Carolo IV*. an. 1350. *Joannes* deinde Marchio *Moraviæ*, frater *Caroli IV*. empto *Caſtro Ziebracenſi* in capella ejus, quam honori *S. Apollinaris* & *S. Margarethæ Ulricus* Princeps Boëmiæ an. 1011. condiderat, opulentum fundavit ſacerdotium cum onere quotidiani ſacrificii miſſæ. Literas fundationis recitat *Hagecius* ad an. 1348. *Wenceslaus* igitur ignavus non modò ſubſtitit in munitione *Tocznik* periculorum evitandorum cauſâ, ſed & in caſtro *Zebrak* voluptatum gratiâ, cùm ſibi eſſent hæc caſtra valde vicina, inde *Hagek Wenceslaum* poſt martyrium *S. Joannis* in *Zebrak* abiviſſe memorat, alii verò in *Tocznik*, quod perinde eſt. Aliquot decreta Cæſarea quoque *Ziebraci* data enarrat *Jacobus Wenker in not. ad Bernard Mallenkrott* velut an 1384. zu Bettler (id eſt, *Ziebraci* ſeu in *Mendico*) *die lunæ poſt Joannis &c. Ad mandatum Domini Regis*, *Domino Burgravio Wiſchradenſii referente*, *Martinus*. Item an. 1393. datum zu dem Bettler &c. Ad mandatum Domi„ni Regis, referentibus D. Lamber„to Bambergenſi Epiſcopo, & Bor„zyvvigio de Sivimars, Franciſcus „Olomucenſis Canonicus. Item data in *Tocznik* linguâ populari decreta regia aliquot habeo, velut circà electionem conſulum Pragenſi„um. Datum in Tocznik poſt Chri„ſtum natum an. 1409. in vigilia S. „Joannis Baptiſtæ regni noſtri Boe„mici quadrageſimo nono, Romani „trigeſimo tertio. In cauſa mercantili *Urbis veteris*. „Datum in Tocz„nik 6. id. Junii an. 1383. regni no-

ſtri

„ ſtri Boemici vigeſimô, Romani „ ſeptimô. In quadam lite inter „ Vetero- & Neo-Pragenſes. Da- „ tum in Tocznik die S. Chriſogo- „ ni an. 1391. Denique hæc arx nunc diſturbiis *Huſſitarum* everſa, tota in ruderibus jacet. Non item altera *Tocznik* dicta, quæ cum ve- tuſtate luctans ſe, ac viciniam utcun- que tuetur. Habet fontem miræ profunditatis *Wenceslai* pigri opus, ac alias ejusdem Regis memorias. Tradit *Lupacius die* 3. *Febr. Zebracum* à *Ziſka* everſum. an. 1421. Verùm *Bartoſseck à Drahonicz* autor coæta- neus & *Ziſka* buſtorum ſpectator, ambo caſtra *Zebracum*, & *Tocznik* adhuc ſtetiſſe aſſeverat anno 1425. Ait enim in *Ms. hiſtoria* ſua apud me „ fol. 2. Annò 1425. die S. Sigis- „ mundi ad caſtra Zebrak, & Tocz- „ nik venerunt Orphanorum equi- „ tum nongenti, & peditum ſeptem „ millia, & per tres dies non va- „ lentes caſtra lucrari, civitates „ Zebrak, & Horzouvice concre- „ maverunt, & Dominus Hanuſ- „ ſius de Kollovvrat tunc caſtrum „ Zebrak tenuit. Hic *Hanuſſius* de *Kollovvrat*, & *Fridericus* frater ejus erant ex hoſtibus *Sigismundi*, ideò à *Carlſteinenſi* arce quotidiana ad *Zebracum* facta eſſe certamina (è qui- bus dein *Hanuſſius* ferè ſemper rece- derat inferior) narrant regni me- moriæ.

Inferre pœnam mortuo. Veteres ſicut temporariæ depoſitio- nis ad *S. Crucem*, ità & inſidiarum *Wenceslai*, quas ſacro corpori ſtru- xerat; non meminêre. Cauſam ſu- prà allegavi. Recentiotes traditio- ne oſtendunt (nam raró omnia ſcriptis comittuntur) corpus ex aqua levatum ad eccleſiam *S. Crucis* propè littus *Moldavæ* fuiſſe depoſi- tum, ac dum populi frequentia ſacras exuvias impensâ devotione honoraret, *Wenceslaum* ſuſpicione ſeditionis mandâſſe, corpus in angu- lum abjici, quasì diceret id tyranni apud *Prudentium in hymno de S. Vin- centio.*

Sed reſtat illud ultimum,
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadaver tradere,
Canibúsque carpendum dare.
Jam nunc & oſſa extinxero,
Ne ſit ſepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulúmque figat martyris.

Rem geſtam narrant ex *Balbino* collectores Bollandiani tom. 3. „ May die 16. cap. 2. n. 16. fol. „ 672. At inferius in Sanctæ Cru- „ cis Eccleſia innumera hominum „ vis ad Sacrum Corpus videndum „ affluxit, primúsque ille cultus „ Beati Martyris à populo fuit, „ conſtantiam, & fortitudinem de- „ prædicare, manúsque certatim „ oſculari, ejus ſeſe precibus com- „ mendare, Sacrum Corpus reve- „ renter contingere, nullum facie- „ bant finem &c. Non ità ſe in „ familiares tenebras abdiderat Im- „ perator, ut, quæ circà corpus fie- „ rent, ignoraret. Itáque ut ſunt „ omnium, qui tyrannicos habent „ animos, ſuſpicioſa & violenta „ conſilia, ad Religioſos illos viros „ ſanctæ Crucis ſatellites cum man- „ datis dimittit: Novâ re abſtine- „ rent, tumultum non concita- „ rent, arcerent turbam, & Joan- nis

„ nis Nepomucenſis corpus procul „ è conſpectu in angulum aliquem „ abjicerent. Factum, quod Rex „ imperat, ſollicitè: Sed majore „ B. Joannis gloria; ſiquidem clau- „ ſum corpus tantam ex ſeſe cæle- „ ſtis odoris fragantiam effundebat, „ ut occultari non poſſet, magnó- „ que iterum hominum concurſu „ locus celebraretur. Similia ha- „ bet Macarius à Merſelicz in vita. „ fol. *36*. Cultus tanquam Beato, „ Sancto Martyri Joanni Nepo- „ muceno, qui tunc fuit exhibitus, „ uſque modo continuat, nec un- „ quam potuit interrumpi. Impiiſ- „ ſimus tyrannus per ſuos ſattellites „ curavit arceri turbam, & cor- „ pus Joannis Nepomucenſis pro- „ cul è conſpectu abjici, volens „ hac ratione cultum penitùs ſub- „ latum, ſed fiebat id majore B. „ Joannis gloria, ſiquidem cor- „ pus clauſum, tantam ex ſeſe cæ- „ leſtis odoris fragantiam effun- „ debat, ut occultari non poſſet; „ ideóque locus maximo hominum „ concurſu celebrabatur poſthabitis „ omnibus Regis comminationibus. Concordat vetus de *B. Joanne Nepomuceno* officium ſub regimine *Rudolphi II.* circiter compoſitum, & à me in bibliotheca *Seminarii Archi-Epiſcopalis* inventum, & typis datum.

Ad Veſperas.

Hymnus.

Immobili conſtantia
Joannis efferatus
Rex, ejus in præſentia
Furore concitatus
Jubet Joannem dejici
In Moldavæ fluenta
Laurum induit mors vertici
Joannis incruenta.
Miraculoso lumine
Sanctum DEUS revelat,
Rex membra merſa flumine
Levat, SEPULTA CELAT.

Videri etiam poteſt *Joan. Beczkovvsky in Cron. Boem. cap. 52. Joan. Baczina* in vita Teutonié edita an. 1686. *fol. 45*. Demum locus iſte depoſitionis noſtra ætate reinventus fidelium pietate celebratur, & *S. Joannis Nepomuceni* ex aquis elevata, effigies ſub altari, collocata ibidem piè colitur, Juvat rei contingentiam ex *analectis M. S. Recentioris* annectere: „ S. Joannes Ne- „ pomucenus ſuper tertio, aut quar- „ to fornice pontis juxtà flumen „ Moldavæ noctu projectus, & a- „ quæ verticibus abſorptus, animam „ ſanctam ad æternæ beatitatis ſe- „ des, martyrii corollâ donatam „ emiſit, corpus verò propè mo- „ naſterium S. Crucis inventum, „ ad ejusdem Eccleſiam piâ venera- „ tione depoſitum eſt; ubi etiam „ totô illo tempore, quouſque Præ- „ lati, & Canonici Pragenſes, fu- „ neris & ſepultura ſolemnia (quan-

„ tùm

,, tùm ab Regis inclementia licebat)
,, adſtruerent, reverenter recondi-
,, dum aſſervabatur, ac mirum odo-
,, rem ſpirabat. Locum hunc Ziſskia-
,, næ [illegible]bæ, dum Eccleſiam incen-
,, derunt, oblivioni dediſſent, ni-
,, ſi traditio Fratrum de pœniten-
,, tia, indiciô quarundâm ſtellarum,
,, adjectam à veteribus notam, lu-
,, ci reſtituiſſet. Nam an. 1707.
,, dum Eccleſia reſtauraretur, ſin-
,, gulariùs quæſitus fuit hic locus,
,, & tandem à Patre Præpoſito Ste-
,, phano feliciter inventus. Eſt ve-
,, rò locus undique clauſus, aditum
,, ad ſe ex ſacriſtia habens fornice
,, gottrico tectus, & parvâ fene-
,, ſtrellâ illuſtratus, in fornicis an-
,, gulo cærulei coloris ſtellæ nu-
,, merò circiter ſeptemdecim con-
,, ſpiciuntur. Hæc ibi. Confirmat narrata ipſorum *RR. PP.* an. 1707. typis data *informatio*, quæ ad finem ſic habet: ,, Nos ab anteceſſori-
,, bus edocti, indiciô ſtellarum for-
,, nici ab antiquo appictarum de-
,, prehendimus, quòd in eo loco,
,, videlicet intra modernam ſacri-
,, ſtiam & murum Eccleſiæ corpus
,, S. Joannis Nepomuceni abſcon-
,, ditum quondam fuerit, & mirum
,, odorem ſparſerit. Ideò perfra-
,, cto Eccleſiæ murô pro meliori
,, acceſſu hactenus reconditum the-
,, ſaurum in publicum vindicavimus,
,, & cum licentia Reverendiſſimi Ar-
,, chi-Epiſcopalis Conſiſtorii anno
,, 1707. die 16. May anniverſaria
,, martyrii primâ vice omnibus cli-
,, entibus eundem aperuimus, ut
,, accedentes ſacræ depoſitionis me-
,, moriam recolere queant. Hodie venuſtiſſimô altari ad marmoris gypſique formam expolitô, clientum pietate pars iſta Eccleſiæ fulget, annum ornatûs commendat inſcriptio:

En & ſteLLæ De sILentIarII MerItIs LoqVVntVr.

Ad extremum non prætereundi videntur *Religioſi Patres Cruciferi de pœnitentia*, de quibus *Oldoinus in annotat.* ſuis: ,, Cruciferi, Religioſi
,, Viri hoc nomine à ſigno Crucis,
,, quod præ manibus ex inſtituto
,, ſolent ſemper habere, vulgò ap-
,, pellati, non alium agnoſcunt præ-
,, ter Cletum Authorem. Hic proinde ùt *Chriſti Vicarius* Congregationis hujus dicitur fuiſſe inſtitutor, quod ipſum teſte *Bonanni* confirmant *Alexandri III.* *Alexandri VI.* & *Clementis IV.* bullæ, abque etiam *liber ſtatuum Principalium Mundi tract. de Origin. Relig. Ord. fol.* 1412. Advenerunt in *Bohemiam* an. 1256. regnante *Przemislao III.* & *Pragæ* propè *Moldavam* inſignem præpoſituram nacti ſunt. Pollebat hoc eorum *Pragenſe* cœnobium, & Eccleſia magnis theſauris, quibus tum hæreticorum rapinis, tum *Georgii Podiebradii Boemiæ* Regis, ſtimulante Huſſiticæ factionis coryphæo *Joanne Rokiczana* mandatô ſunt decimati. Facti ſeriem ex *Hageeio* è Slavico in latinum translatum audiamus *fol.* 443.
,, Annô 1470. die S Floriani, Ma-
,, giſter Joannes Rokyczan com-
,, paruit coram Rege Georgio, ob-
,, teſtans per veritatem, quòd illi
,, incarnati diaboli in monaſterio S.
,, Crucis Veteris Urbis Pragenſis
,, (qui rurſus huc venerunt, ut Boe-
,, mos à vera fide abducant) in-
,, gentem ſummam pecuniarum ha-
,, beant congregatam: Ad quid
,, ſunt pecuniæ iſtis Diabolis? ma-
,, gis congruit, ut tu O Rex poſſi-
,, deas, quare eis auffer, & Jurco-
,, nes è regno pelle. Rex aſpiciens
,, Joannem à Profece ſcribam ait:
,, qui ſunt hi? is reſpondit. Se-
,, reniſſime Rex, ſunt fratres Cru-
,, ciferi de pœnitentia beatorum
,, Martyrum, aliàs ſancti Cyriaci,
,, Monaſterium quod inhabitant
,, ſanctæ Crucis, hîc eſt in Urbe
,, veteri, poſt Hebræorum ſcho-

„ lam ad litus aquæ, ubi olim di-
„ cebatur. Na Rvvackach. Rex
„ ſolitus omnia ad placitum Magi-
„ ſtri Joannis facere, & conſilia
„ auſcultare, miſit conſiliarios ſuos
„ ad Cruciferos, poſtulans, ut pro
„ neceſſariis Regni expenſis mutuò
„ ſibi concederent quinque millia
„ ducatorum id eſt Ungaricos aut
„ Boemicos florenos. Fratres pe-
„ titum trutinantes, obediverunt,
„ pecuniámque conſiliariis Regiis
„ ad manus dederunt. Hac ſum-
„ mâ ad Regem latâ miratus Rex
„ circumſtantibus dixit: quæſo mi-
„ hi dicite, quantùm monaſte-
„ rium habeat proventuum? Et il-
„ li reſponderunt. Proventus non
„ habet magnos, at Wenceslai Re-
„ gis tempore multi hîc erant ſa-
„ cerdotes, qui nunquam opus ha-
„ bebant mendicare. Triduô pòſt
„ rursus miſit Rex inſtigatione Ro-
„ kiczanæ, ut ſibi darent mutuò de-
„ cem millia florenorum, & illi re-
„ ſponderunt, quòd deſuper con-
„ ſilium agent, & poſt aliquos dies
„ tulerunt mentionatam pecuniam
„ ad aulam Regiam, obſecrantes
„ Regem per amorem DEI, nè quid
„ ampliùs petat, ſed potius gra-
„ tioſa manu monaſterium prote-
„ gat, & quòd diu noctúque pro
„ eo DEUM orabunt, Rex repo-
„ ſuit, & ſub fide promiſit, quod
„ hoc illis præſtabit, præterea ad-
„ jiciens. Chari Fratres indicate mi-
„ hi, qualiter hæc ſumma pecuniæ in
„ veſtras manus devenerit, & illi di-
„ xerunt. Sereniſſime Rex eam an-
„ teceſſores noſtri, potiſſimùm, qui
„ erant egregiorum, & divitum pa-
„ rentum filii, è peregrinis terris huc
„ in Bohemiam attulerunt, & erat
„ communis theſaurus, quo vole-
„ bant monaſterium beatorum Mar-
„ tyrum S. Crucis reſtaurare, &
„ dein venerunt tempora, quibus
„ inde fuerunt pulſi. Attamen qui-
„ dam eorum Ratisbonæ exiſtentes
„ indicârunt, ut redeamus, & hîc
„ ſubſiſtamus, caſu quo poſt ali-
„ aliquot annos eorum theſaurum
„ in opus deſtinatum impendere
„ poſſemus. Sed quoniam dictum
„ theſaurum veſtra Majeſtas habere
„ deſideravit, ideò eum extradi-
„ dimus. Et reſpondit Rex: Gra-
„ tias ago vobis chari Fratres, &
„ quia in uno mihi veritatem dixi-
„ ſtis, confido, quòd in altero di-
„ cetis: Quocirca quæſo mihi di-
„ catis, multúmne adhuc auri, ar-
„ genti, aut unionum habetis. Et
„ reſponderunt: Uniones & hujuſce
„ modi pretioſa non habemus, nam
„ Pragenſes cum aliis civitatibus in
„ monaſteria ſævientes abſtulerunt
„ omnia, pecuniam etiam non am-
„ pliùs habemus, nisì duò millia flo-
„ renorum Hungaricorum, quæ Fra-
„ ter Stephanus noſtri Ordinis, ger-
„ manus Epiſcopi Nitrienſis ex Hun-
„ garia ad monaſterium huc attulit,
„ volens exinde monaſterium re-
„ ſtaurare: quapropter veſtram
„ Majeſtatem per DEUM obſecra-
„ mus, & confidimus, quòd ea
„ penes nos in dictam monaſterii
„ reſtaurationem relinquere digna-
„ bitur. Audiens hoc Rex per fi-
„ dem adpromiſit, ſed id ſervatu-
„ rum, & ii flentibus oculis gra-
„ tias agentes diſceſſerunt. Hoc
„ cùm inſinuatum fuiſſet Magiſtro
„ Joanni, paucis pòſt diebus acceſ-
„ ſit Regem dicens: O! Rex quam-
„ diu ergò diabolicos monachos
„ patieris, pecuniámque eis relin-
„ ques? Cùm enim ſpontaneè ele-
„ gerint paupertatem, ut quid il-
„ lis aurum? non patiaris te ſedu-
„ ci, illi tibi dixerunt, ſe nihil
„ ampliùs nisì duo millia floreno-
„ rum habere, & ego veram no-
„ titiam habeo, quòd poſſideant
„ ultrà centum millia florenorum,
„ quæ tua ſunt, non eorum; igitur
„ conſolatè abripias. Bonus Rex
„ dedit fidem, & quoniam Ma-
„ giſtrum Joannem plùs quàm Do-
„ minum DEUM timebat, nè in
„ ſeditionem moveret plebem, non
„ attenta Regia promiſſione ad Re-
ligio-

„ ligioſos miſit, eisdem indicando, „ ut adhuc quinquaginta millia flo„ renorum adferrent, id audientes „ fratres non parùm fuerunt con„ territi, petentes inducias octo „ dierum. Rex ſperabat, quod rur„ sùs pecuniam deponent. Heb„ domadâ elapsâ, & nullò è reli„ gioſis comparente, miſit Rex „ aulicos, qui omnem pecuniam „ & uniones iis aufferrent, & illi „ ibidem nec pecuniam, nec Reli„ gioſos, ſed deſertum monaſte„ rium invenerunt. Rex præcepit, „ ut omni ex parte in fugientes in„ dagarent, & omnia, quæ apud eos „ reperta fuerint, abriperent. In„ ſequentes ſatellites Religioſos de„ prenhenderunt ſub caſtro Homo„ le, & poſteaquam eos omnes di„ ligenter excuſſiſſent, & nihil pror„ ſus auri, aut argenti apud eos re„ periſſent, omnes ſexdecim abire „ permiſerunt, qui properârunt „ Krakoviam Poſt reditum emiſ„ ſorum mandavit Rex totum mo„ naſterium perquiri, & perfodi, „ & nihil potuit invenire, niſì in „ quodam muro ciſtam oblongam, „ plenam privilegiorum & literarum „ poſſeſſiones, & jura hujus, & alio„ rum monaſteriorum oſtenden„ tium: Hæc omnia unà cum ciſta „ Rex mandavit ad Moldavam flu„ men præcipitari. Hactenus *Hagekus.* Videri etiam poteſt *Dubravius Hiſtor. Boem. lib.* 30. *ad fin.* Hodie præfati Patres *Crucigeri de pœnitentia* cum *rubeo corde* priſtinam rursùs *Pragæ* occupant ſtationem, licèt opibus primis imparem. Florent præterea in aliis numeroſis cœnobiis, *Leodii*, *Tornaci*, *Aquisgrani*, *Coloniæ*, *Embricæ*, *Diſſeldorpii*, *Venlonæ Ruremundæ*, *Sylvæducis in Brabantia*, *Traponti*, &c. *Supremum* verò *ordinis caput* reſidet *Huii* ad *Moſam.*

CAPUT DECIMUM.

Wenceslaus ſpernit Legationem Imperii Principum. Joanna Regina ſanctè è vita migrat. Fabrica Eccleſiæ Metropolitanæ continuatur. Altera Canonici Pragenſis, & Wiſsehradenſis, nec non Vicarii generalis ſubmerſio. Prima Wenceslai captivitas, & mira liberatio. Super his, & aliis particularia Scriptoribus hactenus incognita. Horribilis Archi-Epiſcopi Joannis viſio. Wenceslai ab Imperio Romano exauctoratio, & plura circa eam ſpecialia. Altera Wenceslai captivitas, & Viennam deductio, nec non iterata liberatio. Hæreſis Wiklephiſticæ, ac Ziſkianorum excidiorum exordia. Wenceslai inde contracta infirmitas, mors, ac ſepultura.

N. 1. TUmulato *Beato Joanne Nepomuceno*, ſedatòque popnli murmure Rex *Ziebracô* rediit. Ac primùm, quaſi nondum coalitâ ſceleris cicatrice, remotior egit. Non *Pragam*, ſed *Wiſsehradum* accedens, ibìque reſidens. Per idem tempus legatio Principum Imperii, quam fuſè deſcribit *Hagekus* (a) à *Wenceslao* leviter expedita *Coloniam Agripinam* reverſa eſt. Collegium imperiale intellectâ *Wenceslai* inertiâ obſequiis nutat. Motum à legatis, Regem palam aſſerere: *Sua non intereſſe, toties in Teutoniam excurrere, præſentiâ Cæſareâ egentes Boemiam poſſe petere.* Penes inauditâ tyrannide in multos, ac cùmprimis perſonas ſacras furere. Se oculis quaſi ſpectâſſe ſupplicium ſacerdotis innocentis, ac confeſſarii Reginæ, quem pro ſigillo confeſſionis tormenta ſuperantem ſubmerſione in mortem adfeciſſet. Hæc Principum animos vehementer ſuſpenderant: Pandentia viam exauctorationi. Inter cæteros calculos adjeciſſe *Rupertum Palatinum Rheni: Imperet igitur in Boemiâ ſua Wenceslaus, nos in imperio.* Dux *Bavariæ Clemo* (b), alienâ deſidiâ utendum ratus, Romanum Imperium induxit animo. Nec eventus falleret, ſi *Wenceslaum* (quod facile putabat) armis ſuperaret. Ergò coacto milite

- - - *aditus viciniâ fecit.*

Boemiæ montes ſuperat, & oræ *Plzenſi* circa feſtum *S. Viti* an. 1383. hoſtilia ſigna infert. Adverſus quem etſi quidem *Wenceslaus* ſolis cameræ reditibus per contemptum pugnaret, & Cleri hominibus, additis *Joannis à Genſtein* Archi-Epiſcopi, (malè ponit *Hagek Zbinconis*, primùm an. 1403. electi) armigeris, ductore *Sulcone* Præpoſito *Chotieschovienſi Clemonem* è regno pelleret, non tamen Procerum in ſe concepta odia. Detinebat videlicèt eos ſpreta imperii legatio. Notam genti, regnòque fieri, habere Regem, qui ſceptrum Romanum voluptatum gratiâ negligeret.. Idcircò clam, & palam velùt Tyrannum, qui nec ſacris legationibus, nec perſonis parceret, explodunt, contemnùntque. Rex ignavus, ut ſæpè neceſſitas ingenium addit, indultis gratiîsque denuò placandos ſtatuit.

Quanti momenti eæ fuerint, ſolius *Wilhemi* ab *Hazmburg*, quem propè inconvenibilem reddidit, oſtendit. Tenor vero eſt: *Wenceslaus Rex &c.* „Nobilis Wilhelmus de „Hazm-

(a) Hagek ad an. 1385.

(b) Dubrav. lib. 23.

„Hazmburg, Supremus regni Boë„miæ Dapifer, Conſiliarius, & fide„lis noſter dilectus, & Nobis, & cla„ræ memoriæ progenitori noſtro à „longis temporibus gratè compla„cuit &c.: Ideò fideliùm noſtrorum „accedente conſilio fecimus, & te„nore præſentium de certa noſtra „ſcientia, & Regia Boëmiæ au„thoritate facimus gratiam, ut ip„ſum, ſuòsque hæredes legitimos, ùt „præmittitur, nemo, quicunque ſit, „citare, ſive judicio quovis conve„nire valeat, nisi ſit Baro Boëmiæ „nominatus, & ab antiquis Baroniæ „juribus approbatus, mandantes Ca„merario noſtro ſupremo, nec non „omnibus Beneficiariis, Czudariis, „Juſticiariis ſive Urzednikonibus qui „ſunt, vel pro tempore fuerint, qua„tenus in caſu quocunque eundem „Wilhelmum ultrà modum præſentis „gratiæ noſtræ citare, vel judicio con„venire prætenderit, eandem, vel eas„dem citationes non advertant, ſed „irritas reputent, quas & nos Auctori„tate prædictâ irritamus, & irritatas „decernimus, ipſasque totaliter an„nullamus. Si quis autem præſen„tibus ſe opponere, aut contraire „præſumeret, indignationem no„ſtram graviſſimam ſe noverit irre„miſſibiliter incurſurum, præſen„tium ſub Regiæ noſtræ majeſtatis „ſigillo, & teſtimonio literarum &c. „Datum Pragæ an. 1383. die nono „menſis Septembris (c). Quantæ tricæ ex hujùscemodi privilegiis exortæ ſint, tempus oſtendit. In judiciis terræ (ad quæ olim *Carolus*, ac ipſe etiam *Wenceslaus* aſſidere ſolebat, nè juſtitia pateretur) proceres paſſim dominabantur. Nec Rex ultrà præſentiam favit. Legimus verò *Wenceslai* abſentias circà finem hujus anni potiſſimùm inchoatas. „Annô „Domini 1383. die veneris poſt fe„ſtum S. Hieronymi (fragmentum „veterum tabularum recito) coram „Dominis in pleno judicio aulico „ſedentibus, per Beneſſium à Libi„eſſicz, aliàs dictum Scopek, aulæ re„galis judicem, loco & nomine Do„mini WENCESLAI REGIS BO„EMIÆ ordinatum fuit, & Joan„nes à Roznsberg dominorum Po„taz conſtituit &c. (d): Item anno „Domini 1383. die Sabbathi Domi„ni terræ in abſentia Regis, plenô „judicio aulico præſidentes conſti„tuerunt, & Burchardus à Janovvicz „Dominorum Potaz propoſuit, „quòd Prioriſſa & Monaſterium S. „Annæ, aliàs S. Laurentii in urbe „Veteri-Pragenſi, poſt Keruſſium „quondam olitorem octo ſexagen„groſs-Prag. annui cenſûs in villa „Zahorzicze jure hæreditaverit, & „ſuper id virgines, & Abbatiſſa of„ficialibus dedit ſcriptum &c (e). Conniventia Regis erga proceres non è virtute, ſed inertia, quid tandem boni in regno cauſaverit, dies aperuit. Odia hactenus non extincta, ſed velut in cineribus gliſcentia, majori flamma Regem, Regnúmque in caſum ſollicitabant. Juvat de his *Hagekum* ad an. 1384. fuſiùs diſſerentem audire (f). Annô 1384. „Pragenſes, & aliæ civitates Regiæ „multùm ſe in ſuperbia elevârunt, „ità ut Regem, videntes ejus deſidi„am, prorſus nihil timuerint. In„juſtitiæ grandes fiebant in urbibus, „& Rex querulantes, & iniqua pa„tientes nullatenus audire volebat. „proceres quoque regni inteſtinis „odiis contrà ſeſe inſurgentes ad Re„gem currebant, & plurimis quære„lis certabant. Rex œſtrô percitus, „& bonis, & vitâ quosdam exuit. „Id alii indignè ferentes, contrà Re„gem ſeditionem moverunt. Nul„lus tamen alteri fidit; nam quidam „Regis gratiam aucupantes, ei à con„ſiliô, & auxiliô ſe fore ſpoſpondê„re, quos dein alii, velut adulatores „in viis publicis adorti occiderunt, „& ità regnum impletum eſt latroci„niis, & viæ ubique obſeſſæ pericu„lis. Hæc *Hagek*. Rex igitur odia metuens, exteris potiùs uti, eosque ſuos facere decrevit. (g) Quare conſules Germanos an. 1385. Pra-

(c) *Archiv. capit Prag. Paproc. de ſtatu domin. fol. 77.*

(d) *Vet. tab. Regn. lib. Procop T. VIII.*

(e) *Vet. tab. Regn. lib. Procop T. TIV.*

(f) *Hagek ad an. 1384. fol. 353.*

(g) *V. Boregk. cron. Boëm. fol. 336.*

Pragenſibus urbibus impoſuit, ſed igni oleum addidit. Nam *Boemi* officiis præteriti, *VViſſehradum* querelis, ac urbem ſeditione implentes liberiùs Regi minati ſunt. Rex permotus *Joannem Heytmanek* ab *albo Urſo*, & *Georgium* ab *aureo anſere*, cives Pragenſes nocturnorum conventiculorum coryphæos ad gabalum *VViſſehradenſem* enſe feriri jubet (h). Hoc facinus conjurationi procerum vires addidit, causámque eorum in vulgus reddidit plauſibiliorem. Mala hæc animadvertens *Joannes* á *Genſtein* Archi-Epiſcopus, nè ſollicitudinis ſuæ partes negligeret, an. 1386. provincialem ſynodum indixit *Pragam* medio *Octobri*. Vates certè viſus, qui omnia tela, & anathemata adverſùs *hæreſes*, adverſùs *bonorum Eccleſiaſticorum occupatores*, & adverſùs *Sacerdotum cædes* (quæ paulò poſt abhinc annis triginta perpetratæ ſunt) vibrabat; his armis ſi *Conradus Weſtphalus* uti in principio voluiſſet, hæreſim procul dubio profligâſſet, & religione reſtituta dignitatem tenuiſſet. Hujus ſynodi ſtatuta in *libro tertio Erectionum* aliquot paginis recitantur.

(h) *Hagek ad an.* 1385.

N. 2. Novum porrò luctum induit *Boemia* è morte Reginæ *Joannæ*. Hæc innocens, ac devota Regina mariti, Regnique diſordinibus fatigata, crudelitatibus exterrita, periculis attrita, miſeriis conſumpta, *Beato Joanne* è vita translato deſolatam trahebat animam. Ecquis mœrentem reficeret? Maritus tyrannus, aula corrupta, proceres diffidiis moti, populus ſeditioſus. Igitur tot concuſſa malis, ſummâ patientiâ in regio throno latis; tandem ceſſit corpore, licèt animô cunctis eſſet ſuperior. Vivere deſiit, vitâ dignior Wenceslaô. Felicem in cœlos emiſit animam, quam director olim ſpiritûs adjuvit *Joannes*. Beatæ Reginæ, quæ ità reguntur! Duæ propemodum Reginæ, *Wenceslai* Conjuges, à duobus Joanneô nomine inſignitis ſacerdotibus Carolinæ Academiæ Magiſtris, ſpiritu at profus impari, ductæ ſunt. *Joanna* à *S. Joanne Nepomuceno* ad vitam, *Sophia* à *Joanne Huſſo* ad interitum. Obîit ergò, & grande ſui deſiderium bonis omnibus reliquit, regno luctum, pauperibus gemitum, & eccleſiæ Metropolitanæ dolorem. Magna Benefactrix, & amatrix cœnobii virginei *Doxanenſis*. Et profectò feſtinatæ mortis grande ſolatium tulit, evaſiſſe poſtremum illud tempus, quô VVenceslaus non jam per intervalla, ac ſpiramenta temporum, ſed continuo, & velut uno ictu regnum, religionémque peſſumdedit. Tam de die, quàm anno obitûs, malè conciliata lis hactenus eſt inter autores. Hagek (i) & qui eum paſſim excerpit Paproczkius (k) Simon Kapihorsky (l) annum obitûs ſtatuunt 1388.: *Hoc annô* 1388. (ait *Hagek*) *Joanna Conthoralis VVenceslai Regis, quæ fuit fœmina valde devota, & timens DEUM, & à marito ſuo plurimas afflictiones perpeſſa, mortua eſt, ac ſepulta in monaſterio Zbraslavienſi. Lupacius* (m) ac eum ſequens *Balbinus* (n) nec non *M. Boregk* (o) VVeleslavinus (p) diem obitûs ponunt 1. *Januarii* an. 1387. *Annô Domini* 1387. (ait *Lupacius*) *ùt plures manuſcripti conveniunt, obiit Joanna Regis VVenceslai ejus nominis IV. Romanorum, Boemiæque Regis uxor prima.* Sed litem hanc decretoriâ ſententiâ dirimit ſcriptura vetus ſæculi decimi quarti flavo, ſeu aureo charactere exarata, ſub icone *Joannæ Reginæ* ſaxo inciſa in ſuperiori pergula *Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis*, quam primus in lucem protraho, & ità ſonat: *Joanna Romanorum, & Boemiæ Regina, Illuſtriſſimi Domini Alberti, Ducis Hollandiæ filia, uxor prima Sereniſſimi Principis Domini VVenceslai Romanorum, & Boemiæ Regis obiit annô Domini M CCC LXXXVI in vigilia circumciſionis Domini*, & concordat quoad diem *membraneus codex anniverſariorum* (q) qui habet; *Pridie Kal. Janu. Eodem die obiit Joanna Romanorum, & Boe-*

(i) *Hagek fol.* 355
(k) *Paproczkius. in ſucceſs Princip. Boem. fol.* 152.
(l) *Kapihorsky hiſtor. ſedlec fol.* 34.
(m) *Lupac. Kal. Jan.*
(n) *Balbin Epit. lib.* 4. *cap.* 1. *fol.* 395. *Item Miſcel. dedac.* 1. *lib.* 4. §. 59. *cap.* 5. *in fin.*
(o) *Boregk. cron. Boem. fol.* 336.
(p) *VVeleslav. Kal. Jan.*
(q) *MS. Membr. cod. Eccl. Prag. Annivers. fol. ult.*

Boe-

Boemiæ Reginæ, in cujus anniverſario die de Tuhan dantur 3. *ſexag. intereſſentibus Miſſæ & Commendæ. De quibus* 4. *Gr. pro officio, & candelis, &* 8. *pro pane, magnæ vigiliæ corona ſceptrum, & pomum.* Habemus ergò, & certam diem, nempe 31. *Decembris*, & etiam annum 1386. obitûs *Reginæ Joannæ.* His optime accordat *Sylvius* (r) qui quarto poſt coronationem anno, quæ an. 1376. *Francofurti* contigit, *Boemiam* ſæviſſimâ peſte attritam, ac ſexto abinde annô, qui cum prioribus ſimul decem conficit, Reginam vita exceſſiſſe videlicet an. 1386. in ſua chronica ſcribit. Et facilè etiam comperimus errorem, qui Autores ſeduxit, dum *vigilia Circumciſionis* parùm à *Kalendis Januarii* diſtaret, inde obitum ejus ſequenti anno inſeruerint. Corpus *Joannæ* regio ritu, & ſolemnibus exequiis die *XI. Januarii* an. 1387. reconditorio Regum monaſterii *Zbraslavienſis* ordinis *Ciſtercienſis* illatum eſt (s). Oſſa verò ejus per Huſſitas, everſô cœnobiô hucusque incognita manent (t). Per hæc ideò diluitur fabula eorum, qui Reginam violena morte obîiſſe notârunt. Certè ementientem ſuperjectionem fecit *Crantius* in *Wandalia*, dum piiſſimam heroinam tœdiô vitæ ſibi ipſi mortem conſciviſſe denarrat, mitius proinde accipiendus eſt, pro eo nempe, quòd animô excruciata, & mœrore contabeſcens, ſiccô quasì martyriô, & tribulatione temporali depuratam emiſerit animam (u). Pari modô *M. Edmundi* in *Cronico Magno Belgico* narratio: *amâſſe Regem maximos canes, qui ad ejus pedes nocte jacebant, & ab uno eorum nocte ſurgentem Reginam ſuffocatam eſſe*, inter fabuloſa vulgi ſomnia reputanda eſt, & ſuprà narratis facile refellitur. Nec ullus Autorum patriæ ſimilium meminit. Poſt obitum Reginæ planè actum erat de *Wenceslao*. Hæc enim utpote virtutem amans, adhuc unica exorbitantem bene monebat. Nunc autem nemo manſit, qui ſæ-

(r) Æn. ſylv. cap. 34.

(s) Lupa. Kalend. Jan.

(t) Marian. Lichtenberg. ord. ciſt. aul. reg. in Roſ. Myſt. art. 3. §. 3. fol. 50.

(u) Dub. hiſt. Boem. lib. 23.

vienti Regi exſors periculi veritatem dicere auderet. Inde paſſim regnum nil aliud putans, quâm otioſam quamdam dignitatem dies ſomno, noctes ad ſcorta, & crateres transegit. Ludicras quoque comœdias, & fautores hiſtrionum velut in prælia convertit impunitate, & præmiis, atque ipſe occultus, & plerùmque coram proſpectans. Imperii Principes torpentem iteratâ legatione ad frugem excitare an. 1389. conſtituunt (y) Cauſam addidit ſeditio imperialium, malum ſortitura exitum, nî præſentia Romani Regis citum daret remedium. At oratoribus repoſuit *Wenceslaus*: *ſe ancipitem eſſe, an decat pacificare eos, quos non concitâſſet. Nihilominus affore, quid in imperio agatur.* Quod tamen non præſtitit. Ad hæc principes per contemptum: *Si mulieres Pragenſes, cerevemque hic haberemus, & Wenceslaum videremus, decet igitur, ut nova electione inertiæ conſulamus* (x). His annis tanta peregrinorum *Prag*am affluebat copia, ad ſacras reliquias, quæ duodecima die poſt paſcha, populo in foro novæ civitatis monſtrabantur, ut aliquando ad urbis portas, centum peregrinorum millia unö die numerata legantur (y) magna civium *Pragensium* & præſenti utilitate. *Wenceslaus* Cæſar à Papa *Bonifacio IX.* haſce reliquias *Pragæ* adeuntibus in annum 1390. ritè confeſſis, & Euchariſtiam ſumentibus jubilæi gratiam impetravit. (z) Hoc itidem annô, cùm de ſede apoſtolica quàm optimè mereri ſtudet *Wenceslaus*, miſſis Romam oratoribus, obtinuit, ut decimæ unius anni, omnium fructuum Eccleſiarum per *Alemanniam*, & *Bohemiam* (cùm alioquin *Eccleſiæ Bohemicæ* à tributis eſſent immunes) Cæſari darentur, in Romani itineris expenſas, & coronationem, quæ in ſpeciem obtendebatur. At conſilium hoc brevì *VVenceslao* non placuit, maluitque domi inter familiares voluptates conſeneſcere, atque decimâ Eccleſiaſticorum bonorum

(y) Hagek an. 1389. fol. 355.

(x) Hagek. cit. loc.

(y) Balbin. Epit. Rer. Boem. lib. IV. cap. 1. fol. 396.

(z) Kapihorsky hiſt. ſed. lec. fol.

rum turpiter deliciari, (aa) Annô ſequenti 1391. Proceres Regni coegerunt conventum *Regino - Hradaci*, conſultantes, quid in tanta regis inertia potiſſimum agendum eſſet. Rex conſpirationem metuens duos ex Procerum ordine *Hrozkam de Czbanie*, & *Giroſſium de Hradiſstie* in *VViſſehradum* rapi, & gladio præceps feriri imperat. (bb) Eo facinore Procerum animi in Regis perniciem valentiùs radicati, nullô dein lenocinô placari potuêre. *VVenceslaus* verò metuentior inpoſterum milites ſibi, & pleróſque ſatellites, ſed & ipſum carnificem patrinum ſuum circumdedit (cc) qui rixarum initia modica, & quaſi privata ſinerent, ſi à cæſis validiùs ageretur, arma inferrent. Poſtremò nec arci *VViſſehradenſi* ſalutem concredi poſſe putavit, motus tumultu à plebe in Judæos excitatô, quem nullis ſuorum armis ſedare voluiſſet. Igitur à *Praga* poſt *VViſſehradum*, novam ſibi arcem nomine *Kunradice*, ad quam in omni plebis Urbanæ motu, velut ad aſylum excurrere poſſet, eodem anno 1391. excitari, & muniri fecit (dd)

(aa) Raynald. an. 1390. Buccel. Nucl. Hiſtor. Univerſ.

(bb) Dubrav. lib. 23.

(cc) Ms. Manl. cron. Luſat. apud me fol. 143.

(dd) M. Boregk. fol. 317.

N. 3. Per idem tempus *Eccleſia Metropolitana* novis ſubſtructionibus pigritante licèt Rege peregriè profecit; perfectô jam Eccleſiæ chorô è quadro lapide, út hodiedum admirabundi aſpicimus, ad continuandum Eccleſiæ totum corpus fundamenta an. 1392. jacta ſunt. Hîc verò breviter commemorandum, qualiter Eccleſia ſplendidori ædificio è veteribus buſtis reſuſcitata ſit. Cauſam præbuit primam *Joannes* cæcus comes *Lucemburgicus*, & Rex ejus nominis primus *Boemiæ*. Qui cùm an. 1336. religionis chriſtianæ apud *Prutenos*, & *Lituanos* proferendæ prætextu *duodecim ſtatuas Apoſtolorum Chriſti*, quas nuper *Carolus* filius, ad magnitudinem humani corporis elaboratas eccleſiæ donaverat, ſuſtuliſſet (ee), pœnitudine ſacrilegii tactus, cùm ſtatuas reſtituere ampliùs non poſſet, utpote in Regis itinera per *Europam* abſumptas, alio ſaltem refuſionis genere id reſarciendum duxit. Igitur *Eccleſiæ Pragenſi*, & *Capitulo* pro ædificanda nova Eccleſia decimas in montibus *Kuttnis*, & *Brzeznicz*, per *traditionem bireti* Decano *Arneſto* factam aſſignavit. Dantes, ac largientes in perpetuum (verba ejus ex membraneo originali exſcribo (ff)) „ ac perpetuo jure poſſidendas, & „ habendas dictas decimas argenti, „ pro fabrica Eccleſiæ Pragenſis, & „ ædificiis ſuis novis, ac primò pro „ decore, & exaltatione, ſeu ſtru„ ctura ſepulchrorum Beatorum „ VVenceslai & Adalberti, quo„ rum corpora inibi recondita „ feliciter exiſtunt, cum argenteis „ tabulis, & imaginibus deauratis, „ cum gemmis, & lapidibus pre„ tioſis. Secundò pro nova fabri„ ca, & exaltatione novi chori. „ Deinde pro ſtructura nova, & fa„ ctura inſigni, & magnifica totius „ Eccleſiæ prælibatæ, de labore, „ & opere excellenti facienda, us„ que ad complementum ipſius to„ tale, prout meliùs, & ſanctiús in „ tam Sanctô, & inſigni loco vi„ debitur expedire. Annô Domi„ ni 1341. die 23. menſis Octo„ bris. In hanc rem vetus ſcriptu„ ra (gg) Nota de an, 1344, fun„ data eſt nova Eccleſia Pragenſis „ per Sereniſſimos Principes Do„ minum Joannem Regem Boemiæ, „ Dominum Carolum Primogeni„ tum ſuum, poſt electum in Re„ gem Romanorum. In præſentia „ multorum Principum & Baronum, „ & Arneſtus 1. Archi - Epiſcopus „ cum dictis Principibus lapidem „ primarium poſuit pro fundamen„ to Eccleſiæ Pragenſis prædictæ, „ die Dominicâ primâ in adventu „ Domini, id eſt eô an. 1344. die 28. *Novembris*. Poſitis ab *Joanne* Rege Eccleſiæ fundamentis *Carolus* filius ſolerti manu

(ee) Hagek ad an, 1336. Dubrav. lib. 22. MS. Beneſs. l. 3.

(ff) Archiv. Capit. ſcrin. diplom. Reg.

(gg) Vetus Scriptur. in membran. cod. Archiv. Capit. Prag.

--- in-

- - - *inſtans operi, regniſque futuris* ædificium ſollicitavit, atque evocatô *Avenione* præſtantiſſimô Magiſtrô, aſcendere machinam grandi columnarum mole ſubnixam procuravit. Primi ædilis memoriam pergula ſuperior eccleſiæ ſubinciſa ſaxo ejus effigie dat ſequentibus: *Mathias natus de - - - Franciæ primus Magiſter fabricæ hujus eccleſiæ, quem Carolus IV. cum electus fuerat in Reg. Roman. in Avenione, abinde abduxit ad fabricandam eccleſiam iſtam, quam à fundo incepit annô Domini* MCCCXLII. *& rexit uſque ad annum LII. & III. quô obiit.* Sub imperio *Wenceslai* ſtructura continuata, & chorus templi 1385. completus fuit. Quin imò an, 1392. pro ulteriore eccleſiæ corpore primus lapis poſitus. Et hæc ſingula vetus inſcriptio Alabaſtreô Scutô inter eccleſiæ & Regni inſignia velut *Aquila, Leone*, & *campo lineâ ſectô*, poſteritati commendat; ad cornu capellæ *S. Wenceslai* poſt præpoſituram. Citant eam inſcriptionem *Lupacius* (hh) *VVeleslavina* (ii) *Bolelucꝫky* (kk) *Balbinus* (ll) *Peſſina* (mm) *Manlius* (nn) At quoniam nullus eorum eam integram retulit; eapropter memoriæ gratiâ, propriâ manu; è ſaxô deſcriptam hîc ſubnecto- „Annô Domini MCCC „XLIV. die III. menſis Martii; „ſublimata eſt ſancta Pragenſis Ec„cleſia in metropolitanam per Do„minum Clementem VI. Papam: „eodem annô, & die poſitus eſt „primus lapis fundamenti novi cho„ri Pragenſis, per Sereniſſimum „Principem Dominum Joannem „Regem Bohemiæ, Comitem Lu„cembergenſem, ac Sereniſſimos „Principes, Dominos Karolum „tunc Marchionem Moraviæ, poſt „in Imperatorem promotum, Joan„nem Ducem Carinthiæ, Tyrolis „&c. natos Domini Regis prædi„cti, & multis nobilibus Baroni„bus Regni præfati præſentibus; „ac Reverendiſſimo Patre Domi„no Arneſto primo Archi-Epiſco„po Pragenſi cum eisdem Princi„pibus primum lapidem imponen„te. Item annô Domini MCCC „LXV. Reverendiſſimus Pater Do„minus Joannes ſecundus Archi„Epiſcopus Pragenſis, quondam „Epiſcopus Olomucenſis, factus, „& creatus eſt primus Legatus na„tus Apoſtolicæ Sedis in tota ſua „Provincia, nec non in Bamber„genſis, Ratisbonenſis, Misnen„ſis Diœceſis civitatibus cum ſuis „Succeſſoribus univerſis per Do„minum Urbanum VI. feliciter pro„motus. Item annô MCCCL „XXXV. in vigilia S. Margarethæ „XII. hora horologii completa eſt „teſtudo chori Pragenſis infrà miſ„ſæ ſolemnia. Item anno MCCC „LXXXV. in feſto S. Remigii con„ſecratus eſt chorus Pragenſis B. „Mariæ S. Viti per Reverendiſſi„mum Patrem Dominum Joannem „Archi-Epiſcopum Pragenſem „tertium, Apoſtolicæ Sedis legatum ſecundum, olim Misnenſem „Epiſcopum. Item annô Domini „MCCCLXXXXII. in feſto Pen„tecoſtes horâ veſperorum, poſi„tus eſt primus lapis fundamenti „Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ, per „Sereniſſimos Principes Dominos „VVenceslaum primum Romano„rum Regem, Boemiæ Regem, & „Dominum Joannem Gœrlicen„ſem Ducem, Marchionem Bran„deburgenſem, natos Sereniſſimi „Principis Domini Caroli Rom. „Imp. Benefactoris præcipui Eccle„ſiæ Pragenſis, ac Reverendiſſi„mum Dominum Patrem Joan„nem Archi-Epiſcopum Pragen„ſem tertium cum nonullis aliis „Patribus Dominis Epiſcopis, & „prælatis, ac vice, & nomine Se„reniſſimi Principis Domini Sigis„mundi Hungariæ, & Dalmatiæ „Regis &c. nati Domini Impera„toris præfati, nec non vice & no„mine Sereniſſimæ Principiſſæ, & „Dominæ Elizabeth Rom. Impe„ratri-

(hh) Lupac. 3. Jun.
(ii) Weleslav. 4. Non. Jun.
(kk) Bolelucz. Vit. S. Ad. cap. 14.
(ll) Balbin. Epit lib. 4. cap. 1.
(mm) Peſſin. Phoſph. Rad. 2.
(nn) Manl. fol. 133.

„ ratricis, Annæ Reginæ Angliæ, „ Margarethæ Conſortis Domini „ Burgravii Norimbergenſis, filiarum Domini Imperatoris præfati: „ in honore viſitationis S. Mariæ, & „ SS. VVenceslai, Viti, Adalberti, „ Sigismundi, & aliorum Boemiæ „ Patronorum ſub directore fabricæ Pragenſis, VVenceslao de „ Radecz, Canonico Pragenſi, & „ Petro de Gemund Magiſtro fabricæ præfatæ. Item annô Domini MCCCLXXXXVI. in feſto S. „ Adalberti translatum eſt corpus „ S. Adalberti ejusdem Patroni Boemiæ cum reliquiis Sanctorum quinque fratrum de antiqua eccleſia „ in medium novæ Pragenſis Eccleſiæ, præſidente Reverendiſſimo Patre Domino Wolframo electo Archi-Epiſcopo Pragenſi. Hactenus inſcriptio. Hoc opus tamen non eſt perfectum, ſed ſolus chorus, eccleſiæ nomine usque hodie ſupereſt, turbis *Huſſitarum* ædificio finem imponentibus. Patrum ætate *Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus, Rex Boemiæ*, pro innata pietate deſertam *Eccleſiæ Pragenſis* partem, agente *Mathæô Ferdinandô Archi-Epiſcopo Pragenſi* è fundamentis reſtaurare, ac primum etiam lapidem regalibus manibus locare animum adjecit. Juvat id ex MS. analectis Paſſinianis (oo) fuſiùs conſignata excerpere.

(oo) MS. memorab. Capit. Thom. Peſſin.

„ An. Domini 1673. feriâ 2dâ poſt „ dominicam Reſurectionis inchoata foſſio pro fundamentis novæ „ poſterioris partis templi S. Viti, „ ſub turri cæremoniæ fuêre tales: „ Primò Celſiſſimus Princeps Mathæus Ferdinandus habuit lectum „ ſacrum in ſaccello S. Adalberti „ muſicis accinentibus lytanias Lauretanas, præſentibus Reverendiſſimis Dominis Capitularibus „ variis indutis, Regiis locumtenentibus, & aliis quàm pluribus. „ Quo finito Archi-Epiſcopus conſedit in præparata ſibi ſede, ſub „ baldachino indutus ſacris veſtibus, & pluviali. Tum è regione ipſius propè tumbam, & altare S. Adalberti ſtans Dominus „ Præpoſitus variô indutus habuit „ orationem ad Archi-Epiſcopum, „ qua ei in hoc ſancto opere, benè „ precatus eſt, ut, ſicuti incipit, ità „ feliciter quoque opus hoc tam „ grande perficiat. Reſpondit poſtea Archi-Epiſcopus, & fatebatur omnino grande opus ſeſe „ inchoare, ſperare tamen, quòd „ ope DEI poterit & conſummare „ invocando S. Adalbertum; ut Benedictinus Benedictino benedicat. Itum poſtea ad locum foſſionis primò faciendum, ubi Archi-Epiſcopus accepto à Decano ligone terno ictu humum fodit, poſt illum Decanus & ceteri Capitulares, poſt illos Regii „ locumtenentes. Dominica XVI „ poſt Pentecoſten mediâ circiter „ decimâ venit Auguſtiſſimus Imperator Leopoldus in Eccleſiam, „ ad ponendum primum lapidem „ templi novi, ſive poſterioris partis templi. Locus pro primo lapide ponendo erat deſignatus „ angulus ille, ubi antea quieſcebant „ reliquiæ SS. Padivini, & Przibislavæ, propè quem ad parietem „ templi, ac penes januam templi „ erectum erat altare, ad quod „ poſui (Thomas Peſſina Decanus) „ lapidem benedicendum, nam ex „ templo tum exibamus, portabam „ in argentea pelvi dictum lapidem, „ & tunc inchoatæ ſunt cæremoniæ. Auguſtiſſimus Imperator habebat ſedem & genuflexorium è „ regione dicti altaris, in loco „ nonnihil elevatiore. Finitis cæremoniis Archi-Epiſcopus & Imperator poſuerunt lapidem in locum ſuum cum lamella argentea ſequentis tenoris: ANNO „ MDCLXXIII. DIE III. SEPTEMBRIS GUBERNANTE ECCLESIAM CATHOLICAM „ CLEMENTE X. PONT. MAX. „ POSITUS EST ISTE LAPIS „ PRO ECCLESIA HAC, QUÆ „ CON-

„CONSTRUITUR IN HONO-
„REM S. ADALBERTI M. ET
„PATRONI REGNI, AB IPSO-
„MET AUGUSTISSIMO ET
„INVICTISSIMO IMPERATO-
„RE,ET BOHEMIÆ REGE,LEO-
„POLDO HUJUS NOMINIS PRI-
„MO, UNA CUM MATHÆO
„FERDINANDO ARCHI EPIS-
„COPO PRAGENSI EX OR-
„DINE S. BENEDICTI. Præter
„hoc etiam ipſe Imperator poſuit
„aureum numum fortè viginti au-
„reorum in eundem locum. Hæc ibi. Sed ibidem ſtructura morte Archi-Epiſcopi interveniente eductis fundamentis uſque hodie abrupta manſit. Nunc in viam.

N. 4. Poſteaquam *VVenceslaus* annum 1392. in ludicris iterum comœdorum ſpectaculis, luſuum, ſaltuúmque ineptiis, fixis per forum *antiquæ urbis* theatris otioſum tranſegiſſet (pp) novo *Eccleſiam Metropolitanam* luctu annô ſequenti ſubmerſione jam alterâ Canonici, & unâ *Vicarii Generalis Archi-Epiſcopalis* die 19. *Aprilis* affecit. Fuit is *Joannes* vulgo *Joannecius* cognomentô *VVelflini*, patriâ *Nepomucenus*, *S. Joannis Nepomuceni* concivis, ſubſequo tempore ob morum, doctrinæque merita Canonicus *VViſchradenſis*, & *Pragenſis*, ac *Joannis à Genſtein Archi-Epiſcopi Pragenſis Vicarius Generalis* & *Officialis* : *ſingula in notis fuſiùs.* Viderat *Joannes VVenceslai* turpi vivendi licentiâ florentiſſimum *Boemiæ* regnum in præſens ruinæ diſcrimen vocari, & dum fortè oppreſſis à Rege conſolationem daret, addidit : *indignum eſſe Regis nomine, qui neſciret imperare* (qq) *Nicolaus Pucſenicus*, & ipſe Licentiatus in decretis, *Pragenſis*, & *Olomucenſis* Canonicus, nec non *Vicarius Generalis in Spiritualibus* (rr) (plures enim eâ ætate pro latitudine Archi-Diœceſis, qui labores dividerent, aſſumebant *Vicarios Generales Archi-Epiſcopi Pragenſis*) liberam *Joannis* vocem occulto æmulationis ſtudio (ſic difficilè in Magiſtratu pares potimur) ad regium auditum detulit (ss) Rex tenuit ad tempus iram, expectans occaſionem. Igitur die 19. *Aprilis* annô 1393. vocatur ad Regem, & graviſſimè increpatur, quòd *Albertum Ord. S. Benedicti* in monaſterio *Kladrubienſi*, cujus bona Rex occupata tenebat (*) profeſſum monachum, in ejusdem monaſterii, Abbatem electum, ſinè conſenſu regiô autoritate Archi-Epiſcopali confirmâſſet ; Expavit *Joannes*, & meritò, cùm nullus anteceſſorum Regum, nec ipſe *Carolus IV.* Imperator contrà ſacros Canones (tt), ut Spiritualis inſtitutio à poteſtate ſæculari dependeret, unquam prætenderit. Prætextus adeo fuit vindictæ, & nodus, ut ajunt, in ſcirpo quæſitus. Ad id *Joannes* modeſtiſſimè reſpondit : *Sereniſſime Rex, ideò hoc feci, & Albertum confirmavi, quia illum totus fratrum conventus in Abbatem ſuum concorditer elegerat, & Anteceſſores mei Vicarii Generales omnes hactenus Abbates tali modo ſinè controverſia confirmaverant, ut acta Archi-Epiſcopatûs teſtantur.* Infremuit ad juſtam excuſationem Rex, & datô ſatellitibus ſignô Sacerdotem vinciri, ac noctu de ponte *Prageno* in *Moldavam* flumen deturbari, ac ſubmergi imperat (uu). Innocentiæ ſigna DEUS oſtendit, ſecuta eô annô ingens aquarum exundatio, ſequenti verò maxima ſiccitas, de utraque teſtimonium audiamus. *Fuit eo ipsô an.* (1393.) ait *Lupacius* (xx) *eliquatis nivibus in vigilia D. Nicolai* (5ta Decembris) *magna per totam terram Boemiæ aquarum exundatio, ità ut plerique Civium Pragenſium forum, ſeu circum antiquæ Urbis Pragenſis navigiis tranſire fuiſſent coacti. Hanc inundationem* (Addit etſi *Huſſita*) *plerique cenſebant eſſe hujus Joannecii necis inſontis DEI permiſſu vindicem.* Hæc ille. De ſiccitate, quæ annô ſequenti 1394. contigit, teſtatur Peſſina(yy) quòd fuerit tanta, ut Moldava vadô tranſi-

(pp) Hagek an. 1392.

(qq) MS. Manl. coment. Rer. Luſat. fol. 143.

(rr) Erect. tom. 3. fol. 49. De an. 9132.

(ss) Fabric. in Miſſinac. lib. 2.

(*) Lib. 4. Erect. K. 6.

(tt) Cap. Ex frequentibus. 3.)(de Inſtit. DD. ad id cap.

(uu) Hagek ad an. 1393. fol. 356. Weleslav. Kalend. Hiſtor. 13. Kal. May fol. 217. Pontan. Boemiæ piæ lib. 2. fol. 27. MS. cron. Plzn. cap. 6. fol. 16.

(xx) Lupac. Kalend. 19. April.

(yy) Peſſin. Mart. Morav. lib. 4. cap. 3. fol. 1392.

ri potuerit, atque ipſa aqua fluminis non alium quàm virentis herbæ colorem, & quoddam adeò virus præſentaverit, Corpus ſubmerſi ubi humi conditum ſit, ignoratur. Quidam Eccleſiam *S. Crucis Fratrum de pœnitentia*, alii *Eccleſiam Metropolitanam*, alii *Wiſſehradenſem* (quaſi Canonici non paſſi fuiſſent ſuum capitulare membrum tam inſigniter de Eccleſia meritum alibi ſepeliri) pro ſupremo loculo aſſignant, quod in medio relinquo. Hîc verò optimè animadvertunt nonnulli, quòd etſi *DEUS* innocentem *Joannecii*, ac etiam *Martini Zinkii* in *Metropolitanâ* ſacellani mortes, ùt ſæpe aliorum injuſtè occiſorum hominum ad terrorem, & criminis enormitatem ſignis quaſi manifeſtaverit, per id tamen nunquam ùt *Sancti Martyres* culti, & honorati fuerint, eò quòd de ſit ſufficiens cauſa martyrii, etsì non innocentia: dicente *S. Auguſtino* (zz) *Martyres non facit pœna ſed cauſa.* Et alibi (aaa) *Rectè iſti dicerentur à vobis, quærentibus martyrum gloriam, ſi haberetis martyrum cauſam. Non enim felices, ait, Dominus, qui mala iſta patiuntur, ſed qui propter filium hominis patiuntur, qui eſt Chriſtus JEſus.* Videatur poſitio ſuper introductione cauſæ & ſignatura commiſſionis *S. Joannis Nepomuceni* (bbb) Nec *DEUS* omnes juſtos ſpecialiter honore publico Eccleſiæ coli vult, ſed eos duntaxat, quos per certa, & continuata prodigia Eccleſiæ manifeſtavit. Inde pro ſubmerſo *Joannecio amiſſarum anniverſarium*, quot annis celebratum cum diſtributione duarum ſexagenarum & facta commenda legimus (ccc) Sonat vetus *Regiſtrum Anniverſariorum*, quæ per injuriam temporum exoleverunt ad menſem *Martium. Die 20. Anniverſarium Joannis Pomuk decretorum Doctoris, Canonici Pragenſi, Vicarii Generalis, & Archi-Diaconi Zatecenſis.* Vetuſtus etiam codex MS. Bibliothecæ *Capituli Pragenſis* refert: *Anno 1396, dat Jenetzko* (cognatus fortè ſubmerſi) *ſeptem ſexagenis teſtudinem in domo ſua in Augezd D. Nicolao Puchnik, pro habendo Anniverſario Joannis de Pomuck Archi-Diaconi Zatecenſis ſubmerſi 1393.* (ddd) Et *lib. 13. Erect. G. 5.* legitur, quòd duas ſexagenas censûs pro Eccleſia *Pragenſi* ſuper braxatorio famoſi viri *Jezovczonis* clientis reſidentis in *Ugezd Pragæ* monte ſub *Petrino* aſſignaverit *Nicolaus Puchnik* Capitulo & miniſtris Eccleſiæ *Pragenſis*, pro anima bonæ memoriæ *D. Joannis Pomuk* Decretorum Doctoris, olim Archi-Diaconi *Zatecenſis*, & Canonici *Prag.* & *VViſſehradenſis*, die 22. *Novemb.* an. 1396. Nihil unquam ſimile de *Sancto Joanne Nepomuceno* reperitur, is enim ſtatim ab ipſa morte, quam pro defenſione *Chriſti* Sacramentorum, cauſa adeò genuina martyrii lubenti animò ſubiverat, ùt *ſanctus Martyr* cultus, & à DEO ſignis, & miraculis uſque hodie continuatis publicè manifeſtatus fuit. Nunc in viam.

Perpetratô jam ſecundæ ſacrilegæ necis facinore, quo Rex Sacerdotes, & Canonicos poſthabitâ omni DEI miniſtris debita reverentia, impiè è vita ſuſtulerat, *Archi-Epiſcopus Pragenſis Joannes* à *Genſtein*, duos de gremio Capitulari Canonicos Metropolitanos, *Jaroslaum de Klinſtein* licentiatum in decretis, concionatorem *S. Viti* celeberrimum, & alterum, *Joannem Kbell* Decretorum Doctorem (quem hactenus incognitum *Cæleſtinus Præpoſitus* luci reſtituit (eee) ad *Wenceslaum* ablegavit, qui de læſis Eccleſiæ juribus expoſtulantes, cauſam perquirerent ſubmerſi *Vicarii Generalis*, Illi ad Regem admiſſi; *Sereniſſime Rex*, inquiunt, *humiliter indicamus, qualiter ab Archi-Epiſcopo, Capellano tuo, ſimus miſſi, ad reſciendum, quid bonus Vir Doctor Joannecius Vicarius Generalis, in Majeſtatem tuam peccaverit, quòd manibus carnificis finem vitæ acceperit?* Ad quæ, Rex: *Cùm vos mortuum ùt virum bonum deprædicetis, eja! volo, ut*

etiam

(zz) S. Aug. ſuper Pſal. 34.

(aaa) S. Aug. lib. 2 contra Epiſt. Gaudentii cap. 12.

(bbb) Poſit. ſuper introduct. cauſ. art. 4.

(ccc) Peſſin. Phoſph. Rad. 7. fol. 700.

(ddd) Vet. cod. MS. oblong. fol. 121.

(eee) Cæleſtri. Catal. Can. Prag. fol. 5.

etiam vos alii poſt mortem, ut bonos dilaudent. ſubitóque ſatellitibus inclamat, ut ambos vinculis conſtrictos carcere clauderent, eodem mortis genere per carnificem afficiendos (fff) Nec tyrannicam ſententiam feralis executio fruſtrata fuiſſet, nisi multisque,& validis aulicorum propinquitatibus ſubnixi, precibus eorum vitam tuliſſent. Poſtera die pro terrore vinctorum ad oſtium carceris cum omni tormentorum, & mortis apparatu carnificem patrinum ſuum locans Rex, *Jaroslaum*, & *Joannem* carcere dimiſſos & præſentem mortem certò ominantes, vinculis ſolvi, & è conſpectu ſuo faceſſere voce truculenta imperat. Hîc *Jaroslaus* Canonicorum alter, vir cordatus, & à ſanctimonia vitæ commendatus W*enceslaum* in pergula *aulæ Regiæ* ſtantem ore propheticô ſequentibus affatus eſt: *Sereniſſime Rex! Nos tui Capellani pro pœdore carceris, quo innocentes afflixiſti, tibi gratias referimus, ad quoniam nos unô duos ergaſtulô captivos tenuiſti, te unum duo carceres expectant. Nos tu in carcere tenuiſti quadraginta horis, tu quadraginta hebdomadis infames carceris anguſtias exſorbebis, & nisi te DEUS cuſtodiverit, in captivitate vitam finies.* Rex cachinnô ſublatô ait: *Benè loqueris, ſed tamen vade, & DEO gratias age, quòd ultimum hauſtum in flumine non guſtâris* (ggg). Verùm vindicem poſt paulò Numinis juſtitiam ſolitò graviùs miſerrimus Rex ſenſit. Bis enim, quòd nulli hactenus, neque poſtea *Boemorum* Regi accidit, à ſuis captus, teterrimóque carceri incluſus fuit. Et ſicut bis Sacerdotes unum *martyrio* menſe *Majo*, alterum *innocentiâ* menſe *Aprili* coronatos aquis ſuſtulit, ità bis quoque ille menſibus *Majo* & *Aprili* vinculatus, bis etiam inter periculoſos aquarum vortices, ſemel *Pragæ*, altera vice *Viennæ* ægerrimè vitam ſalvavit, DEUS plerúmque eâdem menſurâ delicta punienda metitur. Hîc tamen miſericors, quod pigro Regi moram vitæ conceſſerit, ut ageret pœnitentiam.

(fff) Hagek ad an. 1393. fol. 357. Boregk chron. Boem. fol. 337. Lupac. Kalend. ad 6. Id. Febr. Peſſin. Phoſph. Rad. 5. fol. 586.

(ggg) MS. cron. Plznen. fol. 17. Tanner in not. ad cap. 5. Veſtig. piæ Boem. Pontan. liq. 2. fol. 27.

N. 5. Eſt verò occaſione captivitatis varia Autorum ſententia. Quidem annos, alii numerum captivitatum variant. *Crantius* ſemel tantùm à proceribus *Boemiæ* in arce *Pragenſi* captivum meminit. Similis eſt *cronici Saxonum* narratio apud *Manlium* (hhh) *VVenceslaum* Romanorum Regem à Nobilibus *Boemiæ* juſſu fratris *Sigismundi* captum, & in arcis *Pragenſis* cuſtodiam deductum. *Sebaſtianus Franco* apud citatum *Manlium* tertiò captum aſſerit. Verùm communior receptiorque ſententia eſt bis duntaxat *VVenceslaum* captum fuiſſe. Quam ſuſtinent *Hagek* (iii), *Paprozky*, *Boregk*, *Dubravius*, *Æneas Sylvius*, *Peſſina*, *Cronicon Plznenſe*, *Balbinus*, *Cruger*, & alii plurimi. At in annis captivitatis multa rurſus inter eosdem lis eſt. *Hagekus*, & cum eo *Paproczkius* captivitatem primam anno 1393, & alteram an. 1394. adponunt. *Boregk* è contrà annis 1401 & 1402. MS. codex narrat *VVenceslaum* captivatum an. 1397, & 1399. Hîc rurſus veriſimiliorem, ac etiam communiorem amplectens, dico captivitatem *VVenceslai* priorem annô 1394, & poſteriorem an. 1402. factam eſſe. Militant pro hac parte *Cureus*, *Lupacius* (kkk) *VVeleslavina*, *Peſſina*, *Balbinus*, *Crugerius*, *Cronicon Plznenſe* locis citatis, & conſentit *Bartholomæus à Drahonicz* Autor coætaneus (lll) *an. 1394. feria ſexta ipsò die S. Stanislai captivatus eſt VVenceslaus Rex Boemiæ in Verona per Dominum Iodocum Marchionem Moraviæ, & Dominos terreſtres.* Sed quid de *Joanne* duce *Görlicenſi* agendum? Quem ad ſecundam *VVenceslei* captivitatem (quam hîc in annum 1402. colloco) cum manu militari occurrentem narrat *Hagekus*, & ex eo alii, cùm *Joannes* idem jam an. 1395. venenô ſublatus ſit? Dicendum, malè illum *Joannis* occurſum

(hhh) MS. Manl. fol. 137.

(iii) Hagek. fol. 357. Papocz. Succeſs. Prin. fol. 152. Weleslav. 6. Id. Febr. Boregk. fol. 338. Peſſin. Mart. Morav. lib. 4. cap. 3. cron. Plzn. cap. 6. fol. mihi 15. Balbin. Epit. lib. 4. cap. 2. Cruger die 19. April.

(kkk) Lupac. 6. Id. Febr.

(lll) Bartoſs. MS. apud nos. fol. 20.

ſum ab *Hagekò* ſecundæ captivitati adſcribi: ſed *Joannem* ducem *Gorlicenſem* militaribus copiis ſe ſtatim moviſſe, ut *VVenceslaum* à carcere liberaret, dum is primâ vice an. 1394. captivus fuiſſet. Suſtinet id expreſſè *Sylvius*(mmmm)occurſum *Joannis* ducis *Gorlicenſis* non ſecundæ, ſed primæ captivitati adſcribens dicendo: *Captus* (*VVenceslaus*) *à Baronibus XVI. hebdomadas in cuſtodia habitus eſt. Joannes Dux Luſatiæ, & Procopius Marchio Moraviæ magnô reipublicæ malô eum libertati reddiderunt. Captus & ſecundò per Sigismundum Hungariæ Regem fratrem ſuum, & Alberto Auſtriæ duci in cuſtodiam datus.* Adſtipulatur *Bartholomæus* à *Drahonicz* Autor Synchronus ſuprà citatus (nnn). *Item an. Domini 1394. Rex VVenceslaus fuit captus, die S. Stanislai à Dominis terreſtribus, eliberatus poſt quindecim hebdomadas, eliberationem cauſante Joanne fratre ejus, duce Gorlicenſi.*

(mmmm) Æn Sylv. cap. 28.

(nnn) Bartoſs. MS. fol. 22.

Igitur *Wenceslaus* Rex, dum an. ante 1394. die 7. *May* (quô menſe annos undecim *S. Joannem Nepomucenum* martyrio affecerat) quæ erat *S. Stanislao Epiſ. & M.* ſacra, in *Beraunenſi fratrum Minorum* cœnobio tertio à *Praga* lapide, actiones religioſorum curioſè exploraret, ſexdecim virorum manipulo ſubornantibus *Sigismundo* Rege *Hungariæ*, & *Jodoco* Marchione *Moraviæ*, improviſè obruitur, ac inde levatus ad tetrum *Vetero-Pragenſis* curiæ carcerem *Spinka* nominatum detruditur. Audita Regis captivitate *Joannes*, frater *Wenceslai* dux *Gerlicenſis*, ac *Procopius Jodoci* Marchionis *Moraviæ* frater, coactis copiis manu militari è vinculis liberare regem contendunt. At opem eorum *VVenceslai* prævenit ingenium, qui ſpecie abluendi corporis ſe ipſum in libertatem aſſeruit, Facti ſeriem lætiſſime deſcribit *Hagek*, quem è slavico transfero: „Die S. „Stanislai VVenceslaus Rex è Ze„braco tranſivit Beraunam, & ibi „mutatâ veſte in diſſimilitudinem „ſui intravit Monaſterium Berau„nenſe, ut exploraret, qualiter ſe „monachi gerant. Hic brevì á ſe„decim viris, neſcitur cujus man„dato, obrutus, vinctus, & in Ve„tero-Pragenſis curiæ carcerem „Spinka dictum detruſus, quinde„cim hebdomatibus usque ad fe„ſtum S. Bartholomæi recluſus fuit. „Propter hanc captivitatem Vetero„pragenſes à Neo-Pragenſibus non „parùm in ſuſpicionem traheban„tur, quasì allato regio ſigillo pri„vilegia quædam, & libertates Regi „extorſiſſent. Sed contrarium po„ſteà ſemper aſſeveravit Rex, à ſe neque petitum fuiſſe. Circa feſtum „S. Bartholomæi Rex ſolito triſti„or, carceriſque impatiens in liber„tatem ſe vindicandi vias omnes „animo volvit. Igitur eadem die „à ſenatu petit, ut ſibi indulgeat, „balneum curiæ maximè vicinum „accedere, ſe curato corpore certò „reverſurum. Cives conſultant, „pars eorum petito defert, alii verò „non. Tandem plerìque evincunt, „Regem non eſſe tam arcte haben„dum, nec etiam fugæ occaſionem „præbendam, cum nemini conque„ri poſſent: mittendum ergò cum „Rege fidele ſatellitium, quod la„vantem cuſtodiat. Igitur Rex mu„tatâ veſte in comitatu quatuor ap„paritorum curia egreditur. Bal„neum ingreſſi, quod vicinum erat „ponti Prageno, unus ſervorum „manſit ad cuſtodiam portæ, alter „regiarum veſtium, duo cum Rege „balneo uſi ſunt. Poſt ſpatium „temporis rogavit Rex cuſtodes pro „licentia refrigerandi corpus, „quam illi præbuerunt. Rex in „crepidine Moldavæ circumſpici„ens ſubitò videt lintrem remo in„ſtructum. Igitur ancillam adſtan„tem, quæ ibi à ſervitiis balnei „erat, interpellat. Noſcìsne re„mum agere? illa annuente inquit: „rogo te, transvehas me in oppoſi„tam ripam, bene tibi ſolvam. Et „illa obtemperavit. Et quando „agebant in medio fluminis, ait Rex:

Rogo

Rogo te feſtines„ (animo fortè exagitatus, ne ſacrilega olim *S. Joannis* ſubmerſio juxta aquarum, facinoriſque viciniam talionem exigeret) „ & itá in alteram ripam eluctati „ ſunt. Rex lintre egreſſus, ancil„ lamque ſequi jubens, eundem „ retrò in flumen egit. Et ancilla „ dixit. Quare hoc facis? Quo„ modo nùnc ergò redibo? Et Rex „ repoſuit: Non decet, ut redeas, „ ſed ſume remum, & ſequere me. „ Ego tibi navigationem benè ſol„ vam. Hodie in manus tuas cen„ tum florenos ponam. Fœmina „ pecuniarum avida ſecuta eſt Re„ gem. Et poſteaquam, feſtinan„ tes contrà flumen in ripa, veniſ„ ſent ad ditionem pagi Chuchel, „ invenerunt in littore vacuam na„ viculam, quam inſcendentes, „ rurſus in alteram ripam evaſerunt. „ Deinde tranſeuntes ſylvas in cre„ puſculo attigerunt novum caſtrum „ cum ſudore. Rex inclamavit vi„ giliis, eæ Regem agnoſcentes ape„ ruerunt, intimantes ejus præſenti„ am Capitaneo. Capitaneus, qui „ fuit Welslaus à Duban, gratioſos „ hoſpites recepit. Videns autem „ Dominum ſuum nudum, ancil„ lamque in induſio, ſtatim decen„ ti veſtitu providit Regi. Rex e„ tiam Suſannam (ità enim ancilla „ vocabatur) juſſit honeſtè coope„ riri. Parata opipara cœna, ad „ latus ſuum Rex ſedere fecit Su„ ſannam. Poſt cœnam etiam „ mandavit Rex adferri centum flo„ renos, quos extradens Suſannæ, „ ait: Hanc pecuniam hodie tibi „ pro remigando promiſi, en habe „ illam. Deinde omnes in caſtro, „ quòd Rex carcere liberatus fuerit, „ cum gaudio exultaverunt. Per„ acta lætitia ad quietem tempus ur„ ſit. Igitur Rex ait Suſannæ: Cùm „ fueris viæ comes, & in cœna me„ cum ſederis, volo, ut etiam hac „ nocte mecum dormias. Suſanna „ regiæ voluntati obtemperavit in „ omnibus. Cum Rex aliquot dies „ ibi permanſiſſet, tandem abivit in „ caſtrum Ziebrak, Suſannam ſe„ cum vehens, palam aſſerendo: „ ſua vita fideliorem ſervum ſe non „ habuiſſe Suſanna, quæ à Prageno „ carcere liberaverit. Poſtremò „ Ziebraci exiſtens miſit ad Pragen„ ſes Rex, ut cum eo piſa comede„ rent. At ii repoſuerunt, quod „ meliora ſoleant eſſe piſa Pragæ, „ quam Ziebraci„. Hactenus *Hagek*. Et ſic propter martyrium *S. Joannis Nepomuceni*, mira DEI ordinatione prima hac captivitate punitus fuit *Wenceslaus*, ſed tamen malorum nondum ſtatim finis. Ille vero, etſi à carcere liber, captivus tamen manſit voluptatibus. Squalorem ergaſtuli ſubſequa mollitie vitæ compenſans. Cui ut liberius vacaret, ſuaſu amicorum onus regiæ incumbentiæ in alios diſpertiri cogitat. Quod & factum eſt. Nam annò *1395*. evocans è *Luſatia* fratrem ſuum *Joaanem*, cujus fidelitatem conatu liberationis perſpectam præmiare volebat, eum Regni *Boemiæ Capitaneum* conſtituit. Hiſtoricis patriæ hæc, & plura ſequentia, quæ circa captivitates *Wenceslai*, quæſitas inde vindictas, & exauctorationem à Romano Imperiò, ſpecialiter narravi, incognita hactenus fuère. Inſtrumentum conceſſi capitaneatûs refert *Jacobus Wenker* (ooo) è veteri Teutonico translatum, ità ſonat

(ooo) Jac. Wenk. in not. ad Bern. Malenkrott. de cancell. Imp.

NOS WENCESLAUS DEI GRATIA ROMANORUM REX SEMPER AUGUSTUS, ET BOEMIÆ. „Quandoquidem Illuſtriſ„ ſimum Joannem ducem Gerlicen„ ſem, & Marchionem Luſatiæ, fra„ trem Noſtrum, & Principem di„ lectiſſimum in Capitaneum Regni „ Boemiæ elegerimus; idcircò No„ bis idem bona fide adpromiſit, „ quòd præprimis pericula, & da„ mna antevertens, utilitatem, & „ honorem noſtrum, nec non toti„ us Regni Boemiæ fideliter procurabit,

„ rabit, Ideoque omnes, & ſingulas civitates, capitaneos, Burgravios, cæteroſque officiales Regis Boemiæ, ad eum tanquam capitaneum dirigimus, ut eidem homagium, & fidelitatem adpromittant, auxilio exiſtentes pro utilitate, & honore noſtro, nec non totius Regni. Is porrò velut Capitaneus poteſtatem habebit terminandi, & exequendi omnes literas, & articulos, quos nos, & ille frater noſter Dominis terræ Boemiæ conceſſimus, Atque hoc valebit, quousq; prædictas literas, & articulos perfecerimus. Et is frater noſter mandabit, & procurabit, ut id ipſum ſine mora à nobis ſuſcipiatur. Et poſtquam cuncta ex certa ſcientia perfecerimus, adhuc in noſtra libertate conſiſtere debet, utrum, illum pro capitaneo habere velimus, nec nè. Pari modò idem frater noſter aſſecuravit, quod hæc omnia puncta, Jodocus Marchio Moraviæ, de Roſenberg, de nova domo, Brzenko de Skala, & omnes Domini terræ acceptabunt, & obſervabunt. Itidem fuit concluſum, quod ſi hæc puncta, à quibus nos liberi eſſe debemus, à Roſenberg, & Brzenko à Skala coram fratre noſtro, & conſiliariis aulæ acceptaverint, & aliàs nullum impedimentum obvenerit, eatenus idem frater noſter eò conatum ſuum impendere, & nos adjuvare debet, & ſingula facto compleantur. Porrò nos mandare & curare debemus, ut ab hodie poſt octiduum, militares copiæ, quæ contra fratrem noſtrum, & Dominos terræ, ſive propriæ ſint, ſive conductæ, ab hoſtilitate ceſſere, & regnum non amplius infeſtare debeant. Caſu quo tamen ſe quiſquam præfatis opponeret, & hanc pacificationem obſervare recuſaret, & Regnum damnificare cogitaret, eo caſu nos debemus fratri noſtro, & nobili Domino à Michelsberg, & Berka ab Hohenſtein, & Dominis terræ, qui cum iis tenent, adverſus omnes adverſarios validum auxilium præſtare. Poſtremo hæc compoſitio debet nobis indemnem relinquere noſtram dignitatem, libertates, & jura, & debemus juxta veterem conſuetudinem penes ea inconcuſsè conſervari. In teſtimonium, & majus robur rei actæ, noſtræ Majeſtatis inſigne apprimi fecimus. Datum Pragæ poſt Chriſti Nativitatem anno 1395. die S. Laurentii. Regnorum noſtrorum &c.

Magiſtratus *Joannis* non fuit durabilis, cum *Boemi* Regem pigrum aliunde parum curarent, nunc exutis quodamodo faſcibus, flocci penitus habuêre. Id *Wenceslaus*, licèt cætera iners, perbellè animadvertit, & ægrè tulit. Adde, quod & *Joannes* dux dominatum ſuum ſacrilegio contaminârit, dum tempore ſeditionis procerum anno 1394. contra quos in auxilium *Wenceslao* captivo militariter advenerat, tumbam auream *S. Wenceslai*, fortè in ſumptus militum, perfregit. Et licet pœnitudine ductus, omnia quidem clenodia reſtituerit, indignationem tamen populi vehementer in ſe concitavit, fidemque, & auctoritatem labefactavit. Juvat de eo MS. codicem (ppp) audire: „Anno Domini MCCCXCIV. in vigilia Viſitationis B. Mariæ, Illuſtris Princeps Joannes dux Gœlicenſis, tempore gueræ Baronum cum Rege Wenceslao fregit tumbam S. Wenceslai, ſed minimè nocuit clenodiis prædictæ tumbæ: Imò piè reſtituit in feſto S. Mariæ Nivis, & in feſto Aſſumptionis B. Mariæ totâ die aperiri mandavit ad aſpectum hominum; nam plures maledictiones habuit à tota civitate Pragenſi. Hæc ibi. Simile quid non ſine graviſſima pœnâ tentavit avus *Joannis*, itidem *Joannes* Rex *Boemiæ*, Comes *Lucemburgenſis*, ac

(ppp) MS. Cod. Regiſt. Ration. Sacriſt. Prag.

ac ex eo die, quo duodecim Apoſtolorum ſtatuas argento fuſas Eccleſiæ ſurripuit, oculis captus atque excoecatus eſt, nec ultra lumen vidit. *Sigismundus* quoque frater *Joannis*, ducis *Gœrlicenſis*, dum clenodia *Eccleſiæ Pragenſis* in ſtipendium militibus diſpertiretur, adverſam belli fortunam perpetuo ſenſit, cum *Turca* æque, ac *Ziſſka* infauſtè confligendo (qqq). Cæterà etiam *Joannes* malæ vitæ fuiſſe ſcribitur, ſi fides ſit *M. Frauenbergio* apud *Manlium* (rrr), narrat enim, eum moribus fuiſſe pravum, & impotentis libidinis hominem, captas virgines, ac matronas electas conſtrupâſſe. *Wenceslaus* igitur ab eo averſus, & meritò, capitanei poteſtatem caſſavit

(qqq) Cochl. Hiſt. Huſs lib. 5. fol. 181.

(rrr) MS. Manl. fol. 133.

Teſtantur literæ *Hermanni Ebneri Senioris Patritii Norimbergenſis* Coeanei de anno 1395. apud *Jacobum Wenker* (sss) quæ habent: „ Deinique Rex Pragæ non vult obſervare pacificationem, quæ facta eſt inter ſe, Joannem Ducem Goerlicenſem fratrem ſuum, & „ Dominos terræ. Et ideo ſtatim „ Dux Joannes Pragâ diſceſſit. „ Tunc clausâ civitate Pragenſi Rex „ alium Senatum conſtituit, & quæ „ civitates Duci Joanni homagium „ non præſtiterant, eæ ultra præſtare prohibebantur. Quidam Domini terreſtres libenter habuiſſent Ducem Joannem, alii verò „ Jodocum Marchionem Moraviæ. „ Tandem Rex miſit pro Domino „ Borzivvoii, qui erat Francofurti, ut adferret copias militares „ ex Germania. Datum Norimbergæ dominicâ poſt feſtum B. „ Mariæ.

(sss) Wenk. in not. ad Bernard. Mallenkrot.

N. 6. Annô Domini 1396. exacto duce *Goerlicenſi*, ac durante procerum diſſidio, odióque in Regem, *Wenceslaus Sigismundi* Regis Hungariæ, & *Jodoci* Marchionis *Moraviæ* autoritatem, ut turbis ſeditionibúsque tandem finis fieret, implorans, eosdem velut amicabiles compoſitores inter ſe, & proceres eligit, ùt ſequitur: NOS „ WENCESLAUS DEI GRATIA „ ROMANORUM REX SEMPER „ AUGUSTUS, ET BOEMIÆ REX. „ Notum facimus Univerſis. Conſiderantes, quàm plurima damna, „ quæ regno noſtro Boemiæ per „ ſeditioſorum turbas infliguntur, „ & deſuper qua via optimè pace „ frui poſſet, & nos in dignitate „ noſtra, & jure, nec non idem regnum noſtrum conſervari. Idcircò maturo prævio conſiliô Illuſtriſſimi Principis Domini Sigismundi Regis Hungariæ, fratris noſtri dilecti, & illuſtris Marchionis Moraviæ Jodoci Patruelis noſtri, & aliorum noſtrorum, Regni Principum, Dominorum, „ Nobilium, tenore præſentium literarum promittimus, & adſtipulamur, quòd omnes literas, quas „ Dominis terræ, civitatibus, aut „ aliis Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus in Regno Boemiæ elargiti ſumus, nec non & eas, quas præſenti bello inter nos, & dominos „ terreſtres ereximus, & earum ſingula puncta, & articulos obſervabimus, & re ipſa complebimus. „ Item notificamus, qualiter ſex „ Dominos terræ conſtituerimus, „ ut in literis continetur, qui in diſſidio iſto pronunciarent, at nunc „ Dominum fratrem noſtrum Regem Sigismundum, & Patruelem „ noſtrum Jodocum Marchionem „ Moraviæ nominamus, qui ex bono, & æquo pronuntient, & „ nos utraque pars eorum dicto ſtare debebimus. Item quòd nobis reſervaverimus officium Burgravitatûs Pragæ, & alterum officium, & monetam Boemicorum groſſorum, item officia judicum, qui vulgò Kniety dicuntur; ſed nunc conſtituentes Dominum fratrem noſtrum Sigismundum, & Patruelem noſtrum „ Jodocum, quod illi circà iſta „ edicent, hoc obſervari debebit.

„ Porro ſi quis in Regni, Regnicolarum ſive eccleſiaſticorum, ſive „ ſæcularium, aut etiam civitatum „ jura ſe immitteret, ſententias, & „ arbitramenta judicum ab executione prohiberet, aut privilegia „ eorum violaret, nec non memoratorum fratris noſtri Regis Hungariæ, & Patruelis noſtri Marchionis Moraviæ arbitramenta, „ noſtráſque literas, quas præfatis „ Dominis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus civitatibus, & toti communitati conceſſimus, transgredi „ præſumeret, id ipſum nobis intimari debebit, ſupplicando, quatenus cum maturo conſilio procerum juſtitiæ viam pandamus. In „ caſum autem, ſi nos in eo munio noſtro negligentes inveniremur, rei ſeriem ad fratrem noſtrum Regem Hungariæ, aut ad „ eum, cui ille id commendabit, „ deferri debet, & is plenam habebit poteſtatem, ſicut frater noſter Rex Hungariæ. Et ſi negotia litigioſa ad fratrem noſtrum, „ aut ad eum, quem ille ſubſtituet, „ deducentur, ille allaborare debebit, ut circà ea intrà quadrantem anni ſententia feratur Si quis „ autem hæc impedire præſumeret, „ frater noſter Rex Hungariæ, aut „ aut ejus locum tenens cum Dominis terræ, & civitatibus contrà „ eum vi armatâ procedere poterunt, ut juſtitia ſervetur. Super „ his jurare debent Eccleſiaſtici, „ Domini terræ, & civitates, & tota „ communitas, quòd præcenſita „ puncta ſervabunt, & quòd ſe „ invicem juvabunt, & quòd locum tenentem fratris noſtris Sigismundi in omnibus adjuvabunt, „ & is viciſſim illos quoties neceſſitas exegerit, ut hæc puncta inviolatè ſerventur. Et quòd propter juſtitiam tuendam fecerint, „ id nos nemini in malum imputabimus, ſi id ex noſtro mandato „ proceſſerit. In fidem præſentium. Datum Pragæ anno 1396. dominicâ, qua cantatur; judica, „ Regnorum noſtrorum &c. (ttt) id „ eſt eo anno *die 19. Martii.*

(ttt) E vet. Teuton. translat.

Deſuper *Sigismundus*, & *Jodocus* maturo conſilio florentiſſimum *Bohemiæ* regnum procerum diſſidiis ex incuria Regis ad diſordinem inclinatum, priori ſtatui reſtituere viribus omnibus intenderunt. Ante omnia verò de bonis prudentibus, & DEUM timentibus conſilariis (in quibus profectò Principum & rerum publicarum ſalus conſiſtit) *Wenceslao* proſpicere ſatagebant. Singula deniquè, quæ regnicolarum paci, & juſtitiæ conducere poterant, arbitramento ſuo edixêre:

„ ARBITRAMENTUM SIGISMUNDI REGIS HUNGARIÆ, ET JODOCI MARCHIONIS MORAVIÆ INTER WENCESLAUM REGEM BOEMIÆ, „ ET PROCERES.

„ Nos Sigismundus Dei gratiâ Rex „ Hungariæ, & Nos Jodocus Marchio Moraviæ notum facimus univerſis, quòd Illuſtriſſimus „ Princeps, & Dominus Dominus „ Wenceslaus DEI gratiâ Rex Romanorum ſemper Auguſtus, & „ Boemiæ Rex ex una, & procerum Regni ex altera parte inſtantiſſimè nos elegerint, quatenus inter eos circa jura quædam, & articulos, quæ in Regis literis uberiùs continentur, noſtrum arbitramentum edicere non gravaremur. Nos igitur pronunciamus „ primò, quòd Rex Conſiliarios „ ſuos habere debeat, ùt ſequitur: „ primò Venerabilem Patrem Archi-Epiſcopum Pragenſem, Epiſcopum Olomucenſem, & Epiſcopum Litomiſslenſem, deinde „ Dominum Henricum à Roſenberg, qui etiam eſſe debet Burgravius Pragæ, Dominum Wilhelmum à Landſtein, qui eſſe debet ſupremus Camerarius, Hinconem Berka à Hohenſtein, qui

„ gerere

„gerere debet officium Supremi
„Czudarii, Dominum Krzenkonem
„à Skala, qui erit Judex aulicus,
„Benack à duba Præfectus aulæ,
„& Smilonem dictum Flaſcka à
„Reichenberg, qui erit ſcriba Re-
„gni, item Ottonem â Bergau,
„Joannem à Michelsberg, Boczko-
„nem à Podiebrad, Borſſonem Se-
„niorem à Riſenberg, aliàs Oſsiek.
„Cum conſilio præcenſitorum Epi-
„ſcoporum, & procerum debet
„frater noſter omnia Regni nego-
„tia tractare, nec debet quemquam
„ex officio ſuo deponere, nec ali-
„quid concludere in negotiis regni
„ſinè conſilio memoratorum Epi-
„ſcoporum, & Dominorum. Item
„pronuciamus, ut omnes res & bona
„ſive mobilia, ſine Imobilia quæ tem-
„pore hujus ſeditionis fuerunt ab-
„lata, uſque ad proximum diem Re-
„liquiarum reſtituantur, ubi etiam
„Domini in judicio ſedere debe-
„bunt, & tabulæ regni aperientur,
„& in omnibus diſtrictibus, & ci-
„vitatibus id ipſum promulgabitur,
„ut, ſi quis in judicio experiri velit,
„tempeſtivè ibi compareat. Et
„Domini ſententias ferent juxtà
„jus provinciæ, & eæ ſinè mora
„executioni mandabuntur. Etiam
„pronunciamus, quòd homagia à
„Dominis, civitatibus, & monaſte-
„riis ſuſcipi debeant. Sicut nunc
„Pragæ factum, ut Rex Commiſſa-
„rium cum literis per diſtrictus mit-
„tat, qui cum proceribus homagia à
„cunctis recipiat. Item pronun-
„ciamus, ut in omnibus diſtricti-
„bus, & civitatibus pax proclame-
„tur, & nè ullus alteri damna in-
„ferat, ſi illata ſunt, ut à Domi-
„nis ad id conſtitutis reſarciantur.
„Item pronunciamus, ut, ſi in ci-
„vitatibus militares copiæ conſcri-
„ptæ ſunt, eæ omnes dimittantur.
„Item pronunciamus circà mone-
„tam groſſorum Boemicorum, ut
„nempe ex pondo, ſeu Marca ob-
„ryzi argenti cudantur octuaginta
„groſſi, ità ut ſic octuaginta groſſi
„continere debeant unum pondo
„argenti puri. Denique pronun-
„ciamus circà Dominos, qui vul-
„gò Knieti dicuntur, ut nempe il-
„li, qui nunc ſunt, & juramen-
„mentum præſtiterant, etiam ſe-
„deant unà cum aliis Dominis ad
„id electis in judiciis. Hactenus
arbitramentum è veteri teutonico
translatum.

Has ſalutares fratris conſtitutiones, ſi *VVenceslaus* obſervâſſet, certè minitantem regni molem ab ulteriori ruina præſervâſſet. At ſicut antea in *Joannem* Ducem *Goerlicenſem*, ità brevì etiam in *Sigismundum*, & *Jodocum* vatinianô odio fremuit: & eorundem arbitramentum effectu mutavit. Pervenit nempe *Wenceslao* in notitiam, nuperam captivitatem *Sigismundô* potiſſimùm & *Jodocô* procurantibus ſuſceptam; ideò animo accerrimam vindictam voluit. Et primùm quidem in complices, Camerarios, & Cuſtodes corporis, ſimulatâ causâ, executore *Hanuſſio*, Duce *Oppavienſi*, Præfecto *Arcis Carlſteinenſis* deſævit. Deſcribunt cædem *Hagek* (uuu) *Weleslavina Lupacius* Peſſina ad annum 1396. occiſorum nomina commemorant: *Marquardum de Michalowicz*, *Priorem Strakonicenſem*, *Stephanum de Opoczna Potenſtenium*, *Mutinam de Wamberg*, *Stephanum Buduska de Martinicz*, & quemdam nomine *Strnad*. Addit & *Peſſina* mortis cauſam, duobus crimini datum eſſe, quòd, cùm Regii corporis cuſtodes forent, in nupera tamen captivitate Regem prodidiſſent, & in occulto capi adjuviſſent. Verùm magis particulariter, licèt ſub alio mortis prætextu narrant facti ſeriem literæ *Hermanni Ebneri* coetanei ſuprà citati, circà idem tempus datæ. „Scito-
„te, inquit, quòd dum Worzi-
„bovvius, qui erat Frankofurti,
„ad Dominum noſtrum Regem re-
„diviſſet, & nova Francofurden-
„ſia de Principibus, & Civitati-

(uuu) Hagek fol. 359. Weles!. & Lupac. ad die 21. May, Peſſin. Mart. chorav. lib. 4. cap. 3.

„ bus narrâſſet, omnes Conſi- „ liarii Regis convocati fuerunt „ ad conſilium in caſtrum Carl- „ ſtein, pro die ſecunda Pente- „ coſtes (id eſt eo anno 1396. „ die 22. May, malè Weleſla- „ vina, & Lupacius priorem po- „ ſuêre) & ibi conſultârunt in- „ vicem ſuper factis caſibus. Po- „ ſteà exivêre è conſeſſu Hanuſ- „ ſius Dux Oppavienſis Præfe- „ ctus, Dominus à Michelsberg, „ Dominus à Svvanberg, & Do- „ minus à Riſenberg, & intrave- „ runt ad hypocauſtum ſecretius, „ foris conſtituentes ſuos famulos, „ & juſſerunt è conſeſſu ad ſe ve- „ nire Dominum Strnad, & Do- „ minum à Chuſſenik qui Wratis- „ laviam poſſederat, & Crucife- „ rorum Commendatorem Ordi- „ nis S. Joannis, & Dominum Ste- „ phanum Camerarium. Quibus „ Dux Hanuſſius: Vos Domini, „ vos eſtis illi, qui diu noctúque „ Regi noſtro perſuadetis, nè in „ Teutoniam proficiſcatur, & præ- „ ſumitis adeò illum privare impe- „ rio? (hic erat prætextus ad le- „ gitimandam necem) ad hoc Dux „ Hanuſſius nudatum clalybem ſu- „ bitò in Strnadum truſit, & qui- „ libet invaſit unum, ut omnes qua- „ tuor occiſi fuerint, attamen Ha- „ nuſſius diu vixit. Hoc peractô fu- „ gerunt cum famulis, & equitâ- „ runt Beraunam ad Regem, qui non „ aderat celebrato conſilio, & fle- „ xerunt ante eum, confitentes fa- „ cinus. Dictum dein fuit, quod id, „ quod defunctus Strnad habuit ad- „ versùs Polan (an ſit idem *Joannes Polant*, qui adverſus Huſſitas an. 1422. arcem *Karlſtein* extremè tuitus fuit, hactenus non attigi) „ propter „ Dominum Regem, idem Domi- „ nus Rex Hanuſſio Duci conceſ- „ ſerit, Dominum à Svvamberg „ autem Rex conſtituit Burggra- „ vium Pragæ. Nunc Dominus „ meus diſceſſit Babenbergâ, cupi- „ ens accedere Regem cum Mar- „ chione Miſniæ nomine Princi- „ pum, qui Francofurtum erant „ ablegati. at perveniens Egram, „ illi, & Burggavius Norimbergen- „ ſis reſciverunt, quòd Domini in „ Karlſtein ſint occiſi. quocircà re- „ verſi fuerunt. Etiam Jodocus „ Marchio Moraviæ tunc erat Pra- „ gæ, quando hæc acta ſunt, & „ Rex noſter ei ſignificavit, ut ex „ civitate abeat, quòd civitatem & „ regnum ſuum ipſe ſolus admini- „ ſtrabit, quare Marchio Pragâ diſ- „ ceſſit; poſteà Rex noſter Pragam „ veniens. noluit Pragenſes in gra- „ tiam recipere (nempe propter in „ carcerationem nuperam) niſì priùs „ numerent ſex millia ſexagenarum „ groſſorum Pragenſium, & depo- „ nant in plateis omnes catenas, & „ portas decuſſent, utì & turrim, & „ murum contrà novam civitatem, & „ rapuit novæ civitati ſua inſignia. „ Tunc circiter duodecim cives ad „ Marchionem, & proceres fuge- „ runt, & uſque adhuc in magna „ ſunt anguſtia, quid illis fiet. Etiam „ Rex noſter palam loquitur, quòd „ ingredietur Teutoniam, & in fe- „ ſto S. Margarethæ eſſe velit Egræ „ & advocatis quibusdam Principi- „ bus comparitur us ſit Norimbergæ, „ datum feriis Pentecoſtalibus annô 1396. Igitur captivitas Regem non emendavit, ſed furioſiorem reddidit. Vindictâ enim fremuit non modò in cives & proceres, verùm & in Marchionem *Jodocum*, adversùs quem, cùm *Sigismundi* potentia nihil ab eo adverſi admitteret, rabiem adduplavit, eò vindictæ progreſſus, ut Marchionem vinctum, carcerique incluſum morti deſtinârit. Prælaudatus *Ebnerus*, ac alius Coëtaneus *Anonymus* in literis ſuis datis an. 1396. die *S. Viti*, & die *Mercurii poſt Dyoniſii* acta plurima Regis circà *Jodocum*, Autoribus patriæ hactenus incognita ad lucem dantes, captivitatem *Jodoci* ſignant, ùt ſequitur: „ Scitote, poſteaquam „ die Mercurii ante corporis Chriſti

(id

(id eſt eo an. 1396. die 31. *May*, nam 1ma. Junii erat feſtum *Corporis Chriſti*) „Dominus Rex noſter Sebracô tranſiviſſet Karlſteinium, „tunc ei obviârnt Stephanus Dux „Bavariæ, & Jodocus Marchio Moraviæ, & Carlſtenii intraverunt „Cameram Regiam; tunc Rex ad „Marchionem ait: tu miſiſti, quòd „Argentinenſes & Francofurtenſes „captivati ſint, & ſubornas, ut me „Domini terreſtres invadant, & „captivent, & meum regnum vaſtent; & mercatoribus magnas „divitias contra juſtitiam rapuiſti: „igitur meliùs eſt, ut tu pereas, „quàm regnum. Ad hoc Marchio „fuit captivatus, & ſex equites cum „eo, & Rex nuntiavit Pragam, ut „omnes portæ claudantur, & ſtatim areſtati fuerunt omnes ad „Marchionem pertinentes, & Rex „cæteris omnibus diem indulſit, „excepto Domino Buskone à Kollowrat, qui cum Marchione in arctam cuſtodiam datus eſt. Stephanus autem Dux Bavariæ multum „indoluit ſuper captivitate Jodoci, „& quòd in ſua præſentia facta ſit, „ideò conatus fuit eum liberare. „Dein Rex ait ad Marchionem, „ego ſum verus & naturalis Dominus, & tu mihi homagium per „inſtrumentum publicum præſtitiſti, & malè me tractâſti? & ego te „benè tractare debeo? Poſt hæc „Rex miſit in Moraviam, ut frater „ejus Procopius Jodoci omnes provincias occupet. Fertur etiam. „quòd Rex multas habeat militares „copias, quibus invadere paret Dominum de Svvanberg, qui Argentinenſes captivavit. Item Dominus Worzibovv Averbachii etiam collegit multas copias, quæ „proximo die dominico comparere debent Averbachii, ut aſſiſtant „Regi contra Svvanbergium. Hæc illi.

N. 7. Per idem tempus anno 1396. *Joannes à Genſtein Archi-Epiſcopus Pragenſis*, Præſul Religioſiſſimus, ac pietate in DEum inſignis, cùm fortè *Wenceslai* Regis ignaviam, diſcordias procerum, novarum rerum in populo ſtudium, & quis tandem paulò pòſt religionis in *Bohemia* ſtatus futurus ſit, anxiè cognoſceret, Archi-Epiſcopale munus ultrò depoſuit, & Metropolitano capitulo reſignavit, & legitur quidem in ſuprà adducto monumento lapideo *Eccleſiæ Pragenſis*, jam ad feſtum *S. Adalberti* id eſt 23. *Aprilis Wolframus*, velut *electus Archi-Epiſcopus*. De eo vetus codex bibliothecæ *capituli*, & ex eo *Caſparus Arſenius* Decanus in libro nuncupato *rubro*, quo *Decani Pragenſes* inſtallari conſveverunt, memorant ſequentia: „Iſte Joannes olim Epiſcopus Miſnenſis poſteà Archi-Epiſcopus Pragenſis, tertius per „Apoſtolicam Sedem datus Eccleſiæ Pragenſi, inſtituit celebrari „feſtum Viſitationis B. M. V. & hiſtoriam de eo feſto devotam compoſuit, & procuravit, quòd per „totum mundum illud feſtum tenetur modò, & omnia beneficia „ſua dicebat ſibi dari interceſſione „B. Mariæ Virginis viſitationis. Iſte „mortuus eſt in curia Romana, & „& dicitur eſſe beatus, quia in „domo ſua propè pontem Pragenſem videns ſomnium, vel viſionem terribilem, quomodo vulgus invadit clerum. & recipit ei „claves vi, intellexit futura mala in „Bohemia, ideò ceſſit Archi-Epiſcopatum, & mortuus eſt annô „Domini 1400. die 15. Kal. Jun. „Romæ in monaſterio S. Praxedis. Hæc ibi. Circumſtantias viſionis & futura mala in *Boemia*, meliùs deſcribit vetuſtus codex Autoris Anonymi coætanei (xxx) qui è Slavico translatus ità habet: „Annô Domini MCCCLXXXXVIII. contigit „in Boemia tempore Joannis Archi-Epiſcopi Pragenſis &c. Iſte „Archi-Epiſcopus fuit homo bonus & devotus, ſerviens DEO diu „noctúque. Et dum aliquando ſerius

(xxx) Vet. cod. MS. deſcribens memorabilia. Boem. ab an. 1270. uſque ad an. 1524. apud me fol. 3.

„ rius orationes in ſua Capella fle-
„ ctendo protraheret, quasi in exta-
„ ſim raptus fuit. Et vidit Domi-
„ num JEſum ſtantem (hiatus non
legibilis) - - -

- - - -

„ & propè eum ſtantem Venerabilem
„ Matrem ejus. A dextris ſtete-
„ runt Epiſcopi, Presbyteri, Mo-
„ nachi, & totus Clerus, à ſiniſtris
„ verò Domini temporales, Nobi-
„ les, & cives induti diverſis armis.
„ Iſti omnes accuſârunt Clerum,
„ commixti hic inde diabolis, qui
„ Epiſcopis, Prælatis, & Abbati-
„ bus propter poſſeſſiones minati
„ ſunt, & ſigna manibus, armiſ-
„ que dedêre, quasi impetum in
„ eos facturi. Poſt hæc Dominus
„ JESUS Epiſcopos, & Clerum a-
„ ſpiciens, tentavit eis claves abri-
„ pere, & Venerabilis Mater ejus
„ interceſſit pro clero, quatenus
„ Dominus JESUS miſericordiam
„ exhiberet, cleroque claves relin-
„ queret. Atque hoc, dum arma-
„ ti homines à ſiniſtris ſtantes ani-
„ madvertiſſent, ſtatim in clerum
„ ſeditione excitatâ proſiluerunt,
„ Eccleſias,& monaſteria invadendo,
„ ferrô flammique omnia commi-
„ ſcuerunt, domum Archi- Epiſco-
„ palem accenderunt, dominia, &
„ omnes poſſeſſiones diripuerunt,per
„ Pragam, & univerſum Regnum
„ velut œſtrô perciti furentes concur-
„ rerunt. Archi - Epiſcopus Joan-
„ nes, dum ab horribili iſta viſione
„ fuiſſet excitatus, totus fuit triſtis,
„ & animô perplexus. Alterâ die
„ advocans pictorem totam viſionem
„ ſicut illam vidit, mandavit depin-
„ gi in capella ſua domeſtica, qui
„ vult, poteſt adhuc hodie (hiatus
„ non legibilis)

- - - „ Deinde citans ad ſe
„ Magiſtrum Paulum, magnum A-
„ ſtronomum, & Magiſtrum Adal-
„ bertum Doctorem - - - Pra-
„ genſem, & Joannem Magiſtrum
„ Magnum, eis monſtravit picturam,
„ & expoſuit viſionem obſecarndo,
„ ut ſpecularentnr, quid illa deno-
„ taret? Illi conſideratâ picturâ, &
„ intellecta horribili viſione multùm
„ ſunt mirati, tandem Archi - Epi-
„ ſcopo reſponderunt. : Erit erit in
„ Boemia conflictus grandis inter po-
„ teſtates Sæculares, & Eccleſiaſti-
„ cas. Laici inſurgent contrà cle-
„ rum, & rapient ei bona, & poſ-
„ ſeſſiones, & multifaria erit affli-
„ ctio. Adverſabuntur clavibus Ec-
„ cleſiæ, easque contemnunt. Sta-
„ bunt contrà ſeptem Eccleſiæ Sa-
„ cramenta, contà baptismum, Con-
„ feſſionem, Communionem, contrà
„ ſacra olea, & matrimonium. Po-
„ teſtatem Papæ explodent. Et hoc
„ per longum tempus durabit, quo-
„ usque DEus miſericors Eccleſiæ
„ miſerebitur, & Sacerdotes reſti-
„ tuet. Intereà furentes homines
„ Eccleſias, & monaſteria ferè omnia
„ diruent. Hæc dum Joannes Ar-
„ chi- Epiſcopus intellexiſſet, humil-
„ limis votis, precibúsque rogavit
„ DEum, nè hujuscemodi mala ejus
„ tempore contingerent. Ideò in-
„ cepit meditari, qualiter ſe ab one-
„ re Archi - Epiſcopali liberare poſ-
„ ſet. Rogavit itaque Regem Wen-
„ ceslaum, & Capitulum Metropo-
„ litanum pro acceptanda ſua reſi-
„ gnatione. Et illi eam acceptârunt,
„ & Capitulum ejus locò elegit Wol-
„ franum conſanguineum Joannis,
„ addita fuit à reſignante conditio,
„ ut ſucceſſor ſibi neceſſaria vitæ
„ quot annis Romam mitteret. Poſt
„ hæc ſtatim ſe Romam recepit, &
„ usque ad obitum ad S. Praxedem
„ habitavit, ibique ſepultus eſt.
„ Wolframus aliquot quidem annis
„ eidem neceſſaria vitæ Romam ſub-
„ miſit, at deinde nihil amplius vo-
„ luit ei dare, & ità iſte bonus Vir
„ magnam penuriam, & pauperta-
„ tem paſſus fuit, & in panpertate
„ finem vitæ accepit, poſteà Domi-
„ nus DEUS pet eum miracula pa-
„ travit ad illius ſepulchrum, in mo-
„ naſterio S. Praxedis, ubi ejus cor-

„ pus

„ pus quieſcit. Poſt obitum Wolfra- „ mi electus fuit M. Puchniens, qui „ diu non duravit, ſed intrà annum „ venenô ſublatus eſt. Dein à Capitu- „ lo fuit electus Dominus Sbinco Sa- „ gicz, iſte ſuis manibus libros Wik- „ leffi combuſſit, contrà quem Jo- „ annes Huſs multùm iratus, & „ bachatus fuit, ſubornavit etiam „ ſcholares, qui ignominioſas can- „ tiones in Archi-Epiſcopum vulga- „ rent, velut:

Zagicz Biſſkup Abeceda
Spalil knihy, a nie wieda
czo geſt w nich napſano.

Id eſt:

Lepus Archi-Epiſcopus Abecedarius cremavit libros, ignorans, quid in eis ſcriptum ſit.

„ Sbincone è vivis ſublato, à „ Rege impoſitus fuit Albik ejus „ medicus, iſte vendidit Archi-Epi- „ ſcopatum Cunrado, & ſub iſto in „ Boemia circà fidem multæ ſurre- „ xerunt lites, diſſidia inter ſæcula- „ res, & Clericos, nam Wikleffiſtæ „ ſe levârunt adversùs Sacerdotes, & „ in concionibus ad plebem eos dein „ conviciati ſunt. Nunc primo Ca- „ nonici, & alii Prælati recordantur „ viſionis Joannis Archi-Epiſcopi, & „ picturam in Capella Curiæ Archi- „ Epiſcopali ad videndum ſæpè fre- „ quentant. Joannes Archi-Epiſco- „ pus putavit, quòd ſuo tempore „ mala contingerent, at primùm „ poſt 24. annos viſio impleta fuit. „ Clerus Boemiæ fidem ancipitem „ adhibuit, quousque Wikleffiſtæ ei „ bona abripuiſſent. Qui hoc non „ vult credere, ſed oculis videre, „ ille adeat curiam Archi-Epiſcopa- „ lem, & in capella picturam con- „ templetur. „ Hactenus MS. cod. *anonymus.* Ex quo patet, quòd autor hæc ſcripſerit ante *Ziſſkiana* incendia, & antequam domus Archi-Epiſcopalis anno 1419. flammis vaſtata fuiſſet. Nunc enim nec de capella, nec domo quidquam ſupereſt, ſed in eo loco è regione domûs *Saxonicæ* ſtant domus civium privatæ. Quod autem *Zbinco* ab *Hazenburg* Archi-Epiſcopus *Pragenſis* pro ætate illa, contra quàm eum hæretici, quasi fuiſſet ἀναλφάβητος, depingunt, ſatis fuerit eruditus, ac cultus, patet ex ſupellectile ejus libraria, nondum arte typographica inventa, admodum pretioſa. Legavit autem partem ejus cœnobio *S. Benignæ* ordinis Eremitarum *S. Auguſtini.* Ità legitur *Lib 8. Erect. O.* 10. *Nos* Wacho „ Prior de Sbiroh, Nicolaus Supprior, Joannes de Rokyczano, „ Joannes de Sbiroh Senior, Wen- „ ceslaus Kochol, Marquarius, Pe- „ trus Sokol, Mathias Poledne, „ Czachovvecz, Jacobus de Rokyczano, „ totusque conventus fratrum „ domus S. Mariæ, & S. Benignæ „ in Inſula F. F. Eremitanem Ord. „ S. Auguſtini Pragenſis diœceſis, ad „ univerſorum præſentiam deduci- „ mus, nos ex teſtamento bonæ me- „ moriæ Reverendiſſimi in Chriſto „ Patris Domini Sbinconis Archi-E- „ piſcopi Pragenſis pro monaſterio „ noſtro à Nobilibus Viris D. D. Ul- „ rico, Wilhelmo, & Nicolao fra- „ tribus de Hazenburg ejusdem Do- „ mini Sbinconis fratribus uterinis, „ & teſtamentariis libros infrà ſcri-

„ ptos,

„ptos, videlicet BIBLIAM INTEGRAM in pergameno, DICTIONARIUM in pergameno, in quatuor voluminibus, MORALIA „GREGORII in pergameno, gloſſam ordinariam ſuper epiſtolas „Pauli in pergameno, VITAS PATRUM, SANCTORALE in duobus voluminibus, MAMOTRECTUM in papyro in uno volumine per honorabilem Virum D. „Mathiam de Bielina, Præpoſitum „Eccleſiæ Collegiatæ S. Ægydii in „Praga dicti Domini Archi-Epiſcopi Secretarium accepiſſe &c. Dein promittunt ſe libros illos non alienaturos. Die 11. *Octobris* an. 1411. Cuncta confirmat *Wenceslaus Radecz* Cuſtos, & Canonicus Eccleſiæ *Pragenſis*, ſede vacante per mortem dicti Domini *Zbinconis* Adminiſtrator in ſpiritualibus per Capitulum deputatus. Die 25. *Octob.* anno 1411. Eo propemodùm tempore (ùt è narratis ſuprà conjicio) *Wikleffi* venenum primos fermentationis motus in *Boemia* jàm penè conciverat. At ſymptomata ægrotantis nondum morbum incurabilem indicârunt; niſi poſtquam *Albicus medicus* de cura corporum ad curam animarum ſe immiſiſſet. Hic enim à *Wenceslao*, cujus Medicus erat, ad Archi-Epiſcopalem ſedem violatis *Eccleſiæ*, & *Capituli* juribus fuit intruſus (yyy). Secus profectò, ſi Capitulares viâ electionis vacantiæ proſpicere, atque poſt obitum *Zbinconis* de Capitulari corpore Virum doctrinâ, pietate, aliiſque virtutibus potentem eligere potuiſſent, hæreſis tam altas ſtatim radices agere vigilantiâ Archi-Epiſcopali prohibita fuiſſet. Ut benè oſtendit Peſſina (zzz), & indicat Autor MS. anonymus (a 1.). *Zbinconi* præmaturâ, & violenta morte defuncto ſucceſſit Albicus de „Moravia, Wenceslai Regis medicus, per favorem Regis intruſus, „contra Canonicam electionem, „qua unanimi capituli conſenſu deſignatus erat Archi-Epiſcopus Joannes de Praga Epiſcopus Lytomyslenſis, antea Præpoſitus omnium Sanctorum, & Canonicus Pragenſis; propter egregias animi, „& corporis dotes, & eximiam in „providendis, perficiendìsque rebus dexteritatem poſt aliquot annos factus Epiſcopus Olomucenſis, àc etiàm àd Cardinalatûs faſtigium evectus. ſed neque Albik „diuturnum habuit regimen, qui „uno tantùm anno, & duobus forte „menſibus amplius Archi-Epiſcopatum tenuit: Poſteà curarum pertæſus Cunrado Weſtphalo Epiſcopo Olomucenſi, qui antea fuerat ſubcamerarius Regis, & Magiſter „monetæ in montibus Kuttnis, reſignavit. Canonicis iterum contradicentibus, qui denuo in Epiſcopum Lytomyslenſem ſuis collimabant votis; ſed fruſtrà: Nam „Rex ſtabat potenter pro Weſtphalo, & commutationem iſtam ipſe „procurabat. Accepit autem Albik locò Archi-Epiſcopatûs Præpoſituram Wiſſehradenſem, & „Præpoſitus Wiſſehradenſis, qui „tunc erat D. Wenceslaus Patriarcha Antiochenus, Epiſcopatum Olomucenſem, mirabile cambium! „Et indè, quia Capitulum viâ canonicâ electionis de Viro Apoſtolico, „qui his turbatis temporibus Eccleſiam rexiſſet, proſpicere non potuit, hæreſis in Eccleſia, & ſeditio „in regno invaluit.„ Hactenus *MS. cod.* Circa hoc tempus clandeſtina odia intet cives, æque ac proceres ad ſeditionem ſenſim, lapsúmque Regniematureſcentia, ùt plurimùm inolevêre. *Anno M CCC XCIV, conglomerantur* (*MS. Membran.* (v)) *in montibus Kuttnis malignantes in malum faciendum, at capti ſunt XVI. qui feriâ ſextâ poſt Laurentii capite plexi ſunt.*

(yyy) Cochl. Hiſt. Huſſit. lib. 1. fol. 29.

(zzz) Peſſin. MS. diſſertat. de Epis. & Archi-Epis. Elect.

(a 1.) MS. Anonym. fol. 13. Archiv. cap.

(v) MS. Membran. Archiv. cap. Prag.

N. 8. Nihil tamen minùs, quam ruentis religionis, regnique ſtrepitum audivit *Wenceslaus*: Etsì anno

1397.

1397. à toto procerum conſeſſu iterum iterùmque fuiſſet admonitus. Ille ubi procerum adventum in *Wiſſehrado* ſenſiſſet, ſuſpicione captivationis eques profugit *Zbraslaviam*, inde ad caſtra *Ziebrak*, & *Toczník*, in quibus cum *Suſanna* balneatrice totum reliquum tempus anni inter domeſticas voluptates otioſus tranſegit (b. 1.). Invenio verò, tunc *Regni Proceres*, qui judiciis publicis præſidebant, è vetuſto *tabularum Regni extractu ſecundò Nicolai* ſequentes,

(b. 1.) Hagek an. 1397. fol. 359.

„ Anno Domini 1397. feriâ quartâ „ quatuor temporum adventûs Domini Jodocus (prævie Wenceslao „ reconciliatus) & Procopius Marchiones Moraviæ, & Barones, „ Wilhelmus de Landſtein Supremus Camerarius, Hynko de „ Hohnſteyna dictus Berka, Supremus Judex, Smilo de Rychmburg, „ protonotarius tabularum, Henricus de Roſenberg, Boczko de „ Podiebrad, Brzenko de Sſvvihovva, Otto Bergau de Bieling, „ Borſſo Senior de Ryzmberg, aliàs „ de Osek, Joannes Michalecz, „ Raczko de Ssvvamberg, Puota „ de Czaſtalovvicz, Petrus de Koſti, Joannes, & Jaroslaus de „ Dobruska, Nicolaus de Borotin, „ Hynko Hlavvacz de Nachod, „ Hynko de Wysmburg, Henricus „ de Wartmberg, Brzenko de Strakonicz, Joannes de Herſtein, Ulricus, & Joannes de nova domo, „ Joannes de Sageczicz, Albertus, „ & Sdeslaus de Sternberg, Albertus de Conopiſſt, Purchardus de „ Janovvicz, Ulricus de Hazmberg „ Alſſo Sskopek de dubee, Przedvvor „ de Ronovv, & alii quàm plures „ Barones judicio præſidentes. Hi omnes ùt ùt magnâ autoritate, prudentiâ, ac rerum uſu conſpicui, nihil tamen cum *Wenceslao* ad emendationem proficere poterant. Quin imò, ut conflatam invidiam, & enata inde odia ille promptiùs dilueret, resque ſuas dubias potenti affinitate ſtabiliret, in uxorem duxit *Sophiam Joannis Monacenſis* Ducis *Bavariæ* filiam (c. 1.), diſpenſatione *Bonifacio IX.* ſummo Pontifice, quia nova ſponſa erat *Joannæ* priori conthorali *tertio gradu lineæ transverſalis* ſanguine, & conſequenter *Wenceslao* affinitate juncta, fuit illa poſteà ſolemnibus ceremoniis die 15. *Martii.* Anno 1400. à *Wolframo Archi Epiſcopo Pragenſi*, Legato nato, & *Cunigunde de Kollovvart* Principiſſa ad *S. Georgium* ante altare *S. Viti* in Reginam *Boemiæ* coronata. Coronationi interfuerant *Sigismundus* Rex *Hungariæ*, *Jodocus* Marchio *Moraviæ*, *Fridericus* Burggravius *Norimbergenſis* dein Elector *Brandeburgenſis*, *Wenceslaus* Patriarcha *Antiochenus* & Præpoſitus *Wiſſehradenſis*, *Joannes* Epiſcopus *Lithomyslenſis*, & alii quàm plurimi Epiſcopi, Principes, & Regni Proceres. Coronam ante Reginam tulit *Herincus* à *Roſenberg* Burggravius *Pragenſis*; Sceptrum *Berka* ab *Hohenſtein*, pomum *Joannes* à *Michelsberg*, qui omnes unà cum ſenatu *urbis majoris* Regali opiparô prandiô in magno palatio caſtri *Pragenſis* refecti fuêre (d. 1.). Dum ità *Boemia* inter feſtivos applauſus ſuper coronatione Reginæ tripudiaret, brevì extrema gaudii luctus occupavit, abreptâ eodem anno *Wenceslao* Imperiali corona. Electores enim fruſtratis tot legationibus nihil cum *Wenceslao* proficientes, ac imperii rebus per mutuas civitatum, ac Principum in fædera iniqua coeuntium pactiones, quotidie in pejus ruentibus (e. 1.) *Francofordiæ* congregati maturo conſilio deliberârunt, quid in imperii languentis medelam optimè congrueret? Potior pars votorum eò primùm collimabat, rem gradatim agendam, nè vices ſuas emendare volenti abreptis faſcibus, vis facta fuiſſe putetur. Itaque *Wenceslaum* miſſis legatis ſeriò interpellant, vicarium ſaltèm locô ſui, cùm ipſe imperio ſufficiens non eſſet, cum poteſtatis plenitudine determinaret, qui juſtitiam in imperio miniſtret,

(c. 1.) Dubrav. lib. 23.

(d. 1.) MS. Archiv. cap. Prag.

(e. 1.) Lit. Socier. integr. apud Bernh. Hertzog lib. 2. pag. 69. 70.

ac periculoſa fœdera aſſiſtentiâ Principum cohibeat. Sprevit petitum *Wenceslaus*, nec de eó audire voluit. Sic peſſimus quíſque imperiô dignum ſe putat. Ergò ut *Frankofordium* ſaltem præſentis rei negotia cum Electoribus tractaturus perſonaliter accederet: neque huic deferre placuit. Exagitati inertiâ Regis Principes Electores ad oppidum *Laynſtein* in littore *Rheni* (ut prorſus mirabile ſit in eodem loco ſui Magiſtratûs & exordium, & exceſſum habuiſſe) coacto conventu congregati, *Bonifacio IX.* ſumo Pontifice cuncta approbante, pigritantem principatu movêre. Lecta fuit exauctorationis ſententia aſſidentibus Electoribus in elevato ſolio coram plurium millium hominium multitudine die 20. *Auguſti* an. 1400.

„NOS JOANNES DEI GRA-„TIA S. MOGUNTINENTIS EC-„CLESIÆ ARCHI-EPISCOPUS, „SACRI ROMANI IMPERII PER „GERMANIAM ARCHI-CAN-„CELLARIUS, NOTUM FACI-„MUS &c.

Et infrà.

„4tò. Denique, quod horren-„dum, & immane dictu, cum prop-„ria, tum aliorum facinoroſorum, „quos ſecum habebat, manu, Re-„verendos Sacrorum Antiſtites, Sa-„cerdotes, & ſpirituales perſonas, „alios item plures honeſtæ notæ „homines, contrà juris normam, „ſecùs quàm RomanumRegem de-„cebat, neci dedit, aquis ſubmer-„ſit, igne cremavit, miſerabiliter, „& truculenter peremit. Quæ qui-„dem memorata, aliáque multa „gravia facinora, atque damna, „adeò devulgata ſunt, & palam „nota, ut & excuſari, vel celari „nullatenus queant. &c.

„Nos itáque Joannes Archi-E-„piſcopus nomine prædictorum Sa-„cri Romani Imperii Cœlectorum, „noſtróque, tum commemoratis, „tum pluribus aliis inſignibus de-„fectibus, causísque moti, hac no-„ſtrâ ſententiâ, quam præſenti ſcri-„ptô damus, atque ferimus, præ-„dictum Dominum Wenceslaum, „ceu inutilem, negligentem, diſ-„ſipatorem, & indignum Sacri „Romani Imperii defenſorem, eo-„dem Romanô Imperiô, omní-„que ejus gradu, dignitate, ac di-„tione ad idem pertinente priva-„mus, & ſubmovemus. &c.

„Lecta, & renunciata fuit ſen-„tentia præmiſſa per Nos Joannem „Archi-Epiſcopum Moguntinum „noſtrô, & Dominorum Coële-„ctorum Nomine, ſub CaſtroLayn-„ſtein ad Rhenum Trevirenſis Diæ-„ceſis Brubachium versùs progreſſi, „è publico ſolio in tribunalis uſum „erecto, Dominis Coëlectoribus „noſtris ibidem judicio aſſidenti-„bus, annô Dominicæ incarnationis „1400. Indictione octavâ, feriâ ſex-„tâ, die 20. menſis Auguſti, pau-„lò antè nonarum tempus, Pontifi-„catûs Sanctiſſimi Domini noſtri „Bonifacii IX. divinâ Providentiâ „Papæ annô undecimô. Præſentibus „Illuſtriſſimis Principibus, ac Do-„minis, Joanne Illuſtriſſimi Princi-„pis, ac Domini Ruperti, Ducis Ba-„variæ, & comitis Palatini ad Rhe-„num &c. Friderico Burggravio „Norimbergenſi &c. &c. Vide totam exauctorationis ſententiam apud Goldaſtum (1.)

(f. 1.) Melch. Golaſt. conſtit. Imper. tom. 1. pag. 379. Trithem chron. Spon-heim. pag. 340. Kainald. Annal. Eccl. tom. 17. fol. 248. Naucler. in chron. Lehman. in chron. Spirens. Spondan, Contrà. Annal. Baron.

Habemus hîc manifeſtam *DEI* vindictam, quâ *Wenceslaus*, qui ſcientiâ peccatorum è confeſſione ſacra conthoralem ſuam infamare cogitabat, patefactis omnibus truculentiſſimæ vitæ ſceleribus ſententiâ publicâ in univerſo orbe turpiſſimè proſtitutus, & infamatus fuit, & quia *Joannem Confeſſarium* ſecreti ſacri tenacem è ponte præcipitavit, eum ebrioſum, ſecretorum adeò imperii negli-

negligentem *Joannes* itidem, Archi-Epiſcopus è ſolio deturbavit. Ità mira, eáque juxtà talionem plerumque exæquata in ſceleribus puniendis divinæ juſtitiæ eſt retributio. Sed juvat hîc ad circumſtantias exauctorationi hactenus incognitas penitiùs intelligendas, *Ruperti Cæſaris* (qui intermedio *Friderico Brunſvicenſi*, dein *Wenceslao* ſucceſſerat) ſecretarium *Mathiam Sobernheim* diſſerentem audire, quem non ità pridem *Jacobus Wenker* imperii antiquitatum admodum ſtudioſus in lucem protraxit. (g 1.)

(g 1.) Jac. Wenker apparat. Archiv. cap. 47. fol. 267.

„ PRÆHONORANDO, ET „ FAMOSÆ SAPIENTIÆ VIRO, „ DOMINO WERNHERO SPATSINGER, PROTONOTARIO „ CIVITATIS ARGETINENSISE „ AMICO SUO PRÆCIPUE ADAMANDO.

„ Me toto ad quæque veſtra libita indefeſſè, & obſequiosè præoblato. Præhonorande Domine & amico. Domini Principes Electores multùm ſolerter, ritè, ſanctè, & juſtè proceſſerunt ante longum tempus ſententies maximas Domini Regis Bohemiæ, pro tunc imperii negligentias quæ nunquam, quantumcúnque à Principibus Electoribus ſæpè admonitus attendere voluit, tunicam inconſulem, ſcilicet ſanctam Matrem Eccleſiam reintegrare, ad unionem redigere, & nephantiſſimum ſchiſma extirpare. Item quòd Mediolanenſem Ducem fecit, ſibíque pro pecuniis venumdavit meliorem partem in Italia Imperii ad ejus cameram pertinentem, & alibi Item quòd membranas cum ſigillo Majeſtatis pendente ſigillatas ad diverſas partes miſit, quod ementes easdem membranas, deſuper ſcribere potuerunt magnas Imperii derogationes, ſive demembrationes. Item quòd nullam procuravit pacem, ſed potiùs Gueras, & damnum Imperii ſubditis ſuſcitavit. ùt apparuit in civibus Erbipolenſibus &c. Item innumeras perfecit tyrannides! & malitias. Reverendos Prælatos & alias perſonas dignas dimitiſſimè propriis manibus martyrizando (hîc non obſcurè colligitur, S. Joannem Nepomucenum à Wenceslao propriis manibus tortum propter paſſionis vehementiam, ut reſciret conjugis percamina) & aliarum ſuarum enormitatum non eſt minùs. Quid dicam, virtutes nullæ, & vitia plurima ſemper ab eo ſunt percepta. Tunc Principes Electores convenerant ſuper emendationem cogitando, & ordinaverunt unam magnam plurimorum Principum congregationem ad Frankenfordiam, pro tunc etiam ibidem Dominus Lupoldus Auſtriæ. Tunc Domini Electores cum aliis Principibus concordârunt ad habendum unum Vicarium Imperii, & miſerunt ad prædictum Regem Bohemiæ & pro tunc Imperii ad petendum, ut daret hujusmodi Vicarium. Iſtâ petitione minimè exauditâ, ſed ab eo ſpreta. Poſteà tantùm inſtabant apud prædictum Regem Bohemiæ, quòd perſonaliter venit in Frankenfordiam & dicti Principes Electores ſecum ibidem exiſtentes fecerunt ſibi in faciem præfatos articulos, & plures alios recitari, & etiam ſibi in ſcriptsi dari, petentes iterum emendationem (hîc patet longanimitas Electorum cupientium non exauctorationem ſed emendationem *Wenceslai*, „ iterum invanum laboraverunt. Poſt hoc fecerunt conventionem in Marppurg, illuc Dux Saxoniæ eorum Coëlector per eos vocatus ad ipſos venit, & ipſi quoque ibidem ſe colligaverunt, prædicto nomine, & ſtatuerunt aliam dietam in Moguntiam, ſcribentes quàm pluribus Principibus, nt ad eandem dietam in Moguntia

„ cum ipſis venirent, & ſic in illa „ dieta in Moguntia prædicti quatuor Princeps Electores ibidem „ præſentes, & Dux Saxoniæ per „ ſuos Procuratores ejus plena mandata procuratorium, & ſigillum habentes, colligaverunt ſe ad quàm „ plures alios principes, & ipſi alii „ Principes ad ipſos quinque Electores ad eligendum novum Regem, „ & alternorum fide ſe coadjuvantes contrà quemlibet ipſis, ſeu alteri ipſorum in hoc renitentem & „ damna inferre prætendentem. „ Poſt hoc venerunt quinque præfati Principes Electores & alii ipſis „ colligati ad aliam dietam in Frankfordiam, tractârunt ibi pro perſona eligenda, in nullam ibi concordare potuerunt, decreverunt, „ & Regem Boëmiæ iterum legitimè ſuis patentibus literis citârunt, „ & vocaverunt ad oppidum Laynſtein ſituatum in litore Reni ex „ oppoſito Renſee, ut ibidem veniret, & compareret, exceſſus, „ & negligentias ſuos ſibi ſæpè objectos in melius emendaturus, & „ in caſu, quo non veniret, ſic facturos, vellent procedere, & imperium aliter diſponere, civitaverunt, & vocaverunt etiam ſuis patentibus literis Ducem Saxoniæ, „ & Marchionem Brandeburgenſem ad veniendum in Laynſtein, „ & tanquam eorum Coëlectores in „ facto tali cum ipſis proceſſuros. „ Domini tres Archi-Epiſcopi, & „ Dominus meus Rex tunc Elector „ venerunt ad prædictam dietam in „ Laynſtein, decem diebus ibidem „ permanentibus, & expectantibus, „ Rex non venit, nec alius ſuo nomine, & pro eo reſpondens, vel „ quidquam allegans, ipſo tanquam „ pro contumace reputato, & quòd „ ampliùs ad imperium intendere „ non vellet, nec valeret. Tres „ Archi-Epiſcopi prædicti cordialiter „ inſtabant, & Domino meo nunc „ Regi inſtantiſſimè ſupplicabant, „ ut causâ DEI, & ſalutis animæ ſuæ „ ſibi onus imperii aſſumeret, & in „ ſuæ perſonæ electionem conſentiret, quem meliorem in probitate, & - (hiatus) - - - noſcerent. Dominus bene penſans imperium ferè totaliter eſſe deſolatum „ vix vel nunquam reformandum, „ & quòd eſſet deſolatio ſui proprii „ dominii, & conſumptio virium „ ſuarum, & quietum diem per „ totam ſuam vitam nunquam habere, dictis Dominis ſupplicatione non ceſſantibus, dominus „ perplexus, Dei omnipotentis indignationem timens incurrere, ſi „ non aſſumeret, DEO volente, animum ſuum revolvens in adjutorium altiſſimi ſperans conſenſit in „ ſuæ perſonæ electionem. Domini Archi-Epiſcopi ex eo valde lætificati, unà cum Domino meo „ tanquam major, & ſanior pars „ Electorum procedebant ad depoſitionem Regis Boëmiæ de ſolio „ Imperii, & ſententiam deſuper „ ferebant in tribunali ſedentes extra portas Oppidi Layenſtein propè Rhenum coram magno populo „ præſente: cui ſententia altâ voce „ fuit lecta, non obſtante abſentia „ ducis Saxoniæ, & Marchionis „ Brandenburgenſis. Quia ipſi quatuor ſecundùm auream Bullam „ potuerunt, quæ continet, quando electores ad electionem legitimè eſſent vocati, etſi ſolúm duo „ venirent, hi duo procedere, & „ concludere poſſent. Die immediatè ſequenti, ipſi quatuor Principes acceſſerunt ſedem Regalem „ propè Renſee, celebrantes, & cantantes ibi ſolemnem miſſam de „ Sancto Spiritu, ipſi devotionem „ voventes, ut inſpiraret eis eligere „ novum Regem Deo gratum, & ſuæ „ Chriſtianitati utilem. Factâ miſsâ „ ipſi quatuor Electores juraverunt „ juramentum in aurea bulla. Deſuper ſtatutum, & conſcriptum „ altâ voce clamantes omni populo „ in magno concurſu, & multitudine ipſi præſente, audiente, & intelli-

„ telligente, quòd purè, & ſimpliciter ſentirent, ad hoc meliorem „ nullo munere, nullo amore, nec „ aliqua contemplatione moti &c. „ & ſic aſcenderunt ſedem, & tres „ Archi-Epiſcopi elegerunt dominum meum quatuor vocibus electorum, quare quando unus electorum eligitur iſtius conſenſus „ auget voces, ſicut canit aurea „ bulla: & ſic electio facta eſt per „ majores, & ſaniores voces. Ecce qualiter Principes, & aliquæ „ Civitates fingunt ſe dubitare, & „ tamen non deceret in aliquo hæſitare, ſi privatum bonum omni „ bono non præponerent. Proceſſus,ùt præmittitur,undique eſt notorius, & valde neceſſarius, licèt „ iſtam dein vobis rudem, & groſſam informationem peto mihi „ non imputare pro malo, & valete in Chriſto mihi ſemper præcipientes. Datum quinta feria poſt „ Luciæ Virginis, (id eſt 16. Decembris), anno 1400. Hactenus ſecretarius *Cæſaris Ruperti.*

Hic quidam autores Heterodoxi pigritantem Regem in hæreſum incrementa ſublevare nitentes, volunt exauctoratione *Wenceslao* parùm nocitum, aut ſaltèm non tantùm, quantùm olim *Adolpho Naſſavio*, eò quòd varii Principes, & imperii civitates (h. 1.) eundem, ùt *Regem Romanum* adhuc poſt depoſitionem agnoverint, & privilegia poſt id tempus reperiantur, quæ *Wenceslaus* ut *Rex Romanorum* conceſſerit. Verùm cum exoriatur quæſtio, utrum id illi jure fecerint? eò quod electoribus juſtè, & rationabiliter officio ſuo fungentibus, & maximè ſummiPontificis conſenſu accedente, in ſalutem Chriſtianæ reipublicæ ab omnibus in imperio obtemperandum ſit; id conſultiùs publici juris ſtudioſis diſcutiendum relinquo. Intereà *Wenceslaus* exauctorationem per incuriam ſprevit. *Utilius mihi* inquit, *eſt apud Boemos regnare, quàm in Germania imperare. Nec opus habebo tot literas legere. Norimbergenſibus*, cum ſinè ejus conſenſu deficere nollent, reſpondit: *Darent ſibi ſolummodo aliquot currus vini Bacharachenſis inter vicina optimi, de reliquo Imperatorem haberent, quem vellent* (i. 1.). Porrò *Sigismundus* Rex *Hungariæ*, & *Jodocus* Marchio *Moraviæ* depoſitionem *Wenceslai* non æquis oculis aſpicientes (quaſi *familiæ Lucemburgicæ*, quæ aliquot egregiis Imperatoribus Reipublicæ profuerit, vis fieret) collecta militari manu *Boemiam* intrant, paulò tamen eorum fervorem *Wencelai* ſegnities temperavit. Audiamus coetaneum (k. 1.) in literis ad ſuos Superiores.

(h. 1.) Dinter hiſt. lib. 6. cap. 38.

(i. 1.) M. Boregk. cron. Boem. fol. 348.

(k. 1.) Henr. de Mühlnheim Thom. de Endigen apud Wenk. in not.

Infra:

„ Poſtea interrogavimus de „ legatione, an profecerit. Et illi „ coram omnibus narrârunt, quòd „ Norimbergenſes Virum Conſulatem cum credentialibus miſerint. „ Is redux narravit, quod Rex Hungariæ in comitatu multorum militum Kuttenbergæ, & quidam „ Marchio nomine Sigismundus „ cum omnibus proceribus Regni „ Boemiæ advenerit in Monaſterio „ propè Svvidnicium, ubi Rex „ Boemiæ etiam adfuerit. Poſtea „ Rex Ungariæ Regi Boemiæ dixerit: Se, & omnes proceres adeſſe, „ ad defendendum honorem ac Regna ejus, ſi impenſas dederit, „ ſin minus, ſecus facturos. Repoſuiſſe Regem Boemiæ; Se nolle, ad id Regem Hungariæ, & „ proceres in iracundiam motos „ fuiſſe. Et dicitur, quod Rex „ Hungariæ, Marchio Sigismundus „ & proceres movere velint contra „ Marchionem Procopium, & ducem Oppavienſem, & tandem „ contra Regem Boemiæ, & velle „ Regem Ungariæ, Boemiæ Regem „ captivare, & ei ſatis dare usque „ ad mortem. Datum in Mœno „ fluvio, propè vectigal Hœchſtenſe,

„ ſe, die Mercurii ante feſtum SS. „ Simonis & Judæ, anno domini „ 1400. Hactenus literæ è veteri teutonico translatæ.

In aliis de dato *feria quarta poſt diem feſti omnium Sanctorum* anno 1400. additur talis ulterior narratio: „ Poſt hæc Senior Rex miſit „ ad Regem Hungariæ egregios „ Dominos, & Conſiliarios, rogans, ut ad ſe redeat, & Rex „ Ungariæ noluit. Poſt hoc alios „ nuntios prioribus digniores, velut „ Patriarcham Cancellarium ſuum „ (fuit is Wenceslaus Kralik de Burnicz Præpoſitus Wiſſehradenſis, & „ Patriarcha Antiochenus) miſit, & „ ii Regi Hungariæ perſuaſerunt, „ quòd redierit. Poſtquam ſimul „ fuiſſent, Rex Boemiæ Regem „ Hungariæ rogavit, ut ſe adjuvaret. Ad quod Rex Hungariæ reſpoſuit, libenter ſe velle adjutorio „ eſſe, dummodo ſibi provincias „ Bollanden, & Luſatiam, & eas „ provincias, quæ Hungariæ contiguæ ſunt, extradat, & Regni „ Boemiæ ſucceſſionem poſt ejus „ mortem aſſecuret, ità his pactis „ omnem vim in defenſionem ejus „ impenſurum. Ad hoc Rex Boemiæ tergum vertens, mandavit afferri equum, cui inſidens ſine ulteriori reſponſo equitavit ad balneum. Rex Ungariæ neſciens, „ quò frater ejus Wenceslaus equitaverit, diu expectavit, deſiderans „ reſponſum, at poſtquam intellexiſſet, eum ad balneum neglectis „ rebus ſeriis equitâſſe, magna cum „ indignatione diſceſſit. Hæc ibi. E quibus omnibus projectiſſimi animi extrema ſegnities apparet, qui jam nihil honeſtatis ampliùs penſi habens, ſoli voluptati militabat.

N. 9. Anno 1401. *Jodocus* Marchio, & *Wolframus Archi-Epiſcopus Pragenſis* non valentes ultra deſperatos *Wenceslai* mores tolerare, junctis cum Marchione *Miſniæ Friderico bellicoſo* (l. 1.), & proceribus *Boemis* animis, & viribus, *Wenceslaum Pragæ* obſederunt *Julio menſe*. (l. 1.) Cron. Saxon. Sigism. Birken.

Anno 1401. (inquit Cœtaneus (m. 1.)). *Circa feſtum S. Jacobi Jodocus Marchio Moraviæ, & Marchiones Miſnenſes, & Wolframus Archi-Epiſcopus Pragenſis & Barones Boemiæ, jacuerunt ante Pragam contra Dominum Wenceslaum Boemiæ Regem*, eóque illum adduxerunt, ut is conſiliis inops, & ad reſiſtendum impar, inducias trium dierum poſtulare cogeretur, quarum intervallo cum proceribus de omni controverſia tranſigere poſſet. Poſtmodum ad Boemos publicas dedit pacis literas die 12. *Auguſti*, omnia omnibus condonando, atque ſingula, hucusque ultro citròque hoſtiliter illata oblivioni dando, nominando quoque quatuor Viros; *Wolframum Archi-Epiſcopum*, *Henricum de Roſis*, *Ottonem de Bergau Bilinienſem*, & *Joannem Kruſſinam de Lichtenburg*, qui per unius anni ſpatium Reipublicæ ſuprema cum poteſtate præeſſent, & quæ ad pacem publicam magis ſtabiliendam neceſſaria in præſens viderentur, ſtatuerent. Sed brevì ad antiquos mores, & domeſticas voluptates rediit. Quare anno ſequenti 1402. die 8. *Februarii*, quæ erat *dies Cinerum*, ut volunt *Lupacius*, *Boregk*, *Weleslavina & Peſſina*, aut in *octava Reliquiarum Domini lanceæ & clavorum*, ut vult *Hagekius*, quæ eo anno in 14. Aprilis inciderat, infra quam anno 1393. *Joannecium Vicarium Generalem* ſubmerſerat, in villa regia ſupra civitatem *Beraunam* ſita, dum laſcivus ibi liberiùs ruſticaretur, denuò manipulò militum obruitur, & captivatur, & primùm in turrim *Arcis Pragenſis*, quam vulgò *albam* nuncupârant, conjectus, inde verò *Krumloviam* ad *Henricum Roſenſem*, ac tandem *Viennam* transportatus, ibìque in domo quadam, quam idcircò *Pragenſem*, quòd eam incoluiſſet *Pragenſium* Rex, vócitârunt, ſub cuſtodia detentus. Malè hîc poſuit *Weleslavina Joannem Gœrlicenſem* fratrem

(m. 1.) Bartoſſ. hiſt. ſui temp. MS fol. 21.

trem *Wenceslai* militari manu, ad vindicandam captivitatem *Krumlovium* excurriſſe, qui jam anno 1395. diem ſuam obierat. Evaſit tamen rursùm à *Viennenſi* cuſtodia *Wenceslaus* ſecum ipſe reputans, quàm gravis caſus in ſervitium ex regno foret, incredibili fortunâ uſus, adjutùsque opera, & conſilio piſcatoris (alii volunt *Sacerdotis Crucigeri* cum *rubra ſtella*, qui poſtea in *Manetin* Parochi munus obiverit (n. 1.)) & habitu mendici *Pragam* reverſus, arceque recepta, mox Regnum etiam recuperavit. Quoniam vero captivationem, & liberationem inter omnes feſtiviſſimè narrat *Hagekius*, eundem rurſus è Slavico translatum audiamus: „Proceres regni Boemiæ nominatiores fœdere ſe junxerunt „cum Sigismundo Rege Hungariæ, „& Jodoco Marchione Moraviæ, „contrà Wenceslaum Dominum „ſuum. Et quando erat infrà octavam reliquiarum, Wenceslaus habitavit in arce Ziebrak, tempus venando fallens. Igitur dum quadam vice veniſſet à venatione ad „ſuam villam mediô milliari Beraunâ diſtantem, quidam proceres „villam Popovvicz inſidentes explorati ſunt Regem. Et tempore „prandii ex improviſo inſilierunt in „villam, & Regem captivantes duxerunt ad Caſtrum Pragenſe, imponentes eum in cellare, quod eſt „in turri alba ſuper porta ad ſiniſtram euntibus ex Hradczano ad „arcem, & hîc illum diligenter „cuſtodiri fecerunt. Evolutis quinque hebdomatibus inde translatus „Rex ad dominum Henricum à Roſenberg in Caſtrum Przybenice, „ac inde Krumlovium, tandem „ductus fuit in Auſtriam, & Albertus Dux Auſtriæ ſuſcepit eum, & „impoſuit Viennæ in quamdam turrim. Dum ità Wenceslaus diu in „carcere turris ſederet, multùm „impatiens erat animô, timens, ne „fortè hîc finem vitæ acciperet, „nam pauci de eo in Boemia notitiam habebant, & Viennæ nullus „ſcivit, Regem Boemiæ captivum teneri, niſi Albertus Dux, & Capitaneus ejus, vulgus paſſim dicebat, „quemdam dominum valde illuſtrem cuſtodiri. Habitavit eo tempore in ſuburbio Viennenſi ſenex, „& pauper piſcator, valde devotus „nomine Joannes Grundel. Hic „quotidie devotè ſolebat viſitare „Eccleſiam, & poſt miſſæ Sacrificium coctos piſculos captivis amore „DEI diſtribuere, frequenter etiam „tanſire turrim, ſuprà quam ſedit „Wenceslaus. Rex cum piſcatore, „interrogans de conditione ejus, „aliquoties confabulabatur, quousque tandem plenè ſe aperiendo ad „eum aliquando diceret; Charo „Grundel experior te Virum bonum „& juſtum, ideo congruit, ut res „meas tibi concredam, & quia aliis „captivis miſericordiam exhibes, „ſpero, quòd etiam mihi. Credas „velim certò, quòd ſim homo illuſtris, & Dominus terræ Boemiæ, „amici me ſinè culpa, ſola invidia „captivum huc miſerunt. Quocircò potèsne me juvare, ut liber fiam? ſi in Boemiam venero, te, „uxorem, & proles ditabo. Hujuscemodi ſermonibus excitatus „piſcator ait: Cùm ità res ſe tecum „habeat, promptus te liberarem, „at non video ullum modum, nam „ſcias, quòd, quotiescunque captivis „piſciculos fero, me Cuſtodes undique perquirant, timentes, nè „ferrum adferam, aptum liberationi. Ad quod Rex: Ego aliam viam excogitavi, rogo te, ediſſeras, quantum in tota tua ſubſtantia poſſideas? reſpondit piſcator: „Si omnia mea vendidero, octo florenos accipiam, ait Wenceslaus: „Vendas ergo aliqua, & emas inde „fila bombycina, & fac funiculum „ſexaginta orgiarum in craſſitie digiti, & circumvolvas nudo corpori, & ita viſitantes, nihil apud te „reperient. Et fecit ità piſcator, „& funiculum bombycinum attulit.

(n. 1.) Weleslav. Kalend. 6. id Febr. Cuthen. & Lupac. ibidem.

Cui

„ Cui Wenceslaus, ego me iſto funiculo è turri dimittam, & tu media nocte ſubtùs expectabis, & inde me duces usque ad Danubium, & ibi trajicies. Et omnia ità facta ſunt. Piſcator Regem per fluvium trajecit, & duxit illum ad cumulum fimi, & eum fimo texit, & abſcondit. Interea ortus fuit clamor vigiliarum, captivum aufugiſſe. Albertus dux hoc auditô, ex omni parte inſecutores conſtituit, qui tam in terra, quàm aqua cuncta perquirerent, & nox ſubluni s erat, & inſecutores piſcatorem, qui capturæ intendebat, interpellabant: num trajicientem vidiſſet? Quibus ille: quamdiu hic piſcor, neminem vidi, & ſi quis trajeciſſet, quomodò in tenebris videre potuiſſem? Et inſecutio tota die duravit. Altera nocte venit piſcator ad fimetum, inclamans: Vivisne adhuc? repoſuit Wenceslaus: vivo, & ſurgens comedit panem, à piſcatore allatum, & bibit aquam. Et tranſierunt dein vallem tacitè colloquentes, & intrantes ſylvam ambo Domino DEO gratias egerunt. In via poſtea piſcator nitebatur Viennam ad uxorem, & proles reverti, ſed noluit eum dimittere Wenceslaus, aſſecurans, quòd unà cum uxore, & prolibus illum bene habebit. Tandem in feſto S. Martini venerunt ad Caſtrum Wiſſehradenſe, & intromiſſi, Rex propria manu clauſit portas arcis clamando: Qui eſtis mei fideles, venite ad me, & advenerunt ad Regem quasì viginti Viri, & inclinantes ſe eundem beneventârunt: Et ait Rex illis: quis eſt Capitaneus arcis? & reſponderunt Sſtipka lanio, qui nobis impoſitus fuit à Pragenſibus: & mandavit ſtatim Capitaneum in cuſtodiam conjici, portasque Caſtri ſummâ diligentia obmuniri, ut nullus neque egredi neque ingredi potuerit. Dein nomine Capitanei miſit pro Carnifice, & dum adveniſſet, confici curavit nomine & ſigillo ejusdem Capitanei literas ad Conſules, & Senatum Vetero-Pragenſem, quatenus ſinè omni mora ad Caſtrum Wiſſehradenſe properarent. Conſules videntes literas ſecreto Capitanei munitas, arbitrati ſunt ſummum periculum adeſſe, ideò ſtatim eò properârunt. Et dum fuiſſent ad Caſtrum intromiſſi, poſt eos portæ clauſæ ſunt. Rex mandavit omnes vinciri, & capite plecti unà cum Capitaneo Sſtipka. Quos poſtmodum ſibi fideles advertit, pro iis miſit, & cum iis convivatus eſt. Piſcatorem comitem viæ, & laborum penes ſe poſuit, magnumque honorem exhibuit, ac multis bonis ditavit. Conceſſit etiam, ut in ſuo inſigni ille, & omnis poſteritas geſtaret rubrum Carpionem in aureo campo, quem duo genii tenerent. Uxorem quoque, & proles ejus Vienna advehi curavit, & Regiis donis honoravit. Et Piſcator (cujus DEus devotionem, & miſericordiam captivis exhibitam ità præmiare voluit) ſcripſit ſe Joannes Grundel à Vienna. Et illa turris, in qua ſedit Viennæ Wenceslaus, nominata fuit Pragenſis, eò quod Rex Pragenſis ibi captivus fuerit„. Hactenus *Hagek*.

Potuiſſet certè *Wenceslaus* tot miſeriis à DEO viſitatus, pœnis monitus, & periculis attritus, jam tandem temonem priſtinæ diſſolutiſſimæ vitæ vertere, & in meliorem ſemitam convertere; ſed manſit, ut antea fuit. Igne tribulationis non mollitus, ſed durior redditus. Statim in priſtinas voluptates, ac enatas inde tyrannides prolapſus, poſteriora effecit pejora prioribus! Cum anno 1410. die *S. Remigii* electus fuiſſet *Francofordiæ* poſt obitum *Ruperti Palatini* in Regem Romanorum *Jodocus* Marchio *Brandeburgiæ*, & *Moraviæ*, *Wenceslai* ex Patruo nepos, atque

is

is conſenſum *Wenceslai* poſtularet, reſponſum accepit: *curiæ ſibi imperium non eſſe: ſufficere, quòd maneat in familia dignitas.* Pigritie denique ejus ematuruit hæreſeos ulcus. Quod *Anglia* evomuit, *Boemia* deglutivit. Illa ſervata, hæc deperdita. *Joannes Huſſ*, ſeu *Anſer* (ùt ſuprà *capite ſecundo* fuſiùs enarravi) inter olores ſtrepere incipiens ova peſſima hæreſeos, quæ *Wikleff* in *Anglia* poſuit, hic in *Boemia* excluſit. *Magiſter Marcus* (ait MS. cronicon Coetani (o. 1.)) „ doctor apud Sanctam „ crucem Pragæ claudicantem Wikleſſum optimè novit, qui contrà „ Pontificem, Epiſcopos, & Clerum libros ſcripſit, quod illum „ Epiſcopatu præteriêrint; nam ejus „ extravagantias optimè noverant. „ Hic Joannes Wikleff in quodam „ oppido Angliæ, Wikleff dicto, fuit „ Parochus, doctus præterea, & eloquens. Poſt ejus obitum mirabilia ſcripta, & expoſitiones inventæ ſunt, & ideo illum, ut hæreticum damnârunt, ejusque libros „ prohibuerunt. Quando deinde „ Magiſter Joannes Huſs, & Hieronymus, & alii Magiſtri hos libros „ acceperunt, & legerunt, valde „ ex iis deteriorati ſunt. Nam incepit Magiſter Huſs contrà Pontificem, & contra omnem ſtatum „ Eccleſiæ ad concionem dicere, „ ſacrilegos, ſimoniacos, luxurioſos appellare, & vulgus ſubitò „ incepit Sacerdotes contemnere. „ Wenceslaus Rex imperavit clerum „ ſpoliare, & bona ejus rapere: „ Woksa Raczek Kobyla pro correctore conſtitutus, Sacerdotes multùm emunxit, & omnia, quæ „ poſſederunt, eis rapuit. Poſteà „ Raczek Kobyla ad montes Kutnæos veniens, etiam ibi ad S. Barbaram Sacerdotibus omne aurum „ & argentum abripere voluit. Hoc „ ubi foſſoribus minerarum innotuit, adversùs Kobylam conſurgentes eum diſſecuerunt, & „ unà cum duodecim in ſociis „ foſſâs minerarum præcipitârunt „ &c. Et hoc totum causârunt „ prædicationes Joannis Huſs, „ qui obtendit Sacerdotes & clerum non debere poſſidere bona. „ Et hîc etiam Wenceslaus Rex peſſimè fecit, quòd in hoc conſenſerit, & Raczek Kobyla ad id conſtituerit. Tandem Rex voluit turbas ſiſtere, & ampliùs nequivit. „ Sacerdotes à Rege averſi, quivis „ pro libitu vixit, & turbas concitavit, & hoc uſque in præſentem „ annum 1416. Hæc MS. anonymus è Slavico translatus. Ubi tali modò hæreſis *Huſſitica* in dies valentiora incrementa per inertiam Regis acciperet, *Joannes* Papa Apoſtolicâ ſollicitudine percitus, vehementem ſimul, & affectuoſam epiſtolam Regi *Wenceslao* inſcripſit:

(o 1.) MS. Chron. coetan. apud me fol. 5.

„JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO, „ WENCESLAO REGI ROMANORUM, ET BOEMIÆ ILLUSTRI SALUTEM, ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

„ Inter deſiderabilia cætera cordis noſtri, cùm Regis pacifici, „ qui regnat in cælis, vices quamquàm immeriti, gerimus in terris, illud potiſſimùm accedit ad „ ſummam lætitiam, & ſolamen. „ Quoties inter Serenitatem tuam, „ & chariſſimum in Chriſto filium „ Sigismundum, in Regem Rom. „ electum, & Uungariæ illuſtrem, „ Germanúmque tuum ad tractatum fraternalis concordiæ (per „ quam regna creſcunt, ſed diſcordiâ maximè dilabuntur) perventum eſſe percepimus. Et infrà, „ Et ſicut præmiſſâ lætificant ſupremis gaudiis mentem noſtram, ſic „ ſiniſtris rumoribus aures noſtras „ cre-

„ crebrò infeſtantibus, & ab imis „ præcordiis cor noſtrum conturbantibus anxiamur, quòd in partibus tuæ Regiæ ditioni ſuppoſitis, „ exiſtant nonnulli inhærentes, & „ dogmatizantes errores illius quondam Hæreſiarchæ Wikleff, cujus „ libri à Catholica fide hujusmodi „ erronea, & hæretica continentes, „ in generali Romano Concilio, juſtô fuerunt jam pridem damnati „ judiciô. Et quòd deterius, & „ ad finem, nè propter hujusmodi exceſſus, hæreticorum verſutiis inhærentes, à ſuis ſuperioribus corrigantur, ad tegendam, „ & celebrandam ſuam nequitiam, „ & pertinaciam, deteſtando mandata Sedis Apoſtolicæ, & Superiorum ſuorum, manifeſtè docent „ inobedientiam, claviúmque contemptum, & cenſurarum Eccleſiaſticarum quarumlibet in everſionem Apoſtolicæ dignitatis, „ vili pendentes notoriè Sanctorum „ Patrum, & Sacrorum Canonum inſtituta. Et infrà. Serenitatem „ tuam per viſcera miſericordiæ Dei „ noſtri, quantùm cordialiùs valemus, & poſſumus, exhortamur. „ Quatenus ob Divini Nominis gloriam, cultúmque, & tutélam hujusmodi fidei (cujus defenſionem „ conaris aſſumere, & exponere „ tuas ſubſtantias, atque vires) & „ pro conſervatione tui Regii nominis, ſtatûs pariter, & honoris, regnorúmque & partium tuæ „ celſitudini ſubjectorum, felici ſalutaríque regimine, placeat (prout in deſideriis cordis noſtri gerimus, & ſpe ſimul) taliter & „ tam efficacitet interponere, & excitare totius regalis potentiæ tuæ „ vires, prout Catholicum decet „ Principem, ut labes hæc erronea, „ quæ ſic lamentabiliter ſerpit, & „ pullulat in iſtis partibus, & mentes mortalium inficit in animarum interitum, & ſequeſtrat à „ congregatione puriſſimæ, & Catholicæ veritatis &, fidei extirpetur &c. *Datum Bononiæ III Idus Junii, Pontificatûs noſtri annò quintô*

(p 1.) W*enceslaus* ab *Huſſo*, ejúsque complicibus auro corruptus, oſcitantior egit, adeo, ut dicere ſolitus ſit: *Unde tam beatus anſer natus qui tot aurea, argenteáque ova mihi excludit?* (p 2.) Vet. Copiar. Liter. publ.

(q 1.) Eapropter hæreſeos epidemica lues in *Moraviam* quoque ſe brevì diffudit. *Dominus Laczek* (ait ſuprà *cit. MS.* (r 1.)) *& Dominus Petrus Strazniczky, Dominus Heralt Skalsky, & Dominus Joannes Tovvaczovvsky, Sacerdotes ſectæ Wikleffiſticæ è Boemia in Moraviam traduxerunt, ut ibi ſanguinem Domini diſtribuerunt, contrà hoc Epiſcopus Moraviæ* (*Joannes* à Praga) *valde ſe oppoſuit, at illi hoc non curârunt, deinde Wikleffiſtæ in Moravia multùm ſe auxerunt, plurima mala fecerunt, oppida, arces, & monaſteria, & Eccleſias diruerunt.* Vigilantiâ tamen & zelo *Joannis Epiſcopi*, effectum omnino eſt, quòd *Moraviæ* ab hæreſi tantùm nocitum non ſit ac Boemiæ: „ Ille enim (inquit „ Auguſtinus in Catalogo Epiſcoporum Olomucenſium) non pontificem modò geſſit, ſed fortiſſimum & militem, & Imperatorem, hæreticorum copiis ipſius „ auſpiciis ſæpè fuſis. Cùm is Cataphracto etiam equo inſidens, „ inſtructis eorum aciebus identidem occurrere haud dubitavit, „ ob id vulgò ferreus nuncupatus. Utinam, & *Boemia* eô tempore talem virum Archi-Epiſcopali cathedræ præſidentem poſſediſſet, profectò hæreſis *Huſſii* cum omni Taborum apparatu tenuiores auras exhalare coacta fuiſſet. At quia pigritante Rege, etiam ſtertebat Archi-Epiſcopus, quasì in regni, religionísque interitum fœdere juncti, univerſa traxère in ruinam. *Conradus Archi-Epiſcopus*, ut placeret *Huſſitis*, *articulis Pragenſium* ſubſcripſit, iisdémque *Sigillum Archi-Epiſcopale* extradidit. *Bona dein Archi-Epiſcopatûs*, probaret

(q 1.) Dubrav. li. 23.

(s 1.) MS. Chron. ſuprà cit. fol. 6.

ret opere ſuſceptam ſectam, quæ Clericis bona immobilia poſſidere vetabat, laicis & oppignoravit & vendidit. Cùm demum poſt ſupplicium *Huſii* innumeris ſeditionibus regnum laceraretur, ac hæreſis à rebellione in Eccleſiam, etiam in legitimum Regem roſtrum elevaret, atque privatis heterodoxorum fœderibus omnia ad arma ſuſpirarent, *Sigismundus* Rex *Hungariæ*, ac tum jam *Romanorum Auguſtus*, partes ſollicitudinis, velut *Eccleſiæ Catholicæ Romanæ advocatus*, aſſumens, ſuavibus ſimul, ac fortibus literis heterodoxos proceres ad meliorem frugem admonuit.

„ SIGISMUNDUS ROMANORUM, ET HUNGARIÆ REX.

„ Nobilibus Latzkoni de Kravvars Capitaneo Marchionatûs Moraviæ, Botzkoni de Kunſtat aliàs de Podiebrad, Czenkoni de Wartemberg, & ſingulis aliis Baronibus, Militibus, Clientibus per Regnum Boëmiæ, & Marchionatum Moraviæ ad hanc partem colligatis fidelibus nobis dilectis, gratiam regiam & omne bonum.

„ Audivimus & quotidiana relatione audimus (quòd œdepol dolenter ſcribimus) quomodo vos Domini in Boëmia, & in Moravia diviſiones facitis, partes fovetis, & diſponitis, neſcimus tamen quare. Imò cognoſcimus in jacturam, & præjudicium, dignitatis Sereniſſimi & Chariſſimi fratris noſtri vergere. Verùm antiquitus ſic deductum eſt, quòd nullus Dominorum in regno, præter voluntatem regiam deberet aliquas ligas, ſeu fœderationes inire, neque facere. Sed ſi unus ad alterum aliqualem actionem ſe habere, prætenderet, hoc deberet coram regia Majeſtate, & juris tramite. ſed non guerris diſcuti, & diſcerni. Si verò hoc facitis propter Magiſtrum Joannem Huſs (nam ſicut percipimus, alii parti Huſs favetis, alii verò non) ſcire velitis, ut cùm Huſs primò in Boëmia nominatus fuit, nóſque intelleximus, quòd propter ipſum partialitates inceperunt tenere, ſtatim nobis diſplicuit, quaſi præſcivimus, quòd exinde error multus ſequeretur, & quòd non facilè deduceretur ad bonum finem.

Et infrà.

„ Etsì velletis ità ſeriosè, & rigidè partem Huſs fovere, & defendere, hoc eſſet vobis nimìs difficile, quòd deberetis vos totius Chriſtianitatis congregationi opponere. Et ſicut audivimus, tunc jam taliter incepiſtis, cum deſtinatione cujusdam literæ ad Concilium, multis pendentibus ſigillis ſigillatæ, confundentes, & calumniantes concilium propter Huſs ſupradictum, quódque concilium contrà vos taliter provocâſtis, quòd eſtis jam defactò citati pro oppoſitione ſupradicta. Et fortaſſis rigore juris contra vos procedetur. Et ſi non obtemperabitis, ſicut obedientes filii etiam fortaſſis & crucem contrà vos obtinere poteritis. Ex quibus præmiſſis majora diſcrimina & ſcandala ſequi poſſent, & oriri, de quo cordialiter doleremus. Etſi tunc ad tollendum hoc libenter vellemus partes noſtras interponere, timeremus, nè fortaſſis veniremus nimìs tardè. Ideò affectuosè à vobis omnibus & à veſtro quolibet deſideramus, rogantes quatenus conſideretis, quilibet ſub conſcientia, & honore, utrum hoc ſit congruum, & honeſtum, quòd propter præmiſſa inter vos debeatis diſponere, quòdque propter hoc regna, & terræ periculis, & devaſtationi-

„ bus debeant ſubjici, & deſiſtatis à „ talibus ligis, & conſpirationibus. „ Nam valde indignum arbitramur „ (ſicut præmittitur) quòd aliquis cum aliquo præter ſui Domini voluntatem quoquo modo „ ligas inire & diſponere debeatis. „ Ex quibus quidem ligis partialitates oriuntur, deſtructiones, & devaſtationes terrarum poſt ſe trahentes. Et unusquîsque veſtrûm, „ in fratre noſtro Chariſſimo, Domino ſuo, & in jure, ſi alter ad „ alterum aliquam actionem habere prætenderet, contentetur. „ Præterea ſi iſta cauſa propter diviſionem ſupradictam eſſet ità „ grandis, & ardua, quòd noſtra ad „ hoc interpoſitio eſſet opportuna, „ ſciatis, quòd onus hujusmodi laboris grataniter volumus aſſumere, & cauſam veſtræ diviſionis ex utraque parte libenter examinare, & ſperamus, quòd inter vos bonum medium tangeremus, et quòd ex tali medio vos, „ & terræ ſupradictæ permanebitis „ in bona pace. Denique de ſtatu „ Clericorum ſcimus, qualiter tempore prædeceſſorum noſtrorum „ tentum fuerit, quorum veſtigiis „ (volente Domino) etiam nos inhærere volumus, & Eccleſiæ ſanctæ DEI adhærere, non advertentes quascunque novas adinventiones. Et de fratre noſtro Chariſſimo ſimiliter præſumimus, quòd „ etiam Eccleſiæ ſanctæ DEI adhærebit. Tuncque Clerici inter ſemetipſos ſe corrigent, prout „ ſciunt, habent ipſorum ſuperiores, ad quos talis correctio pertinere dignoſcitur. Etiam habent „ Scripturam Sacram præ oculis, „ cujus interpretationi ipſorum eſt „ intendere, nobîsque ſimplicibus „ non licet, prout neque poſſumus, „ Scripturæ Sacræ profunditatem „ inveſtigare. Et confidimus de „ vobis, quòd nobis in hac parte „ attendetis, quia conſideratis ſingulis, aliud ſentire non poſſumus, niſi quod hoc fratri noſtro „ Chariſſimo ſuprà dicto, & vobis „ ad utilitatem, & honorem, ac terris ſuprà dictis ad pacem, & tranquilitatem gratam, & jucundam, „ nobîsque deſideratiſſimam valde „ cedet &c. (s 1.). Hactenus pius ac prudens Princeps *Sigismundus.* At quoniam hæreſis velut hedera animos jam implexibus ſuis intricaverat, ſani conſilii impatientes, truculento *Ziska* duce arma diſtringentes, ſe religionem, ac regnum tumultibus peſſumdedêre. Anno 1419. Ziska, ut mortem *Huſſi* contrà fidem datam, ut jactabat, perpetratam quacunque demum viâ ulciſceretur, & aliquod *Pragæ* initium turbarum daret, ſuósque ſanguini aſſuefaciendo lanienis promptiores redderet, ac demum grandi aliquo facinore commiſso omni cæterùm gratiâ excidentes, ſibi ut duci fideliores efficeret, die 30. *Julii* plebem concitat, ac primum impetum in monaſterium *Carmelitarum* (quod ii Patres *Conſtantiæ* in *Huſſum*, ac præcipuè *Hieronymum* teſtimonium dixiſſent) furibundâ manu facit. Dein Paroeciâ *S. Stephani* expugnatâ, Parochum raptat, & ex longa trabe ad feneſtram ſuſpendit, inſultante blaſphemis vocibus ſceleratâ multitudine, (t 1.) Ad hæc Senatus *novæ Urbis* Catholicus in curiam congregatus ſeditionem conſilio ſedare cogitat. Erant viri omnes Zeloſi Catholici, præſertim *Nicolaus Judex*, qui juſſu Senatûs ſæpius clandeſtinas coitiones, quibus fœx hominum hæreſim ſuam firmabat, & adversùs legitimos Magiſtratus *Ziskâ* incentore conjurabat, diſſipârat. Nihil verò *Ziska* dicitur tuliſſe ægriùs, quàm quòd Senatus decretum tulerat, ne *SS. Chriſti Corpus* in monſtrantia ſine auctoritate publica per plateas urbis circumferretur, quô veluti inſtrumentô aptiſſimô ad concitandas turbas plerumque hæretici pietatem prætexentes ſceleribus utebantur. Igitur *Ziska*

(s 1.) Cit. Vet. Copiar. Liter. publ. Archiv. Capit.

(t 1.) Szlv. cap. 37. Lupac. 3. Kal. Aug. Dubrav. lib. 24.

ka ſanguinarios ſuos commilitones in curiam ducit, & priùs jurgatur cum Senatu, dein armatus cum armatis proximum quemque vulneribus conficit: ac ne ſui, qui ante curiam ſtabant, otiô marcerent, aliquos ex ſenatu magìs exoſos è feneſtris præcipitat, hos illi cadentes ex alto acutis excipiebant haſtilibus, & ſi quid ſupereſſet animæ, tribulis ferreis excutiebant. *Camerarius Wilhelmus Ssvvihovius*, qui cum trecentis equitibus ad ſedandum tumultum accurrerat, ubi ſuprà modum furentem plebem animadvertit, de ſua vita ſollicitus, receptui cecinit. Tragœdiam brevibus adnotavit Coëtaneus (u. 1.).

(u. 1.) Bartoſs. à Drahonicz MS. hiſt. ſui temp. apud nos fol. 1.

„Anno 1419. Dominica poſt „S. Jacobi projecti ſunt, & interfecti Nicolaus Judex, & Magiſtratuum, & jurati novæ Civitatis Pragenſis de prætorio per Ziskam, & ſuorum complices.„ Magis expreſſit circumſtantias, ac occiſorum nomina alius *anonymus* (x. 1.) „Anno 1419. die „Dominica in feſto S. Abdonis inſtituta eſt ſolemnis ſupplicatio ab „Eccleſia B. V. ad Nives ad S. Stephanum, quo venientes foras clauſas invenêre; itaque effregêre S. „Stephani januas, & ingreſſi miſſam „dixerunt, euchariſtiam ſub utraque ſpecie populo porrigentes. „Dum à proceſſione redirent, ad „curiam novæ civitatis reſtitêre paululum poſtulantes, ut Conſul Senatus, ac judex dimitterent liberos, quos propter uſum calicis carceribus attinerent. Reſpondit intrepidè ſenatus: id ſe facere non poſſe. Interim ex curia, neſcio, quis in Sacerdotem hæreticum, „qui in ſupplicatione populi monſtrantiam, ut dicimus, geſtabat „lapidem jecit. Unde proceſſio „turbata in curiam impetum facit, „& curiam occupat; ante omnes „Magiſtro civium vis, & manus illatæ, Joannes Podvvinzky dicebatur, tum Clemens Sstiaſtnik, Thomas Pellio conſules, Czenko Patriarcha Cognomine, Rzela „Drevvnik, Joannes Humpolecz, „Wenceslaus Barborzin, Joannes „Kaba, Nicolaus Saſyn Judex arrepti. Judicis famulus Gregorius „Walcharz infrà in culina Curiæ „mactatus eſt. Hos Senatores, „quos nominavi, & quosdam alios „immiſericorditer, & immaniter „peremêre. Nam omnes ex feneſtris ſenaculi dejecti neceſſariò in „haſtarum cuſpides, in veruta, „gladios, & ſicas incidebant, & ſi „qui innoxiè cecidiſſent ferratis „flagellis trucidabantur. Hæc autor *Huſſita*, & ideò in circumſtantiis ſuſpectus. Paulò aliter *Dubravius* (y. 1.), & ex eo *Boregk*; „Incedebat Apoſta„ta (*Joannes Monachus Milevuenſis*) „cum pompa ſacrorum per forum „juxtà domum Prœtoriam, in cujus veſtibulo accenſus Prætoris ſedebat, calici non aſſurgens, neque caput denudans, quod ubi „animadvertit Ziſca, comprehendi „accenſum jubet, fugam ille in domum cœptat, ſed in veſtibulo adhuc corripitur. Adeſt confeſtim „Nicolaus prætor, rogatque, „quid ſibi velit hic impetus? hæc „vis? an ſe an ſenatum non habeant, ad quem ſinè tumultu querimonias deferant? at illi prœtorem per contumeliam Germanum „appellant, calicíſque oſorem, & „unà cum accenſo multis ibidem „vulneribus confodiunt. Irrumpunt deinde in Curiam, & cæteris „quoque Senatoribus manus injiciunt, deorſum illos de feneſtris „præcipitantes, gladiiſque, & pilis, atque telis excipientes. Hæc Dubravius.

(x. 1.) MS. cron. Boem. tit. conſules è curia præcipitati apud Balb.

(y. 1.) Dubrav. lib. 24. Boregk. fol. 353. ſylv. cap. 37.

N. 10. Cùm feralis iſta immanitas ad Regem *Wenceslaum* actu tum in arce ſua nova *Kunradice* milliario poſt *Wiſſehradum* prandio aſſidentem allata fuiſſet, exhorruit ille, licèt aliàs ſanguini aſſuetus, & à menſa exſiliit.

ſilüit. Miniſtri aulæ ad tantam atrociam, ac Regis ſui motum attoniti, quid medelæ adhibendum foret, triſtes invicem conſultant (z. 1.) plerisque, actum eſſe, obtendentibus, quod Camerarius Regni, regulato milite repulſus ſit, & furentem plebem maris inſtar, ſi vis addatur, obruere omnia. Pincerna altùm ſuſpirans addidit: *Hunc ego tragicum rei exitum pridem præſenſeram.* Aut ùt habet *Boregk* (a. 2.) *principiis Rex obſiſtere debuiſti.* Quo dicto cauſam ſeditionis in Regis inertiam refundere videbatur. Ad hæcRex irâ frendens, per capillos Pincernam arripit, in terram ſternit, ac pedibus calcat, certò in mortem adfecturus, niſi à circumſtantibus pugionem extorquentibus prohibitus, ac monitus fuiſſet, nè cæde adminiſtri Majeſtatem regiam coinquinaret. Igitur ægrè ſatis illi vitam dimiſit. E furoris intereà violentia Rex paralyſi correptus graviter ægrotare cæpit. Nec Medicorum diligentiâ reſtitui potuit. Sed tandem ſignatis hæreticorum, quos neci deſtinaverat, nominibus, ac fratrem, amicòsque ad auxilia exciens, infrà octodecim dies, cum magno clamore, & rugitu quaſi leonis, ait M. Laurentius (b. 2.), in eodem novo caſtro propè *Pragam* vulgò *Kunradice* die 16. *Auguſti* extinctus eſt. An Sacerdotis aſſiſtentiam habuerit, Autoribus incognitum eſt. Sacrificia tamen pro ejus anima facta commemorat. *Hagekus* (c. 2.), Sed & pro *Ziſka* buſtuario ad tumulum ejus erecto *Czaslaviæ* altari ſacra fecère Sacerdotes Tabores (d. 2.). An autem & qualiter DEUS hæc acceptaverit, quis ediſſeret? Cadaver mandato SophiæReginæ poſt aliquot dies in capellam *S. Wenceslai caſtri Pragenſis* locatum, & abditum: timebat enim, ne regiis exuviis *Ziſkina* factio illuderet. Ejectis conſulibus ferrum, furórque in *nova civitate* dominabatur. Lapſis aliquot hebdomatibus cadaver regium nocturnò tempore ad cœnobiū *AulæRegiæ*, ubi dum ſuperſtes Rex ſibi ſepulturam fieri elegerat, delatum, ibidèmque terræ mandatum (e. 2.). *Joannes* Abbas *aulæ regiæ* metu *Ziſkianæ* plebis, regiâ pompâ ad funus *Wenceslai* temperans, id ſilentio recondi juſſit. Converſi Monaſterii fratres, piſcatores, & piſtores (inquit *Hagekus*) è cœnobii familia ſinè candelis, ſinè lacrymis *Wenceslaum* ad ſepulchrum comitati ſunt. Mortis conſignationem è vetuſta membrana (f. 2.) ſequentem habemus: „ Anno „ Domini M CCCC XIX. feria IV. „ ſequenti die poſt aſſumptionem B. „ Virginis obiit Sereniſſimus Princeps Rex Wenceslaus Rom. & Boemiæ Rex in novo caſtro propè Pragam. Item Coetaneus (g. 2.): „ Anno 1419. poſt feſtum Aſſumptionis B. Mariæ obiit Sereniſſimus „ Dominus, Dominus Wenceslaus „ Rom. & Boemiæ Rex horâ Veſperarum in novo caſtro propè Cunradicz ad Pragam feriâ quinta. „ In craſtino Ziſka cum ſuis complicibus Eccleſias, & Monaſteria „ Pragæ intrans, imagines fregit „ multas. Et eodem die Monaſterium Carthuſienſe per eosdem eſt „ effractum, & in craſtino feria VI. „ concrematum „. Addit *Manlius* è curia ſenatoria *Svvidnicenſi* rudes leoninos:

(z. 1.) Dubrav. loc. cit. Welesl. 17. Kal. Septemb.

(a. 2.) Boregk. cron. Boem. fol. 353. Manl MS. fol. 142.

(b. 2.) MS. cron. M. Laurent. Lupac. 17. Kal. Septembr. Welesl. ibid.

(c. 2.) Hagek fol. 375.

(d. 2.) Bielov. de mutab Relig. in Boem. lib. 2.

(e. 2.) Hagek loc. cit. Dubrav. lib. 24. ſylv. cap. 37. Lupac 17. Kal. Sept.

(f. 2.) Vet. Membran. Archiv. cap.

(g. 2.) Bartoſs à Drahonicz.

Quater C. ſemel M. jungas Annos deca novem Auguſt. ſedena, ſit Regi mortis habena.

Vixit igitur *Wenceslaus* annos *quinquaginta octo*, *quinque menſes*, & *viginti* & *unum diem.* Regnavit in *imperio Romano* annos *viginti tres* ad annum videlicet 1400., quo illi imperium abrogatum. In *Boemia* verò à morte Patris annos *quadraginta unum.* Poſtremò corpus *Wenceslai* è

cœno-

cœnobio *Zbraslavienſi* vulgò *aulæ regiæ*, rurſus levatum, & in *Eccleſiam S. Viti* translatum per ſequentem occaſionem. Dum monaſterium *aulæ regiæ*, quod hactenus *centum triginta ſex* annos, velut mauſolæum *Boemiæ* Regum in ſplendore ſteterat, opulentiâ Ziſkæ oculos incurriſſet, atque is ipſo die *S. Laurentii*, quæ in Sabbatum inciderat anno 1420. ferrô, flammâque deſæviens, id in cumulum projeciſſet: tanta quidem rabie, ut ne tumulis regum parceret, ſed abjectis oſſibus ſacrilegè vaſtaret, & ſpoliaret. *Wenceslai* quoque nuper mortui pigrum cadaver ad ludibrium (ut
(†) Paul. Zidek. MS. lib. conſil. *Paulus Zidek* (†) autor eſt) nudâſſet, & jactâſſet. Piſcator quidam *Muſca* nomine, piſciculos *Wenceslao*, quibus ùt cupediis afficiebatur, vendere ſolitus, Regis, quem amaverat, corpus parvô ære redimens, clam collegit, & in loculo apud ſe domi condidit. Et ità, ſicut in vita piſcatoris operas, ſic poſt obitum quoque ſalvificas ſenſit. Interjecto deinde tempore, cum res in meliorem formam redactæ fuiſſent, atque *Wenceslai* corpus inquireretur, acceptis viginti aureis illud reddidit (h.2.), quod in (h.2.) Sylv. cit. cap. 37. Boregk. fol. 354. cryptam regiam *Eccleſiæ Metropolitanæ* reconditum eſt. Effigies ejus juxta vivum ſaxo inciſa ſpectatur in ejusdem *Eccleſiæ Metropolitanæ* pergula ſuperiori, veteri Scriptura indice:

Wenceslaus primus Rom. & Boem. Rex, Comes Lucemburgenſis, natus Sereniſſimi Principis Domini Caroli IV. Rom. Imperatoris.

Ex his ad extremum notum, perſpectumque fit, quòd ſicut vindicta *DEI Wenceslaum* infamiâ exauctorationis in vita, ità confuſione violati ſepulchri, & negatarum regio more exequiarum poſt mortem quoque puniverit, talionem miro ordine exigendo, dum *Joannem* ſacerdotem *DEO* conjunctum martyriô afficere, affectum ſepultura arcere attentavit. Habent denique omnes Reges, & Principes vivum iræ DEI exemplum, nè voluptatibus vitæ, ac turpi otio immerſi ſe, & Rempublicam peſſumdent, ac malis tandem omnibus, juſtæque Dei vindictæ oſtium aperiant.

NO-

NOTÆ IN CAPUT X.

S*ingula in Notis fuſius.* Ne duplex Sacerdotum homonymorum ſubmerſio, unius Martyris, alterius viri innocentis, quosdam ad confuſionem inducat, operæ pretium duxi ea, quæ *Joannecium* Vicarium Generalem attinent, & hactenus in tenebris delituerant, ad lucem protrahere, ut ſic utrorumque acta eò meliùs, clariúsque ab invicem diſcernantur.

Igitur *Joannecius* fuit *Welfflini*, vel uſitatiùs *Welfflini* aut *Wolfflini* Civis *Nepomucени* filius, natus circa annum Domini 1340, Juventutem egregiè literis impendit. In Neo-erecta Academia *Pragenſi* effectus Sacræ Paginæ, & Decretorum Doctor, dein ad praxim forenſem manum applicans Notarii publici officio diu functus eſt. In quo dum ſe bonis, & Eccleſiaſtico dignis qualitatibus ornaret, ſecundus Archi-Epiſcopus *Pragenſis*, *Joannes* de *Wlaſſim* in eum oculos conjiciens, *Joannecium* Archi-Epiſcopalibus cancellis admovi, *Vicariorum in Spiritualibus Generalium* Notarium, qui eorum acta in formam publicam redigeret, & faſtis ingroſſaret, conſtituendo. *Manual. Act. Curiæ Archi-Epiſ. man. prop. Joan. conſcript. in Archiv. Capit.* Quantùm verò in eo munere diſcretionis, & induſtriæ adhibuerit, & quàm utilis *Archi-Diœcœſi Pragenſi* ultrà decennium fuerit, inſtrumenta publica conficiendo, fundationes Eccleſiarum, & Altarium inſcribendo pleni ſunt antiquitatis Boëmicæ libri, & Archivorum ſcrinia *Archiv. Eccl. Metrop. Archiv. Monaſt. S. Georg. Archiv. Epiſ. Lytomyſl.* Tametſi quidem annus, quo curiam Archi-Epiſcopalem primùm acceſſerit *Joanneicus*, integrè notus non ſit, inter prima tamen ejus inſtrumenta reperio illud, quod *tom. 2. Erect. an.* 1372. *die* 9. *Decembris* expeditum, & *Lit. B.* 1. ingroſſatum eſt, ubi in fine legitur ſolita clauſula Notarii.

Et ego Joannes olim Wolflini de Pomuk Clericus Prag. Diœcœſ. Autoritate Imperiali publ. Notar. &c.

Pari modô in Inſtrumento mambraneo valde longo Archivi Monaſterii *S. Georgii* in *caſtro Pragenſi* ejus fit mentio ſequentibus:

In Nomine Domini Amen.

„ Annô Nativitatis 1374. Indict. 12. ſextâ feriâ, proximâ poſt „ exaltationem S. Crucis, die 15. „ menſis Septembris, hora quasi „ tertiarum, Pontificatûs Sanctiſſimi „ mi in Chriſtò Patris, & Domini „ Domini Gregorii Divinâ Provi„ dentiâ Papæ XI, annô quartô, in „ minori civitate Pragenſi, in Curia „ Archi-Epiſcopali, in Conſiſtorio, „ Honorabili Viro Domino Jen„ czone Præpoſito Eccleſiæ S. Cru„ cis Wratislavienſis, Curiæ Archi„ Epiſcopalis Pragenſis, & Apoſto„ licæ Sedis Legati Officiali, pro „ tribunali ſedente: diſcretus Vir „ Dominus Joannes de Pomuk, „ Notarius Cancellariæ Domino„ rum Vicariorum in Spiritualibus „ Domini Archi-Epiſcopi Pragenſis „ comparuit &c. Inter fragmenta *Archivi - Epiſcopalis Litomyslenſis*, quæ nunc in curia Senatûs *Litomyslenſis* aſſervantur, etiam oſtenditur inſtrumentum (quod ſuprà per extenſum retuli) à *Joanne* Notario clauſulatum.

Et

Et ego Joannes olim Welſſini de Pomuk dictus, Pragenſis diœceſis Imperiali Autoritate Notarius publicus, pronuntiatorum laudo definitionem &c.

Rursùs *Tom.* I. *Erect. T.* 7. *fol.* 108. refertur ratificatio vineæ, & piſcinæ Capellæ dictæ *Jeruſalem* in *Praga.* Ubi *Joannes DEI Gratia S. Pragenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus Apoſt. Sedis Legatus univerſis, ad quos præſentes pervenerint, ſalutem à Domino. Noveritis nos literas, ſeu inſtrumentum publicum in pergamena ſcriptum cum ſubſcriptione Joannis de Pomuk publici authoritate Imperiali Notarii* &c. *Actum an.* 1375. *die* 15. *Novembris,* Demum *Tom.* 12. *Erect. E.* 18. *fol.* 98. legitur exarata majuſculis quadratis manu propriâ Joannis ſequens rubrica: *Annô Domini MCCCLXXX. indictione tertiâ, à die menſis Januarii, ut infrà præſentia Protocolla coram Vicariis in Spiritualibus Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Joannis Archi-Epiſcopi Pragenſis tertii Apoſtolicæ Sedis Legati ſecundi, per Joannem de Pomuk Notarium publicum deſcribuntur, ut ſequitur.* Ex hac rubrica clarè diſpicitur, quàm à limine aberrent omnes ii, qui acta *Joannecii Wolflini* cum ſcriptis *S. Joannis Nepomuceni* hactenus confuderunt. Eccui enim perſuaſibile erit, *S. Joannem Nepomucenum*, ab an. 1380. tribus ſolùm uſque ad annum martyrii 1383. *Canonicum Metropolitanum*, Confeſſarium Regium, atque ſimul etiam *Notarium,* & *Scribam Conſiſtorialem* fuiſſe? Nemo non ineptitudinem palpat. Vulgus demùm, & qui id ſequuntur propter ὁμωνυμίαν *Joannis de Pomuk* hæc promiſcuè confundunt. Porrò ex recitata rubrica eruo, Tomos *Erectionum* aliquot à ſæpè dicto *Joannecio de Pomuk*, dum is munus *Notarii Archi-Epiſcopalis* obiret, conſcriptos fuiſſe. Hoc munio ad curiam Archi-Epiſcopalem diu functum, doctrinâ, vitæque probitate inſignem, tandem *Joannes* à *Genſtein,* ordine jam *tertius Archi-Epiſcopus Pragenſis Joannecium* ipſis Conſiſtorii Subſelliis admovit. *Manuale Actorum Curiæ Archi-Epiſ. manu Joannis conſcript. Archiv. Capit.* in quo Aſſeſſoris officio dum uſque ad an. 1389. diligenter, ac zelosè verſatus fuiſſet: Idem *Joannes Archi-Epiſcopus* ad *Vicariatum in Spiritualibus Generalem*, & Capitulum *Wiſſehradenſe* ad Canonicatum adelegit. *Tom.* 3. *Erect. c.* 3. *fol.* 38. *Joannes Pomuk Decretorum Doctor, Canonicus Eccleſiæ Wiſſehradenſis, Vicarius in Spiritualibus Reverendiſſimi Domini Joannis Archi-Epiſcopi* confirmat donationem cenſuum pro Eccleſia Parochiali in *Przibislavv*, quódque Plebanus teneatur tres Vicarios alere an. 1389. Annô demum ſequenti ob egregia prorsùs vitæ, ac in *Eccleſiam Pragenſem* merita *Capitulum Metropolitanum* eundem honoribus domûs ſuæ auxit, non quidem ad Canoniam præbendatam, ſed tamen inter non præbendatas ad *Archi-Diaconalem Zatecenſem* provehendo: *Tom.* 4. *Erect. J.* 1. *fol.* 3. *Joannes Pomuk Decretorum Doctor Canonicus Wiſſehradenſis, & Archi-Diaconus Zatecenſis in Eccleſia Pragenſi, Vicarius in Spiritualibus Generalis. an.* 1390. *die* 3. *Sept.* In ſimili *eodem Tom.* 4. *T.* 1. *fol.* 11. *an.* 1391, *die* 17. *Febru.* Eodem *Tom. c.* 3. *fol.* 34. *an.* 1392. *die* 8. *May.* Et demum eodem *Tom.* 4. *G.* 4. *fol.* 58. *Joannes Pomuk Decretorum Doctor, Canonicus Wiſſehradenſis, & Archi-Diaconus Zatecenſis in Eccleſia Pragenſi, Vicarius in Spiritualibus Generalis*, confirmat donationem 4. ſexage. pro altari *S. Catharinæ*

tharinæ in Eccleſia Parochiali in *Obrziſtvvie* an. 1393. die 3. *Martii.* Et hæc confirmatio fuit omnino ultima ante ſubmerſionem ejus in *Moldava.* Ex deductis refutatur error Authorum, qui è ſcriptis *Huſſitarum* decepti, *Joannecium* Suffraganeum *Metropolitanum*, & per conſequens *Epiſcopum* effinxerunt. Patet equidem clarè ex allegatis expeditionum formulis, præter Doctoratum, & duos Canonicatus ſuper Vicarii Generalis officium nihil ampliùs geſſiſſe, etiam in ultima confirmatione, quam paulò ante ſubmerſionem expediverat. Nam contrà ſtylum curiæ fuiſſet, ſi *Epiſcopatûs characterem*, dignitatem maximam, poſitis minoribus titulis in publicis expeditionibus omiſiſſet. Manet igitur eum ſolùm *Vicarium in Spirtualibus Generalem*, non verò Suffrageneum, & Epiſcopum fuiſſe. Nihil officit narratio *Huſſitarum*, utpote hæreticorum, qui ſicut ab Eccleſia Catholica, ità etiam à rerum Catholicarum cognitione ſunt ſæpè alieni. Exemplum habemus in *Lupacio*, qui duos illos Canonicos Metropolitanos à Wenceslao captivatos cum duobus Monachis confudit, ait enim in *Kalend. ad* 8. *Febr.* poſtquam captivitatem Wenceslai retuliſſet, *id plerique, inter quos Hagekus, Divino Judicio, & ultioni divinitùs eidem Regi irrogatæ imputant, eò quòd aliquando duos cœnobitas immerentes capi, & verò in carcerem contrudi juſſiſſet. Itaque ab illis Monachis eum hujusmodi pœnas, & quidem bis conſecutum iri Regi ore vatidicô fuiſſe antedictas.* Magìs ridiculus eſt recentior Autor *Lutheranus*, qui in ſua *memorabili Praga*, ad deſcriptionem pontis *Prageni*, & ſtatuarum, ſtatuam *S. Cajetani*, librum, calamumque tenentis, rum *S. Matthæo Evangeliſta* confudit, & plura ſimilia in recenter editis lexicis Teutonicis inveniuntur. Ad extremum circà diem ſubmerſionis, nam de anno 1393. omnes conveniunt, diſſidium oriri videtur. *Hagekus*, & *Lupacius* locis citatis, *poſtridie feſti reliquiarum*, *Weleslavinus Kalend.* 13. *Kal. May.* clariùs ponit, *Sabbatum poſt feſtum reliquiarum.* Alii diem 20. *Aprilis*, alii à tranſlato anniverſario decepti, diem 20. *Martii* ſubmerſioni aſſignant. Litem hanc dirimere videtur *Protocollum Capituli Metropolitani*, eo ipſo anno ſcriptum, dum laconicè adnotat:

„JOANNES PRÆCIPITA-
„TUS 1393 DIE 19. APRILIS.

Ad hæc animum adjeci, an non fortè illa poſtea *dies Reliquiarum* in 19. *Aprilis* annô 1393. incidiſſet? ut ità *protocollum* cum *Hagecio*, & *Lupacio* conveniret. Luſtravi membraneum *Eccleſiæ Metropolitanæ* rubricarium, & feſta *Aprilis* inveſtigavi, ſed nullum, quod *SS. reliquis* dedicatum foret, toto *Aprili* reperi, ſolùm in fine menſis rubrica adjecta fuit ſequens: *Proxima die Veneris poſt octavam paſchæ feſtum de lancea, & clavis Domini duplex* 2. *claſſis.* Animadvertens autem inſtrumenta Dominicæ paſſionis per excellentiam *Reliquias Domini* appellari, tentavi, num illo anno 1393. hoc feſtum in diem 18. Aprilis incidiſſet, ut poſterâ die feſti, quæ *Sabbatum* fuit, juxtâ *Weleslavinam* ſubmerſio peracta fuiſſet. Et in veritate ſic omnia comperi, tali viâ. Proponens calculos paſchales, inveni illo annô *paſcha* celebratum fuiſſe, 6. *Aprilis*, nunc juxtà præcitatam rubricam feſtum *lanceæ* in diem *Veneris* proximam poſt *octavam paſchæ*, quæ 13. *Aprilis* agebatur, conjeci, & re ipſa diem 18. *Aprilis*, quo illo anno feſtum *lanceæ* & *clavorum reliquiarum Chriſti Domini* celebratum fuit, deprehendi ſubmerſionem *Joannecii* (quæ *poſtridie* illius feſti id, eſt die 19. *Aprilis*, quæ erat *Sabbatum*, antecedens *Dominicam* 11. *poſt Paſcha*, qua legitur Evangelium. *Bonus paſtor dat*

animam

animam pro ovibus ſuis, contigerat) anteceſſiſſe. Et ità citatos Autores cum protocollo convenirem, litem dirimere, in lucem pono.

Porrò cùm tam *Vicariatus Generalis*, quàm *Archi-Diaconatus Zatecenſis* multos peregregios viros in antiquitate tulerit; libet hìc quorumdam è buſtis memoriam, nè penitùs intereat, commemorare.

Series quorumdam Vicariorum Generalium Pragenſium in Spiritualibus.

Sub Arneſto I. Archi-Epiſcopo Prag.

Joannes dictus *Gaduan* Decret. Doctor, Officialis curiæ Archi-Epiſcopalis an. 1345.

Henricus Prag. & Olomuc. Eccleſiarum Canonicus, Officialis Curiæ Archi-Epiſcopalis an. 1350.

Bohuta Archi-Diaconus Kurimenſis in Eccleſia Pragenſi, & *Stephanus* Canonicus, & Vicarius Archi-Epiſcopi in eadem Eccleſia; Vicarii Generales in Spiritualibus *Venerabilis in Chriſto Patris, & Domini Domini Erneſti Archi-Epiſcopi Pragenſis*, anno 1351.

Bartholomæus Eccleſiæ S. Ægydii Pragæ Decanus, *Pragenſis*, & *Wratislavienſis* Canonicus, Officialis Curiæ Archi-Epiſcopalis an. 1352.

Petrus Archi-Diaconus Horſſovienſis in *Ecceſia Pragenſi*, Officialis Curiæ Archi-Epiſcopalis an. 1358.

Detlebus Stormer Decretorum Doctor, Canonicus *Pragenſis* & *Camienſis*, Vicarius in Spiritualibus Generalis, an. 1364.

Sub Joanne de Wlaſſim ſecundo Archi-Epiſcopo.

Jenczo Licentiatus in Decretis, Canonicus *Pragenſis*, & *Wiſſehradenſis*, Præpoſitus *Eccleſiæ S. Crucis Wratislavienſis.* Hic Vir à copia actorum poſt ſe relictorum plurimam ſuæ doctrinæ, & ſedulitatis reliquit memoriam, de eo *Lupacius: Die 22. Aug.* 1380. *obiit Venerabilis Dominus Jenczo, Curiæ Archi-Epiſcopalis prudens officialis.* Fundavit anniverſarium in *Eccleſia Pragenſi.*

Joannes de Lytomysl Licentiatus in Decretis; Decanus. *S. Apollinaris Pragæ*, Vicarius Generalis. an. 1372.

Borſſo Archi-Diaconus *Bechinenſis*; in *Eccleſia Pragenſi* Vicar. General. an. 1372.

Buſco Archi-Diaconus *Curimenſis*, & *Sazema* Præpoſitus, *Tynenſis*, Canonici *Eccleſiæ Pragenſis*, Vicarii *Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Joannis Archi-Epiſcopi* in Spiritualibus Generales, an. 1366. & ſeq.

Cunſſo de *Trzebowell* Decretorum Doctor, *Joannes Pruſſinecz* Canonici *Pragenſes*, Vicarii in Spirit. General. an. 1378.

Sub Joanne à Genſtein, tertio Archi-Epiſcopo Pragenſi.

Cunſſo de Trzebovvel Cuſtos, & Canonicus *Pragenſis*, & *Joannes* Præpoſitus *Zderasdenſis*, DecretorumDoctores, Vicarii Generales anno 1380.

Mathias de Strampnik, Decretorum Doctor, Vicarius in Spiritualibus *Reverendiſsimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Joannis Archi-Epiſcopi Pragenſis* an. 1383.

Joannes Peczník, Scholaſticus, Eccleſiæ *Wiſſehradenſis*, Vicar. Generalis Archi-Epiſcopi an. 1387.

Joannes de Pomuk, Decretorum Doctor, Can. Prag. & Wiſſehradenſ. Vic. Gen. ab anno 1389. ſubmerſus à *Wenceslao* Rege die 19. *Aprilis* an. 1393.

Nicolaus Puchnvik, Licentiatus in Decretis, Canonicus Pragenſis, Vicar. Gen. an. 1393. à die 21. *Aprilis*, poſt obitum *Joannis* à *Pomuk*.

Joannes Kbell, Decretorum Doctor, plebanus Eccleſiæ in *Kbell*, Canonicus *Pragenſis*, cum *Jaroslao* Canonico à *Wenceslao* Rege incarceratus Vicar. General. an. 1394.

Woyslaus plebanus Eccleſiæ in *Milczin*; corrector cleri Diœceſis Pragenſis Vicar. General. an. 1395.

Adam de Neczeticz, Decretorum Doctor, Archi-Diaconus *Gradicenſis*, in *Eccleſiâ Pragenſi* Vicar. Generalis in ſpirit. an. 1396.

Sub Wolframo, quarto Archi-Epiſcopo Pragenſ.

Nicolaus Puchnik, Licentiatus in Decretis, *Pragenſis*, *Wiſſehradenſis*, & *Olomucenſis* Eccleſiarum Canonicus, *Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Wolframi S. Prag. Eccleſiæ Archi-Epiſcopi Apoſtolicæ Sedis legati*, Vicarius in ſpiritualibus Generalis an. 1398.

Ogerius Rector Eccleſiæ Parochialis in *Liticz*, Corrector cleri Diœceſis Prag. & Vicarius in ſpiritualibus Archi-Epiſcopi Prag. an. 1398.

Sub Puchnico, quinto Archi-Epiſcopo, brevì mortuo.

Sub Zbincone, ſexto Archi-Epiſcopo Pragenſi.

Adamus de Neczeticz, Decretorum Doctor, Archi-Diaconus *Pragenſis*, *Reverendiſſimi Patris Domini Zbinconis* D*EI gratiâ Archi-Epiſcopi*

Pragen-

Pragenſis & S. Apoſt. ſedis legati, Vicarius generalis in ſpiritualibus anno 1406.

Joannes Kbell decretorum doctor, Canonicus *Pragenſis*, Vicarius Generalis in ſpiritualibus anno 1407.

Nicolaus Czeiſelmeiſter decretorum doctor Archi-Diaconus *Horſsovienſis*, in *Eccleſia Pragenſi*, curiæ Archi-Epiſcopalis Prag. & Apoſt. ſedis legati Officialis. An. 1410.

Sub Albico ſeptimo, & Conrado Weſtphalo octavo, Archi-Epiſcopis Pragenſibus.

Wenceslaus Gurim, Magiſter Artium, canonicus montis *S. Petri* in *Brunna*, Reverendiſſimi in Chriſto Patris *Albici* DEI gratia Archi-Epiſcopi *Pragenſis* in ſpiritualibus Vicarius. Anno 1412. die 29. May.

Wenceslaus Gurim, decretorum doctor, Eccleſiæ Pragenſis Scholaſticus, *Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Conradi Archi Epiſcopi Pragenſis* Vicarius in ſpiritualibus Generalis. An. 1419.

Sub Joanne Epiſcopo Olomucenſi, & Adminiſtratore Archi-Epiſcopatûs Pragenſis.

Joannes de Kralowicz, Magiſter in artibus, & Baccalaureus in decretis, Decanus *Eccleſiæ Pragenſis*, & *Joanco de Duba*, Canonici præbendati *Eccleſiæ Pragenſis*, Vicarii in ſpiritualibus Archi Epiſcopatûs Pragenſis per *Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Joannem Epiſcopum Olomucenſem, Adminiſtratorem dicti Archi-Epiſcopatûs à ſede Apoſtolica confirmatum*, conſtituti.

Sub Cunczone, Epiſcopo Olomucenſi, & Adminiſtratore Archi-Epiſcopatûs Pragenſis.

Simon de Nymburga decretorum doctor, Archi-Diaconus *Boleslavienſis* in *Eccleſia Pragenſi*, & *Joanco de Duba*, Canonici *Eccleſiæ Pragenſis*, Vicarii in ſpiritualibus Archi-Epiſcopatûs Pragenſis Generales, à *Reverendiſſimo in Chriſto Patre, & Domino, Domino Cunczone DEI gratia Epiſcopo Olomucenſi, Pragenſis Eccleſiæ, & Archi-Epiſcopatûs Adminiſtratore à ſede Apoſtolica conſtituto*, deputati. An. 1434.

Reſtitutâ ſede Archi-Epiſcopali poſt centum, & quadraginta annorum vacantiam.

Sub Antonio nono Archi- Epiſcopo Pragenſi.

Petrus Periſtenius SS. Theologiæ doctor, Canonicus *Pragenſis*, Officialis curiæ Archi- Epiſcopalis, *Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini Antonii Archi- Epiſcopi Pragenſis*, Vir in reducendis ab *Huſſi* hæreſi Boemiæ diſtrictibus indefeſſus, ac Antonii Archi- Epiſcopi in Archi- diœcæſi Pragenſi viſitata laborum, & ſollicitudinum ſocius. Dein Poſtulatus in Abbatem monaſterii *Plaſſenſis Ord. Ciſter.* An. 1567.

Sub Martino decimo.

Sub Zbigneo undecimo, & ſub Carolo à Lambery duodecimo Archi- Epiſcopis Pragenſibus.

Georgius Bartholdus Pontanus, SS. Theologiæ Licentiatus, Præpoſitus *Pragenſis.* Ejus tempore à *Zbincone* Archi- Epiſcopo celebrata fuit ſynodus nationalis, in qua cogenda, ordinanda, terminanda, multa ſollicitudine laſſus fuit *Pontanus.* Habuit prima die ſynodi, quæ fuit inchoata die *S. Wenceslai Ducis & Mart.* an. 1605. orationem de *dignitate Sacerdotis.*

Sub Joanne Lohelio decimo tertio Archi- Epicopo Pragenſi.

Caſparus Arſenius SS. Theologiæ doctor, *S. Metrop. Eccleſiæ Prag.* Decanus. Ejus vigilantiã & prudentiam in officio Vicarii Generalis vide ſuprà in *ſerie Decanorum.*

Sub Arneſto Cardinali ab Harrach decimo quarto Archi- Epiſcopo Pragenſi.

Joſephus Marcarius à Merſelicz SS. Theologiæ, & J. U. Doctor. Ejus merita vide in *ſerie Decanorum.*

Joannes Franciſcus Raſch SS. Theologiæ doctor. Præpoſitus *Pragenſis.* Vide *ſeriem Præpoſitorum.*

Andreas Clemens Kokr SS. Theologiæ doctor, S. M. Eccleſiæ Pragenſis Decanus.

Sub

Sub Matthæo Ferdinando decimo ſexto Archi-Epiſcopo Pragenſi.

Thomas Joannes Peſſina à Czechorrd SS. Theologiæ Doctor, *S. M. Eccleſiæ* Decanus, tandem *Epiſcopus Samandrienſis.*

Auguſtinus Pfalz SS. Theologiæ Doctor, *S. Metropol. Eccleſiæ* Scholaſticus,

Wenceslaus Bilek à Bilenberg SS. Theologiæ Doctor, S. *Metropol. Eccl. Prag.* Decanus.

Sub Joanne Friderico decimo ſeptimo.

Et

Joanne Joſepho decimo octavo Archi-Epiſcopis Pragenſibus.

Wenceslaus Bilek à Bilenberg SS. Theologiæ Doctor, Decanus Pragenſis.

Daniel Joſephus de Mayrn SS. Theologiæ Doctor, S. M. E. Pragenſis Præpoſitus.

Sub Ferdinando Archi-Epiſcopo Pragenſi decimo nono (titl. pl.)

Daniel Joſephus de Mayern, Epiſcopus Tiberiadenſis, SS. Theologiæ Doctor, Præpoſitus Pragenſis, Suffraganeus, & Vicarius in ſpiritualibus generalis, & Officialis (titl. pl.)

Sub Daniele Joſepho Archi-Epiſcopo Pragenſi vigeſimo.

Joannes Mauritius Wenceslaus Martini in Alma Univerſitate *Carolo-Ferdinandea Pragenſi* SS. Theologiæ Doctor, *S. Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis* Prælatus, & Archi-Diaconus.

Sigillo in expeditionibus ſuis hodie utuntur *Vicarii Generales* Archi-Epiſcopali, quod â dextris arma *Eccleſiæ Pragenſis*, à ſiniſtris propria Archi-Epiſcopi præſentat. Olim officium *Vicariatûs Generalis* propriô utebatur ſigillô, & gerebat in ſcuto *S. Wences-*

Wenceslaum, expanſo vexillo ſtantem inter arma Eccleſiæ, & Archi-Epiſcopi, ut videre eſt ſub *Joanne* a *Genſtein* Archi-Epiſcopo, & *Borſsone* ejus Vicario Generali in inſtrumento censûs 2. *Sexag.* in villa *Chwallow* anno 1382. ſub *Wolframo*, & *Zbincone* Archi-Epiſcopis, & *Joanne Kbel*, eorum Vicario Generali in inſtrumento, quo inſtituit ad Parochiam *S. Clementis* pro Rectore Joannem Protivva Anno 1407. & habebat circularem inſcriptionem: *Sigillum officialatûs curiæ Archi-Epiſcopalis Pragenſis.* Aut, *Sigillum Vicariatûs Archi-Epiſcopalis Pragenſis.*

In illa magna ſedis Archi-Epiſcopalis vacantia per centum quadraginta annos *Vicarii Generales Archi-Epiſcopatûs Pragenſis*, uſi ſunt ſigillo *Eccleſiæ Olomucenſis* poſt *Joannem* videlicet, & *Cunczonem* Epiſcopos *Olomucenſes*, & primos ſedis Archi-Epiſcopalis adminiſtratores, gerebant nempe penes arma *Eccleſiæ Pragenſis*, *ſex pyramides*, quatuor in ſuperiori campo, & duos in inferiori, quemadmodum adhuc hodie *Eccleſia Olomucenſis* iisdem utitur. Atque illud quidem ſigillum adhuc ſub *Caſparo Arſenio* anno 1618. & ſub *Joſepho Macario* anno 1629. in uſu erat cum inſcriptione: *Sigillum Vicariatûs Generalis Archi-Epiſcopatûs Pragenſis.* Nunc porro ſede Archi-Epiſcopali vacante, & jurisdictionem gerente capitulo, Vicarii Generales Capitulares, ſigillo utuntur ſpeciali, in quo repræſentatur *S. Wenceslaus* cum ſcuto Eccleſiæ ſonante inſcriptione: *Sigillum Reverendiſſimi ſemperque fidelis capituli Pragenſis, ſede Archi-Epiſcopali vacante.*

Series quorumdam Archi-Diaconorum Zatecenſium in Eccleſia Pragenſi.

Populoſam olim fuiſſe nimiùm urbem *Zatecenſem* oſtendit multitudo Sacerdotum. Nam præter Archi-Diaconum, & Decanum novem numerabat plebanos, id eſt, parochos. *Lib.* 10. *Erect. A.* 7. An. 1413. lego inter teſtes pro Eccleſia in Wtutek D. *Petrum in Hotedecz*, Decanum *Zacenſem*, & *Lib.* 13. *Erect. E.* 5. conſtitutos 38. groſſos censûs pro novem plebanis civitatis *Zatecenſis*, apud Laicum quemdam de *Coſseticz* pro plebanis *S. Mariæ* in *Zacz*. *S. Martini*, *S. Jacobi*, *S. Nicolai*, *S. Michaelis*, *S. M. Magdalenæ*, *S. Wenceslai*, *S. Procopii*, *S. Joannis* in præurbio civitatis *Zacenſis.* Item *lib.* 3. *Erect. E.* 3. in mutatione agrorum Eccleſiæ in *Liboczan* cum Martino Pittauſo cive *Zatecenſi Beneſſium* Decanum *Zatecenſem* ad An. 1389.

Theobaldus Archi-Diaconus *Zatecenſis* in *Eccleſia Pragenſi* ſub *Przedwogio*, Decano an. 1358.

Paulus Archi-Diaconus *Zatecenſis*, & Canonicus *Pragenſis*, fit ejus mentio in inventario rerum *Eccleſiæ Pragenſis* ſub *Wrativvogio* Decano anno 1368.

Beneſſius Krabice à Weitmil Baccalaureus in decretis, Canonicus *Pragenſis*, & Archi-Diaconus *Zatecenſis*, dein anno 1380. Vice Decanus Capituli, tempore *Hinkonis Kluk* exauctorati Decani ſcripſit *hiſtoriam Boemiæ*, quam ab anno 1374 deducit, liber 4. totus in vita *Caroli* abſumitur, digna aliquando typis.

Joanneccius ſeu *Joannes Wolflini* de *Pomuk* Archi-Diaconus *Zatecenſis* in *Eccleſia Pragenſi*, & Vicarius Generalis

lis in ſpiritualibus à *Wenceslao IV.* ſubmerſus 1393.

Joannes Weſtphal Canonicus *Pragenſis*, & Archi-Diaconus *Zatecenſis.* Fit ejus mentio in inſtrumento Archivi Capitularis, quo capitulum Procuratores, & actores in puncto litis cum Abbate *Zedlecenſi Joanne* de limitibus fodinarum Kutnenſium ponendis conſtituit, die 3. Sept. an. 1403.

Zdenko de Chraſt Magiſter in artibus, Archi-Diaconus *Zatecenſis*, & Canonicus *Pragenſis* anno 1414. & ſeq. Tempore Conradi Archi-Epiſcopi in Huſſi hæreſim prolapſi, propter fidelitatem in ſedem Apoſtolicam plurima cum cæteris canonicis perpeſſus, obiit in exilio *Zittaviæ.*

Magiſter Nicolaus de Ush, Canonicus *Prag.* & Archi-Diaconus *Zatecenſis* circa 1455. Hunc remiſſè agentem officii ſui monuit *Hilarius*, Decanus, & Adminiſtrator Archi-Epiſcopatûs Pragenſis: „ M. Nicolao Ca„ nonico Eccleſiæ Pragenſis, & Ar„ chi-Diacono Zatecenſi. Vene„ rabilis Domine Archi-Diacone. „ Miramur, quòd negotium fidei, „ ità remiſſè agitis, & cives veſtri „ tam ſegnes ſunt, ut deſides præ „ timore mundano, verbis fidem „ confitentur, & factis negant. O„ râſtis pro illis, ut ſuperſederemus „ ab executione &c. Quapropter „ niſi citò obtemperaveritis, & ad „ diem 1. Junii nobis aliquid certi „ reſponderitis, ex tunc, prout ex „ nunc vos, & Clerum veſtrum Au„ ctoritate Apoſtolica ſuſpendimus „ à divinis. Ex nova Plzna die 26. „ May an. 1367. ſub noſtro Secreto. Archiv. capit.

Fundavit *Nicolaus* quatuor miſſas in *Eccleſia Pragenſi.* De iis in MS. „ Cod. Regiſt. fundat. & Altar. fol. „ 21. Ad Altare S. Mariæ in cho„ ro Pragenſi fundavit M. Nicolaus „ Archi-Diaconus Zatecenſis, & „ Canonicus Pragenſis IX. Sexag. ad „ 4. miſſas.„ Videtur obiiſſe circa annum 1473. quod colligitur ex literis *Hannuſſii* Præpoſiti apud *Paprocżk inſtat. Equeſt. fol.* 143.

M. Paulus de Plzna, Magiſter in artibus, Canonicus præbendatus *Eccleſiæ Pragenſis*, & Archi-Diaconus *Zatecenſis* anno 1476. fuit in exilio *Plznæ*, multa odio fidei ab *Huſſitis* perpeſſus.

M. Paul. Radek Mag. in ſacra pagina, Canonicus Pragenſis, & Archi-Diaconus *Zatecenſis.* Fit ejus mentio in literis *Ambroſii de Plzna*, Decani *Pragenſis*, quibus inſtituit Vicarium in *Eccleſia Pragenſi Joannem de Stredonia* anno 1491. Obiit die 14. Auguſti, ſed annus non conſtat. Fundavit anniverſarium, de eo in libro *portion.* „ & anniv. MS. XIX. Kal. Sept. „ Eodem die obiit Paulus Archi„ Diaconus Zatecenſis, & Canoni„ cus Pragenſis. In cujus anniverſa„ rio Miniſter S. Chriſtophori, dat „ Canonicis, & miniſtris 2. Sexag. „ & 4. gr. pro officio, & candelis „ 2. gr. pro miſſis 1. gr. pro pane.

Dein *Zatecium* datis *Huſſo* manibus, exactis Archi-Diaconis *Eccleſiæ Pragenſis*, directum fuit à prædicantibus ſectæ *Huſſiticæ*, de uno eorum ad diem 26. Sept. narrat *Lupacius*: „ An. „ 1567. Reverendus Vir, & Pres„ byter Mathias Lunæus artium li„ beralium Academiæ Pragenſis Bac„ calaureus placidè ex hac vita emi„ gravit Nymburgæ, ubi & huma„ tus quieſcit prædicator, paſtor, „ atque Decanus Satecenſis, atque „ Nymburgenſis Eccleſiarum vigi„ lantiſſimus. Is non pauca ad po„ ſteritatem transmiſit monimenta, „ per quæ, & multò maximam in „ noſtra patria partem Concionato„ rum erudiit. Hæc *Lupacius Huſſita.* Habuit & Rectores Scholarum

ſectæ *Huſsiticæ*, de uno, & ordine jam ſexto *Joanne Andrea* vide cit, *Lupac ad diem 27. Sept.*

Sigillum Archi-Epiſcopale.

Extraditionis actum *notat* Manuſcriptum membran. Archiv. Capit, „ An. 1421. die 7, Julii habita ſunt „ comitia ordinum Regni Bohemiæ „ Pragæ iu collegio magno, in quibus Conradus Archi - Epiſcopus „ tradidit ſigillum Conſiſtorii ordinibus, & nomen parti ſub utraque dedit: ideóqe inter ordines „ receptus. Hoc fuit initium Adminiſtratorum, & Conſiſtorii Pragenſis ſub utraque communican„ tium in Regno Boëmiæ, & Marchionatu Moraviæ, quod poſtea „ & Cæſar Sigismundus literis ſuis „ confirmavit, ut in Regnum quaſi „ poſtlimiò reſtitueretur. Hæc, *MS.*

Bona Archi - Epiſcopatûs laicis oppignoravit.

Conſignatiò *bonorum Archi - Epiſcopatus Pragenſis* oppignoratorum & & elocatorum à *Conrado* Archi - Epiſcopo reperitur in quadam membrana *Archivi Capitularis* ſequentis tenoris.

Bona quæ à Cunrado Archi-Epiſcopo. Sunt obligata ad tempora vitæ, vel aliàs.

„ RZECZICZE, & PELTRZIMOW Domino Joankoni de Chotieniez ad tempora vitæ, & filii „ ejus in IV. millibus ſexag. Groſ. Prag.

„ NERATOWITZ villam, & „ pratum obligata Domino Nicolao „ Chudii ad redemptionem in CCC. „ ſexag.

„ CHRASTIAN Joanni olim „ ſubcamerario Domini Regis in CC. „ ſexag. quas debet continuare in„ frà ſex annos.

„ KYGE Chriſtophoro in CCCC. „ ſexag. quas debet continuare in„ frà quatuor annos.

„ BRODA BOEMICALIS civi„ tas cum curia allodiali Liblicz & „ ſingulis villis, ac pertinentiis uni„ verſis: præter duas villas, quas „ Dominus Franciſcus Præpoſitus „ Boleslavienſis tenet, ad tempora „ vitæ, in DC. ſexag. Et duas vil„ las, quas M. Albertus tenet, & ju„ dicium in Broda, quod Purphar„ dus tenet, Joanni Secretario in „ CCC. & XVII. ſexag. uſque ad ex„ tenuationem hujusmodi debiti.

„ ZBUZANY villam, Domina „ Dorothea Celna tenet, in c. ſexag.

„ WIELNO villam tenet Wlaſ„ ko ad tempora vitæ ſuæ, & fratris „ in CCC. ſexag.

„ TYNA BECHINENSIS obli„ ligata in duobus millibus ſexage„ narum.

„ KOGETIN in Moravia tenent „ incolæ ibidem per ſe ad extenua„ tionem debiti in MCC. ſexag. *Lib.* „ 13. *Erect, Y.* 17. 18. continen„ tur literæ *Cogetinenſium*, quibus fa„ tentur, quòd, cùm ſpectaſſent ad „ Eccleſiam *Pragenſem*, à ſe venditos „ eſſe à *Conrado* Archi-Epiſcopo *Pra„ genſi* cum villis omnibus Nobili D. „ *Joanni Puſska* de *Kunſtat*, donec re„ dimerentur à ſucceſſoribus.

„ Oppidum HLU in Bavaria ob„ ligatum in M. florenis Rhen: quod „ tenet Nobilis de Nothafft in Ba„ varia.

„ Judicium in ROKICZANO „ obigatum ad quatuor annos in „ C. & XX. ſexag.

„ DOMUM INQUISITIONIS „ HÆRETICÆ PRAVITATIS prope S. Joannem in vado in majori „ civitate Pragenſi, tenet Wlaſko „ ad tempora vitæ in XXZ. ſexag.

RAU-

„ RAUDNICIUM ARX & op„ pidum cum viillis & aliis omnibus „ appertinentiis Joanni Smirziczky „ in IV mill, ſexag,

„ Item TYNA HORZESSII, „ HORSTEINA, HELFENBUR„ GUM, STEPANOVIUM, CHE„ GNOVIUM, HERALECIUM, „ KRZIWSAUDOVIUM., SUPI„ HORA, WISKITNA, HOSST„ KA; PRZIBRAMUM, RICH„ NOVIVM, ROSMITHALIUM; „ quorum pretia oppignorationis „ nondum ſcita ſunt,

„ Hæc dein bona cum aliis Ec„ cleſiarum, & cleri bonis, Re„ ges proceribus heterodoxis, ut eos „ ſibi addictos redderent, in feuda „ concedere ſolebant,

„ Tali modô Sigismundus Rex „ medietatem ditionisRoſmitalenſis, „ quæ erat Archi-Epiſcopalis, per „ Arneſtum I. Archi-Epiſcopum „ comparata, Joanni, & Wences„ lao fratribus Zmirzlikonibus de „ Swoyſſina in M. ſexag, Groſ. „ Prag.

„ ROKYCZANAM oppidum „ cum omnibus villis & bonis jure „ hæreditario ab antiquo ad id ſpe„ ctantibus Joanni Zagimucz de „ Kunſtat primô, deinde Joanni „ Mallowvecz.

„ STIEPANOW oppidum cum „ arce & pagis.

„ KRZIWSAUDOW oppidum „ cum arce, & 10. pagis, Nicolao „ Treczki in IX. mill. & XII. floren. „ Hungar.

„ BILANI & ZBIOHLAWII „ cum eorum appertinentiis. *Petrzichoni Sacerdoti* (ſectæ Huſſiticæ, quâ tamen Sacerdotibus bona immobilia poſſidere prohibebantur, utpote hamô *Huſſii Hæreſiarchæ* capientis eo avidos ſæcularium animos, & in partem ſuam, quò volebat, trahentis) *in DC ſexag.* Fuit *Petrzih* Sacerdos, (quem non immerito *Hagek*, peſſimum latronem, & ſanguinarium appellat) de commilitaribus *Ziſcæ*: ſinè ornatu in caſtris miſſam celebrans, ac cum Taboribus adverſus religionem catholicã ferrô, ac flammâ pugnans, tantam per latrocinia autoritatem nâctus in Regnô, ut jam ipſi Principi formitabilis evaſerit. Lego enim apud „ Paproc, in ſtat. Equeſt. fol. 41. ſe„ quentia: An. 1436. Inter Sereniſ„ ſimum Principem, & Dominum „ Dominum Sigismundum Rom. Imp. „ Hungariæ, & Boëmiæ Regem ex „ una, & Bedrzikonem de Straz„ nicz Sacerdotem Taboritam ex „ altera parte pacem componunt. „ Ulricus de Roſenſerg, Ulricus Co„ mes Ciliæ, Alſſo de Sternberg, „ Hinczo de Birkſtein Præfectus Re„ gni, Caſpar Schlik Cancellarius „ Regis, Haſsko de Waldſtein, Er„ neſtus Wlaſſim, Przibik de Kle„ novva, Joannes de Kunvvald „ Subcamerarius. Vixit adhuc Æ„ neæ Sylvii ætate, ut ille memi„ nit in ſuâ Hiſtor. Bojem. cap. 46. „ Erat, & tertius exercitus, quem „ fratrum Orebitarum appellari di„ ximus Hinc Ductor fuit Petrzi„ chus Presbyter Straznicenſis na„ tione Moravus, qui bellis aſſiduis „ Sileſiam affectavit. Hic etiam ho„ die vivit, & urbem Coloniam „ (Colinium) appellatam poſſidet. „ Qui ſpretâ religione Chriſtianâ, „ calcatóque Pontificio jure uxorem „ publicè duxit, & illa mortuâ, al„ tram ex Polonia ſuperduxit, ex „ qua filios ſuæ nequitiæ ſectatores „ ſuſtulit.

„ BRZEZANY Joanni Tlunæ „ de Wrahby in CCC ſexag.

„ PELHRZIMOVIUM oppi„ dum cum viginti quinque pagis „ Buriano, Zbynconi, & Nicolao „ Fratribus Treczkis in tribus mill. „ ſexag.

„ PRZIBRAMUM oppidum cum „ arce & XLV. pagis Hanuſſio de „ Kollowrat ad dies vitæ.

„ BRODAM BOEMICALEM „ in pleniorem libertatem vendica„ vit, & inter Regias Urbes coopta„ vit.

„ Parimodô Albertus, Ladis- „ laus, & Georgius, ut procerum „ animos ad obſequia haberent, us- „ que ad ſecundam & tertiam ge- „ nerationem bona Eccleſiaſtica „ protenderunt poſſidenda.

„ Wladislaus profuſior ea planè „ abalienabat, ità CHEYOVIUM „ quod antea Mallovecii fiduciario „ nomine tenebant, Adamo de no- „ vo domo.

„ PRSYBRAMBIUM cum arce „ & pagis atque Civitate Joanni „ Peſsky de Komarovva.

„ KOGETINIUM in Moravia „ Wilhelmo de Pernſtein, & alia aliis „ poſſidenda conceſſit. Hujusque vetus membrana.

Sigismundus tamen dein Imperator conſcientia DEO dicatorum motus, ſpeciali ſanctione, quæ originaliter in Archivo *Eccleſiæ Pragenſis* aſſervatur *ſcrin. diplom. Reg.*, & unde hæc excerpſi, omnes & ſingulas hujusmodi factas alienationes revocavit, & annullavit: „ Attendentes (inquit) hujusmodi trans- „ ſcriptionem, & alienationem bo- „ norum Eccleſiaſticorum in perſo- „ nas ſæculares, quacunque occa- „ ſione ſeu conditione factas, tam „ à legibus, quàm Canonibus fore „ irritas & inanes, nec debere ſub- „ ſiſtere, ſeu valere; non per er- „ rorem, aut improvidè, ſed animô „ deliberatô, maturô omnium Ele- „ ctorum Sac. Rom. Imp. & alio- „ rum multorum Principum Co- „ mitum, & Communitatum Im- „ perii Sacri, & Regni Boëmiæ „ communicatô conſiliô, præfatam „ transſcriptionem, & alienationem „ de poſſeſſionibus Eccleſiæ Pragen- „ ſis præfatæ, quibuscunque per- „ ſonis, quacunque occaſione, con- „ ditione ſeu colore factas, aucto- „ ritate Romana, & Boëmiæ Regiâ, „ tenore præſentium revocavimus, „ irritavimus, annullavimus, revo- „ camus, irritamus, annullamus, „ & nullius dicimus pronunciamus, „ & declaramus debere eſſe robo- „ ris, vel vigoris, decernentes, & „ volentes quòd honorabilis Præpo- „ ſitus, Decanus, totumque Capi- „ tulum Eccleſiæ Pragenſis & etiam „ ſingulares perſonæ, etiam aucto- „ ritate noſtrâ, & ſuâ propriâ, aſ- „ ſumptis ſibi ad hoc, ſi opus fue- „ rit ſuis fautoribus & amicis, ſe „ de eisdem bonis Prag. Eccleſiæ „ omnibus, & ſingulis, ubicunque „ etiam fuerint conſtituta, debeant, „ & poſſint intromittere tenere, „ uti, frui, absque impedimentis „ cujuscunque, & quorumcunque „ etiam noſtras literas habentis, ſeu „ aliàs cum violentia poſſidentis, & „ poſſidentium &c. Datum Norim- „ bergæ an. Domini 1422. die Do- „ minico proximo ante feſtum S. Bar- „ tholomæi Apoſt. Regn. noſtro. „ Anno Hungariæ 36. Rom. 12. „ Boëm. 3.

Ad Mandatum Domini Regis.

D. G. Epiſcopo Patavienſi Cancellario referente.

Franciſcus Præpoſitus Strigonienſis.

Et ità ſit libri primi de Vita

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

FINIS.

Re-

RERUM MEMORABILIUM
AB IPSO AUTHORE
INDEX
CONCINNATUS.

A.

S. Adalbertus Epiſc. Prag. Româ redux benedicit in monte viridi Boëmiæ. fol. 2
Ejusdem ibi fonticulus, pedis, & ſeſſionis veſtigium. 10
B. Adamus primus Abbas Eboracenſis Monaſterii Ord. Ciſterc. 5
Mittit Coloniam Ciſtercienſem Nepomucum. 6
Alto-Vadum Monaſterium Ciſterc. Fundatur. 4
S. Amabilia Ord. S. Benedicti prima Antiſtes Klattovienſis. 14
Antonius Archi-Epiſc. Prag. Orator Cæſaris in Concilio Tridentino. 107
Lutheri hæreſim eliminat.
Canonicis prædicationis Cathedram confirmat.
Antonius Timmermans S. Ord. Prædicat. Martyr Pœnitentiæ præfat. 4.
S. Apollinaris Eccleſia Collegiata in Monte Ventoſo. 67
Aquæ potatio, ſeu ſubmerſio, vetus ſupplicium. 341
Aquila S. Wenceslao pro inſigni ab Imperatore data 18
Archi-Epiſcopatûs Pragenſis bona. 183
à Cunrado alienata. 412
Archi-Epiſcoporum Pragenſ. doctrinâ, & ſanctitate vitæ illuſtrium ſeries. 102
Arneſtus primus Archi-Epiſcopus Pragenſis ſepelitur Glacji. 102
Aula regia monaſterium Ciſtercienſe fundatur 4
AulaRegum Bohemiæ in Veteri urbe Pragenſi, nunc Seminarium Archi-Epiſcopale. 282
Aurea Corona monaſterium Ciſtercienſe fundatur. 4
Aureo-aut Spino-Coronæ in tilia creſcunt caputiata folia. 14
Auſtenſium ad Albim munificus benefactor Franciſcus Raſch Præpoſ. Prag. 142
Auſtriacæ domûs cum Przemyſlæa conjunctæ arbor Genethliaca. 18
Authores, qui vitas Sanctorum ſcripſêre. in præfat. 2
Authores Wenceslai Imper. malam vitam deſcribentes. 290 ſeq.

B.

BArthl Henricus Proto-Decanus Capit. Regino-Hrad. Procurator cauſæ. præfat. 3
Bavariæ domûs pietas. 204
S. Benignæ corpus monaſterio Inſulano donat Udalricus ab Hazenburg Decanus Prag. 147
Bohemiæ regni felicia tempora. 47
Bona Capituli Pragenſis ante Huſſii hæreſim. 187
Breüner Joannes Archi-Epiſcop. Prag. vid. Joannes.
Brzevvnovienſe monaſterium Ord. S. Benedicti ædificatur. & reſtauratur. 12
Brzimota Eremita in Monte viridi. 2

C.

CAncellariatûs regni munus Præpoſituræ Wiſſechradenſi adjunctum. 228
Canonicatus omnium Sanctorum ſolis confertur Profeſſoribus Carolini. 284
Canonicatûs Pragenſis janua Cathedra prædicandi verbum DEI. 107
Canonici duo Pragenſes à Wenceslao Imp. carceri includuntur. 374
Wenceslao binam captivitatem prænuntiant 375
Canonici Pragenſes diſputant cum Rokyczana victoriosè. 79
Canonici Pragenſes Proto-Notarii Regis Bohemiæ. 187
à Benedicto XIII. obtinent crucem cum icone S. Joannis portandi in pectore. 191
Canonici Pragenſes S. Joanni Nepom. conviventes. 337
Capella Hazenburgica ſub turri Pragenſis Eccleſiæ 38
Capituli Pragenſis in Univerſitatis primos Profeſſores munificentia. 64

Capituli Wiſſehradenſis in Univerſitatem Prag. collata munera 64
Capitulum Metropolitanum Prag. ſeſſionem, & votum in provinciæ Diætis habet. 135. 184
Uſum infularum obtinet, 162
item Rochetum, & cappam magnam. 164 189
Capitulum Pragenſe Pontifici, & legitimo Principi ſemper fidele. 22
Carceris, & torturæ locus S. Joannis Nep. 329
Carolus de Lamberg Archi-Ep. Prag. proceſſionem ad B. V. Boleslavienſem inſtituit. 113
Carolus IV. Imperator contra futuras hæreſes decreta ſtatuit. 168
pie moritur, & in Eccleſia Pragenſi ſepelitur. 169
Carolus IV. ſedecim marcas auri donum mittit B. V. Mariæ Aquisgran. 198
Cothieſchovienſis Præpoſitus Sulco repellit incurſum Bavaricum. 22
Ciſtercienſium monaſteria in Bojemia. 3
Clyvina idolum muliebre Studenecii 3
Collegium Carolinum fundatur Pragæ à Carolo IV. Imp. 79
Conductus ſalvus, quantum juſtitia, & orthododoxæ fidei ratio patiebatur, datus Huſſo. 24
Conradus de Stiekna Can. Regul. zeloſus Prædicator Pragæ in Tein. 91
Conſecratio Eccleſiæ Metropol. Prag. 99
Conſtantienſe Concilium cogitur. 24
Corporis Chriſti capella Nepomuci. 31
Cruciferi de Pœnitentia. 363
Crucifixi effigies in ponte Prageno mira patrat. 354 ſeq.
Crucifixi imaginem luto conſpurcat Hieronymus Hæreſiarcha. 51
Crucifixi imago in domo natalitia S. Joannis. 48. 56.

D.

DAniel Joſephus Mayer Archi-Epiſc. Prag. per meritorum gradus aſcendit. 131
Decanum Capituli Pragenſes Canonici liberè eligunt. 152. 156
Decanus Capituli Pragenſis omni exceptione dignior eſſe debet. 151
Dedicatio Eccleſiæ Pragenſis. 181
Dithmarus primus Epiſcopus Pragenſis, annus ordinationis illius reſtituitur. 9
Domus natalitia S. Joannis Nep. in Eccleſiam convertitur 53
Eccleſiæ in domo natalitia S. Joannis deſcriptio, & moderna facies 59
Illuſtratur hæc Eccleſia mirabili ſplendore. 60
Domus natalitiæ S. Joannis poſſeſſores variis infortuniis atteruntur. 48
Duplex portio Decani Pragenſis ab antiquitate probatur. 149

E.

Eccleſiæ Metropolitanæ Prag. dedicatio 181
Eccleſia in domo natalitia S. Joannis Nep. vid. domus Natalit.
Eccleſia Metropolitana Pragens. à S. Wenceslao ædificatur. 98
hujus Eccl. Metrop. fabrica continuatur. 370
Eccleſia prima Chriſtiana in Bohemia Regino-Hradecii 172
devaſtatur, & nunc denuo reſtauratur. 172
Eccleſiarum Chriſtianarum in Bohemia primitùs ædificatarum ſeries. 172
Epiſcoporum Pragenſium ſeries. 100
Equulei tortura, & inſtrumentum. 333
Erectionum libri continentes fundationes ſacrificiorum &c. 86
Erneſtus à Schleinicz Præpoſ. Prag. cum Luthero diſputat. 141
Erneſtus Cardinalis ab Harrach Archi-Epiſc. Prag. virtutibus inſignis, mirus Eleemoſynarius. 118
Erigit contractum ſalis, & Seminarium Archi-Epiſcopale. 119
purgat Bohemiam ab Huſſitis & Lutheranis. 120

F.

FErdinandus Comes Künburg Archi-Epiſc Prag. coronat Carolum VI. Imp. in regem Bohemiæ 130
S. Joannis Nep. canonizationem procurat. 131
Fidelitas Capituli Pragenſis. 149. 151
exhibita Principibus terræ, & eorum deſuper gratiæ. 158
exhibita ſummis Pontificibus, & eorum deſuper gratiæ. 161. ſeq.
Fridericus Dux Bohemiæ à S. Petro flagellatur. 76
Fridericus I. Imperat. ornamenta Eccleſiarum in ſuum uſum rapit. 78
Fridericus II. Marchionis Miſniæ exemplaris vita. 36

G.

GEorgius Saxoniæ Dux monet litteris Lutherum, ut reſipiſcat. 37
Germani ſtudioſi cum Profeſſoribus ſuis ab Univerſitate Pragenſi diſcedunt. 23
S. Guntheri Eremitæ ſepultura Brzevvnoviæ. 12

H.

HAſſenbergius Joannes Præpoſ. Litomericenſis & coadjutor Olomucenſis. 94
Haſſenburgicæ Capellæ ſub turri Pragenſis Eccleſiæ Altaria, & fundationes. 39
Hæreſes extirpandas multùm juvant domini territoriales. 33

Hæ-

Hæreſum origo plurimùm eſt ſuperbia. 34
Hæretici ad Eccleſiam Catholicam cogendi 50
Henricus II. Dux Bohemiæ fundat monaſterium Ciſterc. Nepomuci. 6
Suſcipit crucem pro expeditione ad recuperandam terram ſanctam. 7
Moritur, & ſepelitur in monaſterio Nepomuceno. 7
Henricus VIII. Rex Angliæ invadit res ſacras, & perpetuò eget. 78
Hieronymus Faulfich homo laicus prædicat in Eccleſia Bethlehem. 23
Hiſtoriæ Bohemiæ conditor Coſmas Decanus 144
Hiſtoricus perſona publica. in præfat. 3
Huſs Joannis tenuis ortus, arrogantia, & hæreſis initia. 22
Huſſitæ eligendum Archi-Epiſcopum veneno auferunt. 108
Huſſiticæ hæreſeos ventura mala viſione cælica fuêre oſtenſa Joanni à Gerſtein Archi-Ep. Prag. 383
Huſſiticus Rex Podiebradius ſupremi Cancellariatûs officium aufert Præpoſituræ Wiſſehradenſi. 228
Huſs laicos ſua manu utraque ſpecie comunicat. 405

I.

S. Jacobi Apoſtoli Eccleſia Paræcialis Nepomuci. 3
Inſigne Bohemiæ Aquila ab Imperatore. 18
Joanna regina directore S. Joanne ad omnem pietatem incitatur. 195
Wenceslaum maritum de melioranda vita admonet. 202
virtute vitæ Wenceslao fit inviſa. 299
ſanctè è vita migrat. 368
Joannes Comes Breüner Archi-Epiſc. Prag. attentionis in S. functionibus accuratus exactor. 126
Joannes Comes de Waldſtein Archiepiſcop. Prag. ſanctè & innocenter vivit, Eccleſias fundat, ſubditos eximit, jura & libertates ſtatûs Eccleſiaſtici defendit. 124. ſeq.
Infirmitatem patientiſſimè ſuſtinet, piè moritur, & poſt mortem apparet. 125
Joannes de Gerſtein Archi-Epiſc. Prag. inſtituit feſtum Viſitationis B. V. 105
Joannes de Wlaſſim Archi-Epiſc. Prag. fit primus Legatus, & Cardinalis. 103
Joannes IV. Epiſc. Prag. ultimus ædificat monaſterium Raudnicii, & pontem per flumen. 101
Joannes Lohelius Archi-Epiſc. Prag. mirus Eleemoſynarius oſculatur Chriſtum. 114
Monaſterium Strahovienſe reſtaurat.
Liberam Præpoſiti Prag. electionem defendit. 115
Ordini Ciſterciensi monaſterium Oſſecenſe reſtitui procurat.
Statui Eccleſiaſtico ſeſſionem in comitiis regni poſtliminio reddit.
Lutheranis Eccleſiam Kloſtergrabii ædificare prohibet.
In ſacco ſtramineo moritur 116
Joannes Militius Prædicator Teutonicus in læta curia zeloſiſſimus. 89
S. Joann. Nep. nativitas, & cœlicus ſuper domo natalitia fulgor. 47
Humaniora literarum ſtudia. 55
Altiora Philoſ. Theol. & Juris ſtudia. 66
Academici ſuſcepti gradus. 69
Vitæ probitas, & virtutum zelus. 195
Vocatio ad Eccleſiaſticum ſtatum. 87
Suſceptum Sacerdotium..
Parochiale munus. 88
Miſericordia erga pauperes. 90
Zelus Prædicationis. 89
Munus Decani ad omnes Sanctos. 201
In Canonicum Pragenſem electio. 166
In munio prædicandi Adalberto Rauconis ſucceſſio. 167
In Confeſſarium Reginæ, & Eleemoſynarium Regis aſſumptio. 197
Donum Prophetiæ. 168
S. Joannes Nep. à Wenceslao tormentis ſubjicitur 301
E ſuggeſtu valedicit, & munus Prædicatori alteri commendat. 300
Thaumaturgam Vetero-Boleslavienſem viſitat. 334
Rursùm à Wenceslao angariatur, & ſubmergitur. 335
Id quidem die 16. Maii. 1383. 343
In loco, ubi nunc crux in ponte ſtat. 354
Super corpus apparent lumina, & areſcit fluvius. 335
Ex aqua levatur, ad Crucigeros deponitur. 336
Ad Eccleſiam Metropolitanam ſolemniter transfertur. 337
Ad ſepulchrum patrat miranda. 339
Sepulchrum cratibus cingitur, & lampade honoratur. 339
S. Joannes Nep. in Prædicatione Teutonica ſuccedit Joanni Militio. 89
Proto-Martyr Pœnitentiæ. in præfat. 4
Joannes Pragenſes Epiſc. & Archi-Epiſcopi magna ſanctitate præfulſerunt. 129
Joannes Rex Bohemiæ excæcatur. 77
Joannes Sarcander Martyr Pœnitentiæ. in præfat. 4
S. Joanni Nep. Epiſcopatus Litomiſslienſis, & Præpoſitura Wiſſehrad. offertur. 196
Joannis Wolflini à Pomuck Vicarii Generalis ſubmerſio, & plura circa illum ſpecialia. 373. 402. ſeq.

K.

Klattoviani Principes munifici in Nepomucum. 3
Klattovienſe monaſterium S. Laurentii Ord. Benedict. fundatur. 6
Klattovienſe ſuburbium olim villa ſtudenecz. 2
Klattovienſis civitatis ædificatio. 11
Klattovienſis Parthenonis prima Antiſtita Ord S Benedicti S. Amabilia. 14
Klattovienſium primus Parochus Wotico. 11
Künburg Ferdinandus Archi-Epiſc. Prag. vid. Ferdinandus.

Kuttenbergenſes offerunt S. Wenceslao argenteam lampadem. 122

L.

LEopoldus I. Imper. lapidem primum ponit pro altera parte Eccleſ. Metrop. Prag. 123
Libri erectionum continentes fundationes Sacrificiorum Miſſæ in Bohemia. 86
Linguam S. Joannis Nep. miraculosè immutatam primus obſervat Daniel Joſephus Mayer Suffraganeus Prag. 132
Lipſienſis Univerſitas fundatur. 35
Literarum origo in Bohemia. 71
Lithomyſslenſe Cœnobium in Cathedrale Capitulum convertitur 255
Lithomyſslenſe oppidum, & caſtrum ab Orphanis diruitur. 274
poſſidetur ab equitibus Koſtka. 274
A Baronibus de Bernſtein. 275
A Comitibus de Trautmansdorff. 276
Lithomyſslenſi Epiſcopatui pars Diœceſis Pragenſis, & Olomucenſis ceditur. 260
Lithomyſslenſis Epiſcopatûs Adminiſtratores. 276
Vicarii Generales & Officiales. 277
Lithomyſslenſis Epiſcopatûs, & Capituli memoriæ. 228
Lithomyſslenſium Epiſcoporum ſeries, & paſtorales virtutes. 267
Lythomyſslii fundat ordini Præmonſtrat. Cœnobium Dux Przetislaus. 251
Idem Cœnobium auget bonis Rex Wladislaus 252
Abbatum quorundam ſeries. 254
Litomericenſium Epiſcoporum ſeries, & paſtorales dotes. 278
Lohelius Joannes Archi-Epiſc. Prag. vid. Joannes Lohel.
S. Longini M. corpus Eccleſiæ Wiſſehrad. donatur, & miraculis Huſſitas confundit. 226
Lutherus ab Erneſto à Schleinicz Præpoſ. Prag. diſputando convincitur. 141

M.

S. Margarethæ Eccleſia Monaſterii Nepomuceni Ord. Ciſt. 2
Cultus, Reliquiæ, Eccleſiæ. 11
Martinicz Jaroslaus & Guil. Slavata in Octava S. Joan. Nep. è feneſtra præcipitati. 321
Obtinent Confeſſarium Joannem Can. Prag. 321
Martinus Archi-Epiſcopus Prag. ab Huſſitis, & Lutheranis multa patitur. 110
Archi-Diœceſim viſitat, & plurima bona facit. 109
Mathæus Ferdinandus Archi-Epiſc. Prag. erigit Altare S. Wenceslai in Capella. 121
Mayer de Mayern Archi-Ep. Prag. vid. Daniel.
Militius Joannes reſignat Arch-Diaconatum Pragenſem. 94
vindicatur ab infamia hæreſis. 92
potens in verbo & opere. 95
Miſſniæ Marchionis Friderici II. laus, & exemplaris vita. 36
Moniales ad S. Georgium in Caſtro Pragenſi ſpiritûs directorem habent S. Joannem Nep. 168
Dein alium Canonicum Pragenſ. virum pium Adalbertum. 192
Mons viridis ad Nepomucum benedictione S. Adalberti vireſcit. 2
Mons viridis in arcem & propugnaculum Catholicorum convertitur. 27
Zdenkoni à Sternberg poſſidendus conceditur. 28
Montis viridis, Nepomucenique dominii è familia Sternbergica poſſeſſores. 29

N.

NEpomucena Eccleſia Parochialis dat ſigna mortis familiæ Sternbergicæ. 30
Nepomuceni Monaſterii, & ruderum ejus moderna facies. 26
Nepomuceni Monaſterii bona expilata. 21
Nepomuceni Monaſterii Prior Robertus fit Epiſcopus Olomucenſis. 4
Nepomuceni Parochi, & Decani. 31
Nepomuceno è monaſterio poſtulati Abbates Spino-Coronam. 21
Nepomucenſe Monaſterium Ord. Ciſter. primum eſt in Bohemia. 5
Nepomuci florent literarum ſtudia. 20
Nepomuci Monaſteria duo Ciſterc. fundantur ab Henrico II. Duce. 4
Nepomucum oppidum in circulo olim Klattovienſi, nunc Plznenſi. 2
Ædificatur à Studenecenſibus. 3
Augetur à Principibus Klattovianis, & DEO dedicatur. 3
Nepomuck oppidum incendiis fortuitis vaſtatur. 26
Notarum hiſtoricarum utilitas. 9

O.

OMnium Sanctorum in Caſtro Pragenſi Præpoſitorum ſeries. 287
Decanorum ſeries. 288
Opatovicenſis Monaſterii benefactor Albertus à Sternberg Epiſc. Lithomyſslenſis. 269
Neplach Abbas & hiſtoricus. 270
Oſſecum Monaſterium Ciſtercienſe fundatur. 4

P.

PArochiales fundos, agros, proventus, Huſſitici nobiles occupant. 109

Parochialis Eccleſia Nepomucena dat ſigna mortis familiæ Sternbergicæ. 30
Parochi, & Decani Nepomuceni. 31
Parvi corpore, magni animo. 224
Plaſſium Monaſterium Ciſterc. fundatur. 4
Plznenſes cives ædificant Capellam S. Margarethæ V. 14
Plznenſis Civitas offert S. Wenceslao pretioſam iconem. 122
Podlacziczii Monaſterii Ord. S. Benedicti vaſtatio, & plura de illo. 13
Polus Reginaldus Cardinalis vindicatur ab infamia hæreſis. 93
Prædicatorum in Eccleſia Metropol. Prag. è Capituli gremio eloquentiâ, eruditione, ſanctitate conſpicuorum ſeries. 303. ſeq.
Præpoſitorum Omnium Sanctorum ſeries. 287
Præpoſitorum Pragenſis Eccleſiæ virtutibus fulgentium accurata ſeries. 136
Præpoſitorum Wiſſehradenſium vitæ meritis conſpicuorum ſeries. 222
Principes DEO, & Eccleſiæ devoti à DEO benedictione implentur. 75
Principes rerum ſacrarum invaſores perpetuò egentes. 76
S. Procopius ſibi diem feſtũ in Bohemia vindicat. 48
Profeſſores emeriti Carolinæ Univerſitatis in Canonicos Pragenſes eliguntur. 171
Przemyſlææ domus inſignia tres lineæ, aut fluvii in campo rubeo. 16
Przemyſlææ & Habſpurg domûs & ſanguinis conjunctio. 18
Genealogica tabula. 19

R.

Regino-Hradecenſium Epiſcoporum ſeries. 280
Roſenſis familiæ inſignia. 16
Rothmanus primus Abbas S. Benedicti Klattoviæ. 3

S.

Sacrificiorum fundationes in Eccleſia Nepomucena. 44
Sbinco de Bercka Archi-Epiſc. Prag. viros doctos colit, & æſtimat. 111
Titulum Principis recuperat.
Synodum Archi-Diœceſanam celebrat.
Concilii Trid. decreta pro Bohemia acceptat. 112
Scalicium Monaſterium Ciſterc. fundatur. 4
Sedlecium Monaſterium Ciſterc. fundatur. 3
Sepulchra familiarum in Eccleſia Nepomucena. 43
Sigillum Abbatis & Conventûs Nepomuceni Ord. Ciſterc. 4
Sigillum Decani, & ſemper fidelis Capituli Pragenſ. 158
Sigillum minus Capituli Wiſſehradenſis, flagellatio Friderici Ducis. 76
Sigillum Præpoſituræ Pragenſis. 144
Sigismundus Imp. aureum S. Wenceslai ſarcophagum in ſtipendium militibus dedit. 78
Alienationem bonorum Eccleſiaſticorum annullat. 414
Ssvvihovvskianæ familiæ agnatus Henricus II. Dux Bohemiæ. 6
Ssvvihovvskianæ familiæ inſignia, & plura memorabilia de iis. 15
E Sternbergia familia Montis viridis poſſeſſores. 29
Strahovienſe Monaſterium fundatur à Wladislao rege Bohemiæ. 6
Studenecii ædificant Nepomuckum. 3
Studenecz villa hodie ſuburbium Klattovienſe. 2
Sueci minorem Pragam noctu occupant. 143
Suetislaus Sacerdos Studenecenſium Apoſtolus. 3
Svviticenſe Monaſterium Canoniſſarum S. ſepulchri cum duplici rubea cruce. 108

T.

Tabularum regni Bohemiæ inſignes memoriæ. 81. ſeq.
Theobaldus dominus territorii Klattoviani. 7
Originarius familiæ Dipoldicæ.
Inſigne habet tres lineas, aut flumina in campo rubeo.

V.

VValdſtein Joannes Fridericus Archi-Ep. Prag. vid. Joannes.
Wenceslai pigri obſcæna infantiæ facta vitæ malæ prognoſtica. 198
Immutati mores, & turpis vita. 199
Authores fatigavit ſcribendo. 203
S. Wenceslai reliquiæ inventæ. 121
Wenceslaum Imp. pigrum Huſſitæ annua panegyri honorabant. 59
Wenceslaus Imper. Joannam Conthoralem flagitiis ſibi parem reddere cogitat. 299
In Conthoralis vitam inquirit.
Joannem Confeſſarium tormentis ſubjicit. 301
In Moldava ſubmergit. 335
Legationem imperii Principum ſpernit. 366
prima vice captivatur, & mirô modô liberatur. 376
à Romano Imperio deponitur. 388
altera vice captivatur & Viennam ducitur. 392
Contrahit infirmitatem, moritur, & ſepelitur. 399
Wenceslaus piger naſcitur, Rex Rom. deſignatur, & coronatur. 168. 192
Laudabiliter regere incipit. 169
Veſtes Sacræ Sacerdotales ab incendio immunes. 43
Vicariorum Generalium Pragenſium in Spiritualibus ſeries. 405
Viſionem mirabilem S. Guilielmo Archi-Ep. Bituricenſi habet Arnoldus Decanus Prag. 145

Wiſſehradenſis Eccleſia eſt Regum Bohemiæ Cancellaria & Specialis Capella. 217
Non habuit ortum propter diſſidium Fratrum. 213
Eximitur, & nullius Diœceſis conſtituitur. 219. 226
ab Huſſitis flammâ, & ferrô vaſtatur. 219
Wiſſehradenſis Eccleſiæ Fundationis literæ. 208
Benefactores Duces & Reges Bohemiæ. 212
Benefactores Sum. Pontifices. 218
Wiſſehradenſium Canonicorum quorundam nomina. 241
Wiſſehradenſium Decanorum ſeries, & eorum virtutes. 233
Wiſſehradenſium Præpoſitorum ſeries, & eorum præclara merita, & virtutes. 220
Munus Supremi Cancellarii Regni amittitur. 228
S. Viti brachium S. Wenceslao donatur ab Imperatore Henrico. 98
S. Viti Templum Metrop. reſtaurare incipit Matth. Archi-Epiſc. Pragenſ. 123
Univerſitas Pragenſis erigitur à Carolo IV. Imp. 62
primi facultatum profeſſores. 66
Confirmatur à Clemente VI. Rom. Pontifice. 72
Univerſitas Pragenſis S. Margaretham V. & M. Patronam ſuam honorat. 12
Volinam ad Præpoſituram Pragenſem recuperat Simon Broſius. 142
Wratislaus Rex Fundator Eccleſiæ Wiſſehrad. duodecim cophinos terræ ſuis humeris in foſſione fundamenti portat. 212
Utraque ſpecies Evchariſtiæ à Jacobello laicis porrigitur. 24

Z.

Zara Monaſterium Ciſterc. ad confinia Moraviæ Filia Nepomuci. 6
Fundatur. 21
Zatecenſium Archi-Diaconorum in Eccleſia Pragenſi Series. 410
Zbinco Archi-Epiſc. Prag. Wiklephi hæreſiarchæ libros comburit. 23
ab Huſſitis venenô extinguitur. 24
Zbinconis Archi-Ep. Prag. Sepultura, & mira circa illam. 38
Doctrina & virtus. 385
Ziſka Joannes Bohemiæ Catalina, Religionis Catholicæ peſtis. 24
Monaſterium Nepomucenum flammis vaſtat. 25
Religioſos cum Abbate exurit.
Zlavvco Comes fundat Monaſterium Oſſecenſe. 16.

FINIS.